
Bibliothèque numérique
medic@

Actuarius, Joannes. Actuarii Joannis filii Zachariae operum

Lugduni : apud J. Tornaesium, & Gul. Gazeium, 1556.
Cote : 33457

BIUM

(c) Bibliothèque interuniversitaire de médecine (Paris)
Adresse permanente : http://www.bium.univ-paris5.fr/histmed/medica/cote?33457



ACTVARII
IOANNIS FILII ZACHARIAE OPERVM,


*

Methodi medendi Libri VI. nunc primum à Corn. Henrico Mathisio Burgensi, Medico, latinitate donati.

Cum indice locupletissimo.

LVGDVNI,
Apud Ioannem Tornæsium,
& Gul. Gazeium.
1556.

DE PARIS
HIPPOKRATES



©BIUM

ACTVARII ZA-
CHARIAE MEDICVS SI
METHODI MEDENDI,
LIBER PRIMVS

*

Corn. Henrico Mathisio Brugen.
Medico interprete.

Præfatio.



QVONIAM ad *Hyperboreos Scythas, ita diuino, sapiente, ac optimo Imperatore iubente, legatus pro gente nostra profecturus, nostram tibi operam deesse minimè debere arbitrabaris, sed aliquid nostræ quoq; artis congredi, quo si quid fortè è re nata valetudini infestum occurreret, ex exiguo libello, quid ex vsu esset sumere, succurrereq; ei posses: arduum sanè, artem maximam ac præstantissimam adeò facilè breuibusq; versibus veluti ex tempore perscribere, videbatur: non secus quàm si quis omnem omnium hominum vitam victus've rationem paucis admodum verbis apud ignotos explicare conaretur. Quapropter mihi eiusmodi*

tractatione multo maximè supersedendum esse iudicabam, ne, dum artem amplissimam, in angustium libellum contrahere concludereq; nitor, iniuriam ei non leuem facerem. Atque idcirco, vt tu quoq; amicorum optime, meminisli, commentationem hanc, etsi sepenumero rogatus, reieci, ab eaq; penitus abstinuissem, nisi vetus hominum idemq; scitum adeò dictū in mentem veniens, aliud persuasisset, nempe amicitiæ necessariò cōcedendum esse, atq; etiāsi artis interim dignitas eleuetur, interpellationibus id largiendum potissimum, si cōmodi nonnihil interpellantes inde sensuros esse iudices. Opus igitur aggrediendum, ac ceu pignoris loco, tibi transmittēdum esse censui, vt si, quod votis omnibus est expetendum, te nobis æquè ac discedēs rectè valens restitues, vnus id commentarius sit sinceræ amicitiæ nostræ monumentum: sin aduersi quippiam, vt sint humana, continget, ex his nostris præceptis opem tibi petere, ac propulsare id queas. Verùm quid in hoc tam vario multipliciq; argumento, quod rectum sit adferas? est enim summè potius verendum, ne dum ea quæ necessaria sunt, explicare contendo, & quædam prout compendij ratio cogit, prætereo, in dubias te perplexasq; ambages conijciam: aut dum alia obscurè, nec satis apertè trado, eiusdem mali auctor fiam.

Quæ,

©BIUM

Quas ob res rursus pedem referre ac silere satius esse ducebam, prorsusq; quieuissem, nisi occurrens quædam contagiuncula ad scribendum nec iam amplius in tractatione cunctandum incitasset. nam ex multa nostra consuetudine, non illiberaliter mihi artis theoremata visus es percepisse: ad hæc meministi quàm sæpe fuerim vt artis sacris initiareris adhortatus, adeò ingenuè eam es amplexus: demum eorum quæ in arte præclara sunt, de quibus sæpe inter nos egimus, non es vsquequaq; oblitus: hæc inquam omnia in mentem reuocata, animum despondere non permiserunt, neq; ægrè ferre si quid ex artis dignitate non pertractetur. conieci enim in mente tua longè antea eius præcepta reposita esse, vt ex non exiguo inde principio, & quæ explicanda sunt assequi possis. Quare hoc iam nodo dissoluto, reliquum est, vt ad nostrum institutum Deo auspice accedamus.

Quæ medico sint prænoscenda ad medicinam factitandam. CAP. I.

VIm is qui morbos ad perniciem & mortem ducentes, ab ijs qui in salutem sanitatemq; finiunt, distinguere cupit, quænam sint salutaria, quæq; minus signa; item quæ sit animalis secundum naturam facultas, ac demum coctionis indicia, nouisse debeat: (his enim

©BIUM

vt decet cognitis, qui ijs ſtudioſius inuigilauerit, & conſulere & rectè agere poterit) æquum erit, vt vnumquodq; horum explicemus, deinde quæ patentibus iam vitijs, medicamenta & epithemata admoliri, & qui victus accommodari oporteat, doceamus. ita nanq; progrediente oratione, inſtitutum noſtrum ad propoſitum vmbilicum perducetur. Qui igitur ea in omnibus hominum corporibus dignoſcere velit, naturales eorum functiones ſanæ ne ſint an non, perſpectas habere debet: nanq; eas intuitus, ſi quando in ſtatum præter naturam labantur, quantum à ſano abſunt, inuenire poterit. Verùm quia fieri nequit, vt eæ ſigillatim enarrentur, quempiam, quem ceu normam ſpectare, & ad quem reliquorum omnium ſanitates expendere ac dirigere oporteat, neceſſe erit proponere. Erit autem norma ea ipſa, quæ in functionibus noſtris cùm ſecundum naturam habemus, relucet. Functiones porrò, tum ob aliam atque aliam facultatem, tum ob errorem, quinetiam ob hunc illum'vè partium ſimilarium & officialium ſitum temperiemq;, quales nam ſint apparent. eſt quippe latus ſanitatis campus, quæ ſigillatim ad vniuſcuiuſque conſtitutionem expenditur. Verùm cùm non pauca ſint priuata temperamenta, vnumq; optimum & comm

commoderatum esse existimetur: antea particulatim est de ijs agendum, vt ita functiones, quæ secundum naturam sunt, & quæ minime, tradamus.

De temperamẽtorum vniuersim ac sigillatim in corporibus differentia. CAP. II.

ITaq; cùm alia primo ac summo loco calida, frigida, sicca, & humentia esse dicantur, quippe quæ qualitatis, ob quam eiusmodi apparent, summum nacta sint abscessum: alia verò secundario ac remissè, vt quæ primorum simpliciumq; corporum parcipatione talia sint: illa elementa atq; harum principia iure optimo nuncupari queant, & de ijs agendi hîc non est admodum accommodatus locus. Verùm quia de primis elementis instituta est tractatio, & composita sunt reliqua corpora, tam animata, quàm animæ expertia, ea aut vtrisq; qualitatibus intenduntur, aut rursus easdem retusas obtinent, vel tertio alterã, quæcunque tandem illa sit, intensam natura possident, & altera à summo interdum ordine abscedit. Quoniam ergo fieri non poterat, vt quæ ex his constantur, æquis mensuris temperarentur, (essent enim quæ ex similibus æqualibusq; coagmentantur, formis moribusq; similia) quæ ex primis hoc quod sint sorte adepta sunt, in sexcẽtas formarum ac temperaturarũ

differentias perquam ſapienter fuerunt diſtracta: adeò vt vix duo, aut animalia, aut plantæ, aliud'ue compoſitum quoduis, eiuſdem eſſe naturæ aut qualitatis conſpiciatur: quin ſemper temperatura compoſitioq; diuerſa formam euariet, aut formarum diuerſitas ſimilem temperaturam ac compoſitionem aſſiduè veluti in ſua vota pelliceat pertrahatq;. Quapropter cùm hæc ita ſe habeant, atq; quæ ex primis illis elementis ſunt coacta, tum temperamẽto, tum primorum corporum additamento inter ſe mutuo diſſidentia, in ſexcentas formas diſſecta fuerint, age aliquid etiam particulatim de temperamentis diſſeramus, prout ex ijs à quibus ſenſim promouemur ac quaſi ducti progredimur, & diſtãtioribus, de eo quod maximè ſpectandum eſt, compertũ habemus. Primo itaq; ſummoq; abſceſſu calidum ignem eſſe cenſemus: quod nihil eorum quæ ſenſui noſtro ſubijciuntur, æquè ac ille abſumentem igneamq; vim obtineat. Porrò quæ in corporibus his apud nos compoſitis, plus illius participare conſpicimus, quamuis ſi cum primis conferantur, ſecundam caloris claſſem teneant: tamen ea quoad ſenſum noſtrum, quem nimirum iam exoluunt, ſummo primoq; ordine calida nuncupamus, eiuſmodi eſt in plantis allium, ſinapi, euphorbium, pyrethrum, ac ſi quod aliud qualitatis

©BIUM

litatis ſenſum labefactat : in animalibus verò quæ ignea ſunt, & validiores cibos cõficiunt, atq; animoſa indomitaq; ſunt, puta leo, pardalis, & volucrium pleræq;. Primum verò frigidum in elementis eſt aqua, in plantis papauer, & lactucæ, & cicuta, in animalibus piſces, et in eo genere magis quæ mollia quæq; ſunt teſtacea ac cruſtacea. Sic aquam quoq; primò humidam putamus, etſi alij aliter ſentiant. Atriplicem item, & lactucam, & cucumerem, ſecundo ordine, & primorum participatione, humidas in plantis : atq; in animalibus, piſces complures, cochleas, & quæ vocantur terræ inteſtina, iudicamus. Siccũ deniq; primò, meritò quiſpiam ignem eſſe aſſeret: & in plantis piper, cicutam, ac ſi quæ valide exiccare exiſtimantur : in animalibus autem, canes, lepores, quæq; inſecta ſunt, atq; hæc ſi inter ſe aut cum commoderato ſuo comparantur, calida vel frigida, aut humida vel ſicca appellantur, ſed illic intensè, hîc verò remiſsè. At verò omnia ex quatuor natura cõſtant. alia enim eſt inſectorum ſiccitas, ſi cum terræ inteſtinis conferatur, alia canis aut equi. ſic alia eſt piſcium humiditas, ſi cum accipitrum vulturumq; humiditate comparetur. Cæterùm quamuis cuncta ſe mutuò participent, vtpote ex qualitatibus cõmunibus compacta, attamen proprijs quodq;

temperaturæ terminis præfinitur, atq; alia quidem, si cum alijs conferãtur, talia aut talia esse censentur. verùm omnia in id quod præ cunctis commoderatum est respiciunt. nam cuncta aut participatione eorum quæ participant, aut comparatione cum ijs ad quæ expenduntur, talia nuncupantur, & participatione primas personas spectantia collatione verò eas quæ primas insequuntur, in temperamenti ratione aut deficere aut excellere videntur. Porrò omnium maximè commoderatum exquirentibus est homo, qui inter diuersarum specierum composita, temperamenti commoderati quasi regula quædam censetur. Atqui homo hic, quod quidem ad temperamentũ pertinet, multifariam quoq; secatur, & quo ad cognitionem varius est, vtpote qui ad alterutrum oppositorum posituum ac temperamentorum latus leui momento propendeat nutetq;.

De hominis temperamento. CAP. III.

TAq; qualis est inter animalia homo, talem mihi inter homines eũ qui est tẽperamento cõmoderatus, animo concipe. nã quẽadmodum in animalibus eiusdẽ generis, ob ætatem, tẽperamentũ, viuẽdi rationẽ, & exercitia aliud alio calidius & frigidius, siccius & humidius esse asserimus, etsi intra suos terminos tempericm contempleris, ita alius ab alio dum

frigid

©BIUM

frigidior, calidior, humidior, ſiccior nũcupatur, temperamento diſsidet, non ſecus quàm ſi cum eo qui eſt vndiquaq; commoderatus, comparatus candidior, aut nigrior, vel carnaſior, gracilior ve, aut maior & minor eſſe videtur. Et quamuis ratione potius ac mente quàm ſenſu hominem omni ex parte commoderatum complectamur, attamen nos in eum quaſi collimãtes, cæteros tales aut tales eſſe aſſeueramus. Proinde homine planè commoderato ceu norma conſtituto, eos qui ab hoc commoderato temperamento, ad alterutrum latus declinant, intemperatos, qualitatesq; quas habent, intemperies appellamus. Cùm ergo vna temperata eſſe conſideretur, media videlicet, & quæ in neutram partem propendet, qui ab hac cõmoderatione receſſerunt, calidiores, aut frigidiores, humidiores, vel ſicciores nuncupantur. Latum nihilominus ſatis eſt eius ſpatium. nam in calidioribus temperato, aut humidioribus, & his oppoſitis, alius alium natura exuperat: aut vna ſola qualitate commoderatum excellens, in reliqua ac quæ in eadem ſerie aduerſatur, commoderatus: aut vtriſq; cõmoderatione dilapſus, adeò vt quatuor ſint ſimplices intemperies, frigiditas, caliditas, ſiccitas, & humiditas: & quatuor cõplicatæ, caliditas cum ſiccitate, aut humiditate, & frigiditas cũ earum vtraq

vtraq;, ac præter has nona, quæ commoderata & temperata, Græcis σύμμετρος καὶ εὔκρατος nominatur. Prout itaq; homo ob cauſſas quæ materiam formamq; in prima coagmentatione ſuppeditant, temperaturam coaleſcit: ita ſanè pro ætatis victusq; cõmutatione, eam tum incremento, tum decremento permutat atq; euariat, & interdum ad contrariam detorquet. Porrò neque hoc latere debet, quòd homo aut æquali atque in omnibus membris ſimili temperie conſtat, aut alia ſui parte temperatus, et alia intemperatus eſt, & alia contrariam obtinet tẽperiem, prout hæc illam exuperat. Siquidem alius frigidum fortè nactus caput, reliquo toto corpore calidus eſt, alij cerebrum humet, & ventre, exempli gratia, ſicceßit: ſic hac parte frigidus, alia calidus erit. Atq; ſingula ſuis functionibus pro receſſus modo ſecernuntur. Patefaciunt autem ſe exuperantiæ cùm morbo corripiuntur, quòd ab contrarijs opem, & à ſimilibus noxam ſentiant. ſic quoque quæ ab ortus primordio cum formatione connatæ ſunt intemperies, ſimilibus augentur, & contrarijs emendantur. Atque quod ad temperamentorum tractationem pertinet, quòd huius documenti principia anteà didiceris, hæc ſatis ſit nouiſſe.

De

De hominis functionibus, quæ secundum naturam sint, & quæ secus. CAP. IIII.

Porrò iam tẽpus est, ex quibus temperamentis quæ functiones prodeant expendere. Siquidem aliæ alijs sunt magis aptæ, & naturalibus quibusdam tẽperamẽtis familiares magis. Quare si iam quasi in tabella, commoderati hominis naturales actiones depingantur, licebit inde eorum quoq; qui intemperati sunt aut toto corpore, aut aliqua eius parte, functiones intemperiei proportione respondentes coniectare. non enim commentationis breuitas, vt omnes sigillatim excutiamus, patitur. Proinde mente mihi concipe hominem temperie victuq; moderatum, moderatè temperatam regionẽ incolentem, ætate florentẽ. huic si nihil externum infestat, appetentiæ, & naturales omnes actiones probæ erunt, somni, & inter dormiendũ decubitus boni, concoctiones item, & quæ eas insequũtur excretiones rectè fient, quinetiam sinceræ erunt sensuũ instrumentorum functiones, & præ cæteris, quæ magis generis locum tenent, principes, & denique voluntariæ, quæq; ab electione pendent motiones integræ erunt. Qui dissimiles huic nacti sunt temperies, similes quoq; habent affectus, ac tanto deteriores, quanto ab hoc, corporum, ætatum, locorum, & victuum ac anni temporum.

rum temperies magis distant. Atque appetentiæ absurdæ, prauæq; naturalium facultatum functiones, tumultuosi, nec sibi constantes, neq; stabiles somni, cubandi rationes insuetæ, concoctionum errata, varij excretorum colores & consistentiæ, spiritus animalis non satis firmæ actiones: hæc omnia aut impactã alicui membro intemperiem, vt ob eam talis sit affectus, talisq; actio, aut breui impendere corpori noxam denunciant, pro ratione nimirum detrimenti functionis totum gubernantis naturæ. His, veluti anteà docuimus, tẽperamenta, anni tempora, regiones, ætates, victus ratio, & quæ extrinsecus occurrant, quibus sigillatim recensendis nunc non est locus, & opitulantur, & aduersantur. Illud tantum in præsentia scire licet, quod quicquid vnicuiq; secũdum naturam euenit, in illo etiam delinquet. Cæterùm primũ dicendum videtur, quibus indicijs affligentes morbi discernantur, deinde ipsi quoque morbi explicandi, ac quæ viuendi formula ac diæta ipsi commodata sit. nam si hac serie connectatur tractatio, quidnam sit ipsorum quodque melius securiusq; discemus.

De præcipuis hominis functionibus.

CAPVT V.

Vm tres sint in corpore magni momenti facultates, nempe vitalis, & calor insitus,

tus, ad hæc princeps sentiensq; & mouens, & demum nutriens, alterans, & augens: singulæ suam adeptæ sunt sedem. harum prima, cor arteriamq; obtinet, per quæ tanquam canales quosdam, innatus vitalisq; calor in vniuersum animalis corpus deducitur: altera ab hac tenet cerebrũ, spinalem medullam, neruosq; qui inde exoriuntur, ac per quos principes actiones, sensusq; omnis ac motio voluntaria obitur. Tertia atq; harũ vltima inest iecinori ac venis per quas sanguificatio ac nutritio perficitur.

De naturalibus facultatibus. CAP. VI.

ATque hæ in vniuersum, & reliquæ partes instrumentales ac dissimilares, præterea similares quoque, naturalibus facultatibus gubernantur, attractrice inquam, retentrice, alteratrice, & excretrice. vnumquodque enim simplex primumq; mẽbrum, ab eo quod distributum est alimento, sibi familiare attrahens, retinet primùm, deinde alterat, quodq; ex eiusmodi nutrimento sibi accommodatum est ac idoneũ apponit: quod verò alienum est veluti repudiatum excernit, atq; ita quod appositum fuit anteà iam agglutinatur, ac progressu temporis assimilatur, ceditq; in membri proprium tum augmentũ, tum nutrimentum. Verùm cùm tot sint nos gubernantes facultates, quot putas ab ijs committi errores prout ipsarum

ipſarum quæq; delinquit? cùm modò perperam ſuo fungitur officio ingruente intemperie quapiam: modò ob qualitatem humorum auctam, aut immoderatam quantitatem defatigetur: vel cùm prima ipſarum facultas, è qua hæ pendent, ob vitium aliquod naturale, caſum ve qui vitari nequit, agere iam deſiſtat. Atque hæc, vt diximus, ſunt omnibus membris vitia functionesq; communes, ſolũ patientium locorum præſtantia ac nobilitate inter ſe diſtinctæ.

De vniuſcuiuſq; partis inſtrumentalis peculiaribus affectibus. CAP. VII.

PEculiaria vniuſcuiuſque ſunt, cordis primùm, frigora & calores, quæ primario vitio illi contingunt, tum qui ob aliorum membrorum anteà laborantium affectum quempiam, habitus affectionesq; accedunt, cuiuſmodi ſunt animi deiectiones, motus ratione carentes, palpitationes, ſyncopæ, & quodcunq; primum eò refertur. Cerebri verò & ſpinalis medullæ, & neruorum qui inde progignũtur vitia ſunt, nihil aut ægrè ſentire, delirium, morbus comitialis, melancholia, phrenitis, lethargus, vigilia, detentio, ſopor (illa Græcis κατάληψις, hic νῶμα nuncupatur) nihil aut difficulter moueri, conuulſio, tumor, neruorum diſtenſio, eorundemq; reſolutio, ac ſiquid eſt eiuſmodi. Iecinoris porrò & venarum quæ ex eo exoriuntur

exoriuntur, ſunt coctionis & ſanguificationis quæ tum in ipſo, tum venoſo genere obeuntur, fruſtratæ actiones, quæ varia morborum genera procreant, ſic cibi qui prima ſua coctione fruſtrantur, varijq; qui circa illos committuntur errores, morborum ſpecies inferunt, qui facilè numerari nequeunt. Horum autem quiſq; ſuis ſignis deprehenditur.

Quomodo vnuſquiſq; membrorũ officialium affectus diſcernatur. CAP. VIII.

Vitia quæ in cerebro, ſpinali medulla, neruisq; inde propagatis inſident, commercia actionesq; tum ſenſuum, tum motuum patefaciunt: ſic cordis affectus, vitalibus facultatibus quas ζωώδεις appellant, ac pulſuum differentijs diſtinguuntur. Iecur item venoſumq; genus infeſtantia, ea quæ per vrinas deferuntur denunciant. Quæ verò vomitu aut aluo ducuntur, ea quæ & os ventriculi, et ipſum adeò ventriculum ac inteſtina adhærentia male habent, indicare ſolent. Eodem pacto quæ thoracem affligunt, ijs quæ tuſsi redduntur, necnon reſpirationis generibus innoteſcunt. Veruntamen ſcire licet vnumquodq; mẽbrum quocunq; tandem vitio inficiatur, & potiſsimum ſi inſignis fuerit affectio, ſedesq; laborãs princeps, vnà ſecum quodq; aut loco aut præſtantia proximum alterans, & commutans in

perniciem rapit. nam cùm conſpirabilia cuncta ſint & compatientia, à ſe mutuò afficiuntur & mutantur. Verùm cùm ſingula ſibi propriis, vt diximus, pateſiant indicijs, & alia præterea ſint, quæ vbi increuerunt vitia, atteſtentur: vbi primũ de peculiaribus cuiuſq; notis egerimus: de affectu quoq; quem conſenſus excitat, vt nequa in noſtra hac commentatione confuſio oboriatur, pertractabimus.

De pulſuum examine eorumq; agnitione.

CAPVT IX.

QVare cùm omnium præſtantiſſima, maximeq; ad vitam tuendam neceſſaria ſit quæ è corde promanat facultas, non iniuria de ea primùm diſſerendum nobis eſſe videtur, quo vitalis roboris modos, qui plurimum tum ad dignotionẽ, tum ad inhærentium vitiorum prænotionem conferent, ſcire poßimus. Debinc de reliquis quoq; agemus. Itaq; cùm pulſus motio primùm cordis affectus, deinde eum qui à partibus hinc inde collocatis ad ipſum pertingunt, prodat, anteà in hoc ſtudendum eſt, vt pulſuũ motus atq; ita poſt hos eorum diſcrimina agnoſcere diſcamus. Cũ ergo nihil aliud ſit pulſus natura, niſi arteriæ dilatatio contractioq;, et quæ intercedit quies media: cumq; dilatatio, ita διαστολὴ vocamus, ſit motus ab internis foras, quo externus aër attrahatur, et

inſitum

©BIUM

insitum calorẽ nutriat refrigeretq; : contractio verò, quæ συστολὴ nuncupatur, motus ab externis intro, vt fuliginosa, quæq; superuacaneæ sunt vitalis spiritus excrementa propellantur: diligenter hæ motiones tibi sunt inspectandæ, & earum velocitates, item interuallorũ discrimina, ipsorumq; tempora, præterea pulsationum vehementiæ, & arteriæ consistentia, insuper quies quæ inter contractionis terminum et dilatationis principium interuenit, ac ipsius tempora, quantumq; hæc inter se mutuò distãt, inueniendã. hinc nanq; omnia haud difficulter patebunt. Quòd si nihil externum aut internum molestiam facit, nec quicquam nota dignæ alterationis pulsui adferre potest, commoderatum cũm in magnitudine & vehemẽtia, vt non facilè tactui cedat, nec durus sit, atq; in subsequentibus moribus æqualem reperies.

Si aliquid fuerit quod infestat, ipse quoque euestigio immutabitur. Aucto nanq; calore, nisi arteriæ durities renitatur, primùm pulsus in magnitudinem excrescit: deinde si nec in ea quidem vsus acquieuerit, additur magnitudini celeritas. quòd si ob caloris abundantiam, etiamnũ præterea aliud desiderauerit, prædictis accedit potissimum siqua adfuerit arteriæ durities, ob quam magnitudo vsui non satisfaciat. Quòd si frigus increuerit, contrà efficit: ac

©BIUM

primùm rarus esse incipit, deinde tardus, ac postremò fit paruus. Porrò siccitas aut humiditas si moram traxerint, illa duram, hæc humidam madidamq; arteriæ tunicã efficit, verùm actionis qualitatibus complicatæ, consimiles quoq; pulsus facient.

Quòd si subsequentes pulsus, æquabili motu cieantur, nihil præterea noui denunciatur: sin alter motus paulo plus minús ve temporis intermiserit, vt cessationis tempus duobus insequentibus motibus sit æquale, nunquã quenquam seruatum iri conspicies, præcipuè si æger ætate vigeat. Senes nanq; interdum fortassis euadant, quod innatus eorum calor ob paucitatem omnia languidiusculè sua munia præstet. Quòd si inter sub sequentes æquales q; motiones nonnulli interciderint, multo sunt mitiores, quod ad malitiam spectat, atq; intermittentibus meliores habendi sunt. Nam etsi aliquem vsus defectum suppleri denotẽt, nihilominus facultatis robur præ se ferunt. Porrò quo pulsus ablatio, (ἀσφυξίαν Græci nuncupant) intermittentibus est deterior, eo his inferiores, si malitiam consideres, sunt interciden tes. Denique qui ex multis pulsuum generibus variam inæqualitatem efficiũt pro ipsorũ excessu, ita à commoderato abscessisse connotãt. Verùm ne nimiũ obscura nostra reddatur oratio,

tio, vbi vnumquẽq; pulſum finierimus, tibi cordis facultatem quænam inde colligitur, caloris item incrementum ac decrementum, & ſi qua in præcipuis partibus obſtructio inflãmatioq; viget, & quòd humorum coctiones ac multitudo præpollere exiſtimantur, demonſtrabimus. Proinde cùm nihil aliud ſit pulſus, velut dictum fuit, quàm arteriarũ motus, is quo ab internis foras cietur, dilatatio, et quo ab externis intro fertur, contractio nuncupatur. Vſus autem dilatationis eſt, vt ad caloris portionem externus aër ob eius contemperationem attrahatur: contractionis verò, vt fuliginoſa fumidaq; excrementa protrudantur. Si vſus plurimum vrget, magnus primum, deinde velox quoq; pulſus efficitur, & magnitudo quidem dilatationis, in tres pulſuum dimentiones, nempe longitudinem, altitudinem & latitudinem excreſcit: celeritas verò vbi adeſt, dilatatio ab externis intro, & cõtractio ab internis extra exiguo temporis interuallo remeant. Contrà accidit, vbi paruus eſt & tardus. Nam paruitas appellatur, vbi à commoderato tribus dimenſionibus recedit: & tarditas quando poſt longum temporis ſpatium arteriæ motus reſtituitur. Durũ porrò eum qui inter pulſandum tactum veluti comprimit, nuncupamus: & mollem, qui ceu humidus & leuis tactui occurrit.

©BIUM

currit. Vehemens autem eſt, qui cum placido tactu, iniectis digitis obnititur: contrà languidus dicitur, qui tangẽtibus digitis facilè cedit. Sic quoq; denſum eũ qui frequẽtibus motibus: & rarum, qui longo poſt tempore cietur, vocamus. Cæterùm eum qui duobus aut tribus pluribus've pulſuũ ſpeciebus conſtat, inæqualem nominamus. eiuſmodi porrò inæqualitas interdũ in vno pulſu, & aliquando in pluribus conſiſtit. In vno pulſu inæqualitas nuncupatur, quando quatuor immiſſis digitis pulſum apprehẽdimus, & vnoquoq; digito variè eum moueri perſentimus. Interdũ pulſum aliomotu cieri duo digiti, alio reliqui duo ſentiũt: et rurſus alius vno, atq; alius reliquis tribus ſentitur. Adhæc aliàs in ſimplici impræmeditataq; digitorũ impoſitione, arteria his tardius, illis velocius, & illis dẽſius, his rarius moueri ſentias. Sic nõnullis magis, aliis minus dilatari, vt aliquibus hæc, verbi gratia, pars durior, & quibuſdã alia mollior perſẽtitur. Atq; hæc in vna totius arteriæ corporis dilatatione, aut cũ ordine, aut citra ordinẽ fieri vidẽtur. Nã ſi inſequẽtes motiones eodẽ modo cientur, ordo appellari poterit: ſin alio atq; alio modo firuntur, inordinatio et ἀταξία appellabitur. Porrò quẽadmodũ hæc in vnico pulſu fit inæqualitas. ita et in accumulata inæqualitate, quam συσπαστικὴν

appell

©BIUM

appellant, fieri differẽtia cõſpicitur. nam nonnũquam maior aut minor apparet, aliquando velocius aut tardius ferri, aut aliter cieri videtur, prout in ſpeciebus pulſuum, ordinem quendam ſeruauerit, aut citra ordinem moueatur. Vehemens pulſus, roboris caloris innati vitaliſq; facultatis inſeparabile eſt indicium. ſecundus poſthunc velox eſt, at magnus non perpetuò. Qui his ſunt contrarij, languorem imbecillitatemq; vitalis firmitudinis connotant. Itaq; hinc intelligas, ſi inæquales ſunt pulſus, quid portendant. nam vbi magni aut vehementes aut veloces prævaluerint, facultatem vitalẽ etiamnum validam eſſe: ſin contrà tardi, parui, & languidi, exolutam dicito, atq; ita coniectare licebit, quis nam morbi euẽtus ſit expectãdus. Porrò quòd præſtantiorum partium obſtructiones faciant pulſus inæquales, excretiones illarum quæ eiuſmodi reſtituunt, (ſi quidem facultas ſuperior euaſerit,) ſatis declarant. At verò ordo inordinationi præſtat, potiſſimùm ſi meliores pulſus ſunt ſuperiores: ſin ſuccũbunt, inordinatio quàm ordo potior eſt. Nam ordo naturæ in illo pulſus genere moram quandam ac durationem ſignificat, eo quòd humor peccans in parte, quæcunq; tandẽ illa ſit, impactus fixusq; hæreat: at inordinatio infeſtantiũ humorũ errorẽ, facultatiſq;

pugnam indicat. atq; idcirco præstat facultatem non admittere pulsus deteriores. si nanq; admisisse videbitur, necesse est ægrum perire. Cæterùm duri pulsus, cùm corporis arteriæ sint peculiares, interdum siccitatem externam, aliquando internam comitantur, velut in hecticis ac marasmaticis febribus, & potißimũ neruosarum partium inflammationibus ac febribus squalidis, & vehemẽtibus naturæ pugnis vsuuenit. Et quemadmodum dilationis celeritas ac magnitudo vsum arguit, ita idem in contractione est inspectandum. nam si hæc in magnitudinem ac celeritatem increuerit, suum vsum denuntiat, nempe putrium humorum copiam: atq; ex eis fuliginosorum excrementorum collectionem. Discernes autem, an alia ali qua sit in dilatatione magnitudinis celeritatisq; caussa, nec'ne, si motus atq; in motibus dilatationis tempora, cum temporibus quæ in contractionis quietibus apparent, comparaueris. Hinc ergo occasiones, humorum coctiones & cruditates, quæq; ex his iudicia sint expectanda scire poteris. Atque in accessionum significationibus, quas ἐπισημασίας Græci nuncupant, contractiones in magnitudinem ac celeritatem potius quàm dilatationes excrescũt: quod quæ in contractionibus agit facultas expultrix vrgeat, quo nimirum id quod fuliginosum

noſum inutileq; in imo corpore ſuetur, protrudat propellatq; : qua de re minores quoq; tardioresq; pulſus hîc in dilatationibus reperiuntur, quòd nondum vſus accelerare cogatur. Verùm vbi fumidum fuliginoſumq; excrementum diffiatum fuerit, & inſitus ac naturalis calor eſt ſuccenſus, vrgente iam vſu, dilatatio ſucciſa ac quaſi mutilata contractionis celeritate, magnitudinem velocitatemq; aſciſcit. Quinetiam iudicia quæ eo tempore ſuccedere ſolent, ſecuriora ſunt: attamen ſi quæ tunc fieri incipiunt, & contractio plus temporis quàm dilatatio occupare videtur, imperfecta eſſe, ac vt plurimum in morbis recidiuas minari ſolet: quòd ſemicocta quædam materia etiamnum intus ſuccendatur. Quòd ſi quando vndoſum, & vermiculantem, & formicantem, & conuulſorium, & vibratum, & bis pulſantem, & capriſſantem pulſum nominare audiueris, horum quoq; cauſſas ac dignotiones hinc perdiſce. Vndoſus ergo ab humida molliq; arteria oritur, vnà cum facultate mediocriter fatiſcente: reperitur autem in humidis pituitoſiſq; affectibus, puta lethargo, febribus quotidianis, intercutis aquæ ea ſpecie quam ἀνὰ ἐάρας appellant, maximè ſi ea ab inflammatione, aut viſceris alicuius ſcirrho ortum non duxerit. Quòd ſi maiorem firmitudinem, &

præterea altitudinem arteriæ habuerint iam-iam adfore ſudores prænuntiant: idq; præcipuè, ſi coctionis notas præmiſſe conſpexeris. Porrò dictus eſt vndoſus, & Græcis κυματώδης, quòd quaſdam vndarum circumſcriptiones in contractionibus efficiat. ſic & vermiculans, ſiue σκωληκίζων vocatur, propterea quòd contractiones veluti vndoſas breuiores moliatur, motumq; vermiculi cuiuſdam imitetur: hic ex arteriæ mollitie, facultatisq; ſatis inſigni imbecillitate progignitur. Accidit autem in copioſis euacuationibus, ſanguinis aluiq; profluuijs, choleris, hæmorrhoidibus, fluxu muliebri nominato, prauis ſudoribus, quin & ijs quibus ob nimium humorem pulmo computruit, niſi adſit inflammatio quæ arteriam induret. Appellant autem formicantem, quòd eum ex animalis paruitate denſitateq;, ac quæ adeſſe videtur celeritate, talem coniciant. Cæterùm quo vndoſo vermiculans, eo eſt vermiculante formicans deterior, vt qui extremã vitalis roboris infirmitatem connotet. Conuulſiuus verò ſiue σπασμώδης qui vocatur pulſus, intenſis ſenſimq; motis fidibus ſimilis eſt, quod arteriæ ad ſuos fines quaſi conuellantur. Euenit in vitijs neruos diſtendentibus, neruearumq; partium inflãmationibus. eſt hic quoq; durus, ac ob duritiem haudquaquã magnus, verùm celer & denſus,

denſus, præcipuè quantum vſus poſtulat. Porrò vibratus vel κλονώδης, quem etiam turbulentum quidam nominant, fieri ſolet, quando valida eſt facultas & vſus vrget. cæterùm non cedit ob duritiem arteria, atq; vſus aut caloris abundantiã ſequitur, vel quod ſpiritus animalis abſumitur, augetur. Non parẽt facilè inſtrumẽta, vbi obſtructiones, & compreſſiones, aut durities præceſſerunt: atq; durities ſit cũ inſtrumenta inflammantur, vel indurantur, hoc eſt ſcirrho infeſtantur, aut intenduntur. Bis autem pulſans, quem ἀνισοτον appellant, cum impetu quodam concitatur, breuiusq; mouetur, deinde ſubſtitit, atq; ita demum reliquũ motionis abſoluit. ita enim in vna dilatatione pulſari debet tactus, vt vibratus nihil eo amplius habeat, niſi quòd palpitent mẽbra, & vndiq; cõcutiantur. Veruntamẽ capriſſans, etſi cũ bis feriẽte hoc habeat cõmune, quod bis pulſet, attamẽ haudquaquã ab eadẽ efficitur cauſſa, quod in eo neq; ſit inſtrumentorũ durities, neq; intẽperies aliqua fatiget: verùm ſit, cùm facultas, quod quidẽ in ſe eſt, ſuũ tuetur robur, ſed arteria ob copiã, aut cõpreſſionẽ, aut inſtrumentorũ obſtructionem à motu inhibetur. tunc enim quies dilatationem intercipit. quare vires ſuas colligens ſecundũ ictũ multo efficit vehemẽtiorẽ, ſeu ſaltus caprarũ imitata, quæ ſimul atq; à motu

©BIUM

motu quieuisse videntur, denuò longe vehementiori saltu quàm anteà subsiliunt. Cæterùm decurtati, μειοῦς Græci vocãt, qui vel ex ipso nomine cognosci possunt, quo propius ad suum terminum accedunt, minores visuntur: quod videlicet facultas arterias æquali robore dilatare amplius nequeat, vt inde vires facultatis aut intemperie quapiam, aut infestantium humorum multitudine obrutas esse deprehẽdas. Porrò id perpetuò meminisse oportet, pulsum semper vehementẽ esse, cùm robur vitale validũ est: languor contrà, facultatis imbecillitatem arguit. nam quæ extrinsecus facultatẽ grauant intercipiuntq;, ea tum in singulis pulsibus, tum in inæqualitatibus vocatis accumulatis, quo minus vehemẽs pulsus se prodat, non ita multum interpellare possunt, etsi in omnibus motibus eundẽ tenere tenorem haudquaquam videatur, nisi siquando facultas ob multitudinem, crassitiem, insignem ue obstructionẽ, affectum excipiens imbecilla iam euaserit, totumq; pulsum in langorem cõmutauerit. Tunc enim, ceu fatiscente facultate, nihil aliud quàm mors est expectanda. Siquidem pulsus vehementia, validæ facultatis signum est inseparabile. Atq; languor semper malus est, vt contrà vehementia nunquam non bona: languorem excipit tarditas, ex hanc paruitas, quibus postrema

ſtrema ſuccedit raritas: hæ ſi plurimum increſcunt, minus bonæ ſunt. Minus quoq; quàm vehementia commendantur, vbi incrementum ceperint, primum celeritas, deinde magnitudo, niſi cum morboſo humore coniuncta fuerit. Cæterùm ne quo in dignotione pulſuumq; examine, ob ætates, temperamenta, conſuetudinem aliquam, aliaq; quæ ſecũdum naturam occurrere poſſunt, impingas, ex his etiam ea quæ in pulſuum conſideratione vſui fore puto, tibi annectam. Scire licet mares fœminis multo maiorem & vehementiorem, nonnihilq; tardiorem, ac ſatis rarum pulſum obtinere, ſi victus ratio vnicuiq; ſexui accommodata ac opportuna ſeruetur. nam cùm viri magis ſe exerceant, ſintq; præterea natura calidiores, atq; idcirco robuſtiores, æquum eſt, vt ob vſum pulſus in magnitudinem, & ob robur in vehementiam excreſcant. Fœminis verò cùm frigidiores ſint, & domi alioqui deſideant, vſum par eſt exolutum eſſe, & roboris tenorem laxatum eſſe, vt ob id à vehementia & magnitudine dilabantur. Verùm quoniam pluſquam vſus poſtulat, magnitudini eorum deeſſe videtur, celeritas denſitasq; ſubſtituitur. Porrò eorũm qui natura ſunt calidiores, maiores, velociores, multoq; denſiores pulſus eſſe reperies, non tamen longè vehementiores. nam ſi illa

auget

©BIUM

augerentur, vsum quempiam ac vrgentem vehementiam haberent, neque verisimile esset adeò increuisse, vt vnà cũ calore facultas quoque adaucta non esset, sed ex humoribus temperamentisq; commoderatis constaret. Cæterùm gracilibus longe maior, & tardior multo sed paulò vehementior est pulsus. Nam cùm carnis moles arteriam non obsepiat, ipsa in magnitudinem se attollit, manifestiorq; tactui occurrit. cumq; vsus hic acquiescat, aliquid de eius densitate aufertur: verùm eò pulsus videtur esse vehementior, quo arteria tactui magis nuda obijcitur. Ita pueri & adolescentis pulsus celerrimus est, senis verò eo tardior, reliquæ ætates mediæ intercedunt. Verùm senex à puero in raritate magis quàm celeritate dissidet. Quòd verò ad vehementiam ac magnitudinem attinet, maximus est præ cæteris ætatibus florentium pulsus, quo senum languidior est, & puerorum, medium inter eos locum obtinet. Cæterùm quoniam causæ ob quas pulsus alteratur, explicatæ sunt, nostriq; quid de hominum ætatibus sit iudicandum, æquum est vt hinc coniecturam faciens, causas quoque ipsorum inuenias. Porrò quod ad anni tempora spectat, vere pulsus maximi sunt & vehementissimi, sed celeritate ac densitate moderati. tales sunt & autumno medio.

Vbi

Vbi iam appetit æstas, languidi, & celeres, & densi euadũt. at autumno progrediente, omnia, magnitudo, vehementia, celeritas, densitas imminuuntur, adeò vt hyeme accedente, in parvitatem, languorem, tarditatem, & raritatem sint commutati. Verùm quoniam quo pacto anni quoq; tempora temperamentorum mutationibus nos alterent nouisti, te pulsũ etiam causſas pro earum ratione inuestigare decet, cùm antea quid pulsus mutare posſit, satis explicauerimus. Quare inde sumpta occasione, ipse tuam mentem non ingrato exercitio excolas. Sunt & somni, siquid aliud, secundum naturam, commutantq; etiam hi pulsus, atque initio quidem, minores, languidiores, & rariores fiunt, quando quidem, calor intro abscedit, & facultas grauatur, natiuusq; calor ciborum copia marcescere videtur: verùm temporis progressu tarditatem raritatemq; intendunt, potissimùm cùm cibus confectus est: & postremò maiores vehementioresq; euadunt. nam quod iam animal sit nutritum, & calor cibum elaborarit, vires quidem facultas sumpsit, & calor vtcunque auctus est: sed quòd vsus non ita multum premat, quodq; etiámnum contractio ad interiora magis festinet, quo ex confecto alimento superflua propellat, tarditas raritasq; dilatationis increuisſe videtur.

©BIUM

videtur: attamen temporis ſpatio, ſomni ad languorem pulſus iterum conuertunt, idq; non iniuria. nam quoniam diuturnius ad interna caloris profugium, cordis robur ſuffocare conſueuit, non eſt à ratione alienum, vt cùm quiſpiam ſomnum protraxerit, diutiusq; quàm decebat dormierit, cordis quoq; vis exoluatur. Verùm eorum qui expergiſcuntur à ſomno, ſtatim magni, vehementes, celeres, denſi, & cum robore quodam coniuncti ſunt pulſus: at paulò pòſt commoderati euadunt. nam in repentinis mutationibus æquum eſt ita vſuuenire. vt cùm multus intus calor ſit accenſus, multusq; dum cibus, ſpiritusq; vaſa permeat, vapor collectus, quos in violentis ac confertis motibus facilè explodi non ignoramus, cumq; his omnibus de cauſsis calor augeatur, & facultas confirmetur, eiuſmodi dum excitamur & expergiſcimur pulſus fiunt, talesq; nonnihil perdurant, ac poſtea ad commoderationem quandam, & ſtatum natiuum redeunt. Exercitia quandiu moderata ſunt, magnos, vehementes, celeres, & denſos pulſus excitant: at ſi modum exceſſerint, vt multa ſint ſupraq; laborantis vires paruos, languidos, celeres, & ſummè denſos efficiunt. Siquidem ob illa quod ſpiritus abſumitur, ac calor increſcit, magni ſunt & celeres, habentq; quod facultas excitetur, cum vehe-

mentia

©BIUM

mentia denſitatem: hæc verò, ob plurimam caloris diſſipationem facultatisq; exſolutionem, pulſus paruos languidosq; procreat. Porrò balnea calida ſi fuerint commoderata, magnos, celeres, denſos, & paulò vehementiores: ſin autem immoderata, paruos, languidos, ac nonnihil veloces denſosq; gignũt. at ſi hîc non quieuerint, exigui, languidi, tardi & rari fiunt. Frigida verò extemplo exiguos, languidiores, tardos & raros: verùm poſtea ſtuporem frigusq; inferentia, paruos, exiguos, & tardos: at excalfacta ac roborantia, magnos, vehementes, ſed celeritate vehementiaq; commoderatos generant. Ceterũ cibi multi, adeò vt facultati oneri ſint, inæquales inordinatosq; pulſus: commoderati, magnos, vehementes, veloces, & denſos, pauciores quàm vt ſint nutriẽdo ſatis: commoderatis ſimiles pulſus progignunt: verũ breuior eſt mutatio, ac minori tempore perficitur. Vinum verò quod ad alia pertinet, non ſecus quàm cibi pulſus immutat: verùm hoc differt, quod ueſtigio nutriat: ipſumq; ante nutricatione quàm cibi defungatur: adhæc celeritatem magnitudinemq; potius, quàm vehementiam & dẽſitatem adauget. nam propemodum quo cibus moderatus pulſibus vehementiores ac perdurantiores vires præbet, eo vinum in magnitudinem magis illos attollit. In voluptate

magnus eſt, rarus, tardusq; pulſus, non tamen excellit vehementia. Calor enim in vniuerſum corpus diffunditur, motusq; eius foras præualet quemadmodũ mœrentibus intro mœroris porrò paruus, tardus, rarusq; eſt pulſus. Quòd ſi motus eſt recens vehemensq;, velox eſt, inordinatus, inæqualisq;: ſin vetuſtus eſt, erit qualis in mœrore. Dolor vehemens in partibus præcipuis ſi incipit, maiorem, vehementiorem, velociorem, denſioremq; pulſum efficit: auctus verò ita vt robori vitali incommodet, minorem, languidiorem, celerem ac denſum excitat. Quòd ſi facultatem labefactet, in languorem, p :ruitatem, celeritatisq; falſam quandam ſpeciem, atq; immodicam denſitatem commutatur. Porrò omni inflammationi communis eſt veluti ſerrinus, vt alia arteriæ pars dilatari, alia verò minimè videatur, quod videlicet arteria durior eſſe appareat: habet hinc etiam vibrati quippiam, & velox denſusq; eſt, non tamen ſemper magnus. Cùm incipit, maior eſt naturali, & vehementior, & velocior, ac denſior: at vbi iam increuit, omnia quoque hæc adaugentur, et durior palàm, ac vibratus magis eſt. Vbi verò viget, durior quidẽ & vibratior eſt, nõ tamen denſior & velox. Quòd ſi diutius perdurauerit, ac iam plurimum indurauerit, vt ſcirrhum referat, præter prædictos,

ctos, gracilitas denſitasq; accedit. Talisq; pulſus eſt, cùm inflammatio totum animal prehendit, ob magnitudinem, partisq; quam obſidet præſtantiam. Cæterùm prædictorum quiſque intenditur remittiturq; iuxta inflammationis magnitudinem, atq; ipſius inflammatæ partis naturam. nanq; partes magis neruеæ, duriores minoresq;, ac ſerrinos potius excitant pulſus, contrà quàm venoſæ arterioſæq;, in quibus tamen maior eſt, qui eſt in arterioſo magis genere, facileq; inæqualis, & inordinatus efficitur. Itaq; iam liquido conſtare poteſt, quiſnam ſit pulſus, cùm iecur, aut lien, vel renes, & veſica aut colum, & ventriculus inflammatione laborat: item quis ſit pleuriticorum aut peripneumonicorum, & omnium in vniuerſum partium inflammatarum, quas febris comitatur. Quinetiam partes magis ſenſatæ, pulſus ob dolorem commutant: quæ verò minus habent ſenſus, pro ſolius affectus ratione pulſum variant. Cæterùm quoniã iam methodum de pulſibus quàm breuiſsimè fieri potuit explicauimus, (poteris enim quæ deſunt, quæ tua eſt ingenij perſpicacitas, pro eo quem in hac ſpeculatione paratli, habitu, ex iam dictis contueri ac ſubſtituere) opportunum erit, vt tractationem de vrinis, quæ non leuem adferet vtilitatem, aggrediamur.

Actuarii Joannis filii Zachariae operum - page 35 sur 731

De iis quæ ab vrinis significantur.

CAPVT X.

QVoniam demonſtratum fuit iecur eſſe ſanguificationis inſtrumentum, ex quo ceu fonte venoſum genus, non ſecus quàm canales quidam, per totum animal ſanguinem partitur, defertq;, adhæc cùm vrina ſit ſanguinis colamen, iure optimo illius coctiones et cruditates, defectum & exceſſum, intemperies, & humorum exuberantias, putredines & corruptiones, ac quicquid in iecinore venoſoq; genere ſuboriri poteſt, inde deprehendas. ſic & illa quæ aliquid cum eo commune habent, ex illa innoteſcunt. nam quemadmodum arteriarum motus, cordis affectus primò, deinde aliorum membrorum, à quibus etiam cor afficitur, indicant (haudquaquam enim arteriæ mutarentur, niſi cor anteà fuiſſet immutatum) ita vrinæ quoq;, iecinoris, venarumq; affectus, ac eorum coctiones primùm ſignificant: verùm ob communionem ac conſenſum, plurima aliarum partium inſtrumẽtalium vitia aperiunt, priuatim tamen iecinoris affectus indicant, de quo primo loco diſſerendum eſt.

De iecinoris affectibus.

CAP. XI.

PRima, alijsq; communia vitia iecinoris ſunt, intemperies ab irruentibus humoribus,

moribus, meatuum obſtructio, inflatio, inflammatio, & cum inflãmatione perquam noxius ſcirrhus. peculiaria verò ſunt, arquatus, & ſiquid aliud circa veſicam felleam infeſtat, quemadmodum fluxus hepaticus, quam ἡπατίτιν, & vulgo δυσεντερίαν ἡπατίτιν, vocant. adhæc diabetes, qui ἐς ὄξα διάῤῥοια quoque, quaſi dicas profluuium per vrinas, nuncupatur, quamuis hoc vitium renibus cum iecinore commune ſit. Iecinoris item refrigeratio imbecilliorem ſanguificationem efficit, vnde habitus turgidi, prauiq;, nempe λυχνιτικοὶ, oriuntur. Præterea calor immodicus febres gignit, bilemq; eius exurit. quæ ſi ſurſum deorſumve fertur, facilius æger liberatur, neq; vllum in poſterum impendet periculum: ſin in venas profluat, atq; ad cutem vſq; diffundatur, arquatus iam hoc vitium, & Græcis ἴκτερος nuncupatur. dijudicatur autem ac diſcernitur, ex coctione præeunte. nanq; ſi præceſſerit coctio, vt plurimũ ratione iudicij ea eueniunt: ſin minus, aut humor ſua copia opprimens grauansq; præpollet, aut bilis effuſio imbecillitatẽ facultatis retentricis denunciat. Quare ſi quidem adhuc facultas naturalis fuerit valida, ſpes eſt ægrum ab affectu iri liberatum: ſin autem hæc quoq; fuerit imbecillis, quidnam aliud quãm deterrima quæque expectare oportet?

Actuarii Joannis filii Zachariae operum - page 37 sur 731

Attamen nonnullis, ſiquã do eiuſmodi humor, ab eo ſpectantẽ victus rationem, nimiũ increuerit, citra manifeſtã febrim arquatus oboritur. Verũ eum opportuna victus ratio facilè ac citra periculum emendat. Verũ enimuero ſi iecur inflãmatio exercuerit, & vitiũ conuexam eius partẽ occupauerit, ſiccas ferè excitat tuſſiculas, calorq; copioſior, ac interdũ dolor perſentitur: at ſi ſimam eius portionẽ inflammatio prehẽderit, vomitus potius cietur, quo pituita quippiã cum bile primũ, deinde notatu etiam digna educitur. Sũt hi multo minus quàm illi ſiticuloſi. Verũ ſi inflãmatio in ſcirrhũ degenerauerit, exigua ſalutis ſpes eſt, etſi ſtatim mors non ſuccedat. ſiquidẽ vbi iam iecur ſcirrhũ contraxit, vt valetudinem recipiat, longe omniũ naturæ difficillimũ eſt. Cæterùm vt à parte adeò præſtanti cũ laborat, proba fiat ſanguificatio, fieri nequit: quare relinquitur, vt cùm aqueus imperfectusq; ſanguis gignatur, ab eiuſmodi etiã diſtributo corpus nutriatur: quo fit vt aquæ intercutis id genus, quod ἀνὰ σάρκα nominant, excitetur, in quo ſanguis hic prauus aqueusq; diducitur quidem in corpus, at non agglutinatur. Quare ab eiuſmodi cauſſa ineuitabilem aquam intercutẽ potius procreari arbitrandum eſt. Fiunt præterea non ignobiles iecinoris obſtructiones ab humoribus eo conſ

©BIUM

confluentibus, meatusq; ob præcedentem ſiccitatem conniuent. vnde primùm cibus parcius quàm par eſt impertitur: verùm poſteà magnæ obſtructiones in ſcirrhoſum affectũ viſcus conijciunt. Porrò ſimilibus vitijs lien quoq; implicatur, ſed minus quàm ſuperiora onerant offendũtq; laborantem, faciliusq; qui in eiuſmodi inciderint affectus, euadunt. Cæterùm ſi eius noxæ plurimum creuerint, tunc iecur quod è regione illi opponitur, ſit damni particeps, temporiſq; ſpatio ad ipſum etiam iecur periculum peruenit. Porrò qualẽ in hepate creari arquatum diximus, talis etiam affecto liene oboritur, vbi eius humor in totum corpus diffunditur, verùm nigriore colore inficitur, caretq; hic affectus proprio nomine. Qui hoc arquato corripiuntur, nonnulli in ſubpallidum, alij in viridem, quidam in liuidum aut nigriuſculum colorem mutantur, pro humoris peccantis natura aut conditione, & quinis alij ab arquatis eſſe videntur. Ac ſi varijs lienoſis mẽtem adhibueris, rem ita ſe habere, vt narratur, comperies. Verùm de his hactenus. quare ad id quod antea inſtitueramus, reuertamur.

De alimenti diſpenſatione in iecinore, & vrina commoderata. CAP. XII.

Vm iã iecur per venas quæ ad vẽtrẽ intenſtimaq; exporriguntur, quicquid in ijs

ſucci, boniq; eſt attraxit, & veluti exſuxit. altera rurſus in eius cauis ſit ſecretio, ac id quod leuius eſt & ceu florem, veſica quæ iecinoris gibbæ parti adhæret (quam felleam, ſiue, vt Græci dicunt, χολαδόχον, nominant) attrahit: quod verò fæculentum magis eſt, & ægrè exitum inuenire poteſt, lien ad ſe allicit colligitq;. Reliquum demum, quod purum iam eſt, & ad nutrimentum idoneum, etiamnum cum ſeroſo hoc humore coniunctum, per caua iecinoris ad eius gibba defertur, ſeroq; hoc vtitur, vt ceu viam ſibi ſternat, quandoquidem ſanguis quòd ſic ſatis craſſus ſtagnansq; ſit, alia ratione per anguſtos vixq; permeabiles meatus ac venas penetrare poſſe minimè videtur. Verùm vbi iam ad gibba peruenit, cauamq; venam nactus, in ea quæ à Λ literæ ſimilitudine λαμβδοειδὴς dicta eſt, quæq; haud ita procul abeſt, fuerit diductus, & renes ſerum ad ſe traxerint: alia eius portio deorſum, vt inferiores partes alat, alia ad cor diffunditur, indeq; veluti ex altero fonte ad reliquas corporis tum partes tum membra emanat. Non eſt igitur à ratione alienum, quod ex humore qui cum ſanguine diutius eſt conuerſatus ac commoratus, plurima reſciſcere liceat, non ſecus quàm ſi ex loco qui nobis cordi eſt, nuncius minimè mẽdax emitteretur. Quòd ſi etiam alter

qui

qui diutius quàm ille fuerit cunctatus, aduenìat, post ipsam scilicet insequentem sanguinis mutationem. quam subsidentiam, Græci ὑπόστασιν, in vrinis appellare consueuimus, pauca admodum eorum quæ ad concoctiones pertinent, illum quidem qui diligentius nostra hæc scripta euoluerit, latere poterunt. Quare à commoderata vrina, ceu regula quapiã nostri instituti cursum tenentes, ita ad eam quæ à commoderata longius abest, & naturalis est, progrediamur. Vrina igitur in homine vndiquaq; commoderato præstantissima, est subflaua, aut subrufa, consistentia commoderata, quæ potus quantitati proportione respondet, cuiq; subsidentia alba, læuis, & æqualis est. hæc nobis contemplationis de vrinis norma proponatur. Cæterùm quoniam hæc definitio, de quantitate, colore, consistentia, & contentis agit, de horum vnoquoq; latius etiam disserendum est, ac primùm de coloribus.

De coloribus in vrinis ac dignotione quæ inde habetur. CAP. XIII.

VRinæ ob humores, humorũq; complicationes, & differentes concoctiones, multis variisq; coloribus inficiantur, vnũ perpetuò est memoria tenẽdum, quòd quæ propius ad naturalem accesserint, illæ quoq; securiores sint, quippe quæ salubres, non solùm colores, verùm

©BIUM

verùm etiam consistentiam, & contenta mode rata comitantur. Nã si alioqui multũ ab ijs desciuerint, solis fides coloribus nõ est adhibenda. Quæ à cõmoderato ad retusum remissumq; colorem abeunt, eæ pallidæ aut subpallidæ erunt, charopæq; & candidæ, ceu aqueæ ac lacteæ. Atq; hæ pro maioris minorisq; ratione, errorẽ in coctione denotãt. nam pallidæ à concoctione minus abesse indicãt. subpallidæ magis, & post eas charopæ. at candidæ & velut aquæ, naturam humorũ concoctioni manus propemodum non esse admolitam significant. fiunt autẽ hæ, cùm frigus, aut ob temperamentum, aut victũ, vel ætatem, frigidúmve morbum præualuerit. Nonnũquam tamen in phrenitide pernicioſa, & morbo pestifero, ac nõ contemnendis obstructionibus, vrinæ quibusdam candidæ apparẽt. atq; in alijs inficiẽs humor veluti suprà natare, aliæ ceu percolatæ visuntur, quas à crudioribus humoribus putribus ac nondum secretis conflari censemus. Quæ diligentius animaduertenda sunt, ne perinde tibi ac vulgo imponant, ansamq; errandi præbeant. Porrò vrinæ quæ à cõmoderato ad candorem recedunt, eiusmodi sunt, talesq; habent causas: quæ verò pluſculum tingũtur, primùm ruſæ erunt & flauæ, deinde subrubræ & rubræ, posteà vinoſæ & cæruleæ, adhæc virides & liuidæ, atq; ita demum

mum nigræ. Et ruffæ flauæq; euadunt, ob mediocrem aliquã febrem, qualis eſt diaria, ob laſſitudinem, vigiliam, victũ calidiorẽ, & quodcunq; animo cõcipere potes, quod calorem mediocriter augere valet: ſubrubræ verò & rubræ, quidnam aliud, quàm aut calorẽ iam eſſe, aut paulo pòſt fore, ob ſanguinis nondum probè confecti multitudinem indicauerint? hinc ſanè ſynochas febres occaſiones ſibi arripere aſſerunt. Atqui vinoſæ, cæruleæ, & virides, ſanguinem iã ad aliud prauitatis humorũ genus degeneraſſe commonſtrant: quinetiam biliоſos putres humores vigere, qui multiformes ſunt, pallidi, flaui, glaſtei, præterea quidam & æruginoſi, porracei, rubri ac nigri. Cæterùm nigri colores cæteris ſunt deteriores, frigusq; ingens, ſi liuidæ præceſſerunt vrinæ, ſignificant. nigreſcunt nihilominus etiam vrinæ ob maximum calorem, cùm humores ſuperaſſantur. verùm hæ ab illis diſcernuntur, quod has vinoſæ, cæruleæ, & virides præire ſolent: Quare cùm ad ſummum ferè prauitatis peruenerunt, plerunq; mortem portẽdunt. ſiquidem eos ſolos qui diuturnis quartanis aut melancholia correpti eſſent, in quibus nimirum noxius humor, iudicij ratione excerneretur, cum eiuſmodi vrinis ſeruatos eſſe memini, & virides, prauæ cuiuſdam corruptæq; bilis exaſſationem innuunt.

Deniq;

Deniq; quæ oleagino colore inficiuntur, oleiq; ſpeciem præ ſe ferunt, oleoſæq; ſunt, vt plurimũ in hecticarum febrium principijs, cùm iam pinguedo colliqueſcit, exiſtere ſolẽt. E quibus quæ olei colorem imaginemq; referunt, pinguedinis iam incipientis liquari, notæ ſunt: oleoſæ verò, eam liquatam eſſe indicant. Atq; hæc de coloribus dixiſſe, prout breuibus perſtringi potuerunt, ſufficiat: ſequitur vt de fuſionis conſiſtentia agamus.

De dignotione ex vrinarum conſiſtentiis.

CAP. XIIII.

QVemadmodum anteà in alijs medium quoddam inter extrema collocauimus, ita hic quoq; moderata conſiſtentia proponẽda eſt. nanq; admodum tenues fugiendæ ſunt, vt quæ ſummam cruditatem connotent, & valde craſſas, æquè malas arbitrari oportet. nam illæ naturam ob qualitatem aliquam ſimplicem pluſculum auctam, aut humorum quorundam quantitatem, cõcoctionem non eſſe aggreſſam indicant: hæ verò id ipſum ob quantitatẽ potius quàm qualitatem euenire nunciant, atq; idcirco ſplendent illæ, & per quàm pellucent: at hæ perturbatæ ſunt turbidæq;. Cæterùm quibus conſiſtentijs conſpiciuntur colores, humores & malitiam ipſorum quanta ſit edocebũt. nam minus malæ ſunt tenues conſiſtentiæ, ſi colores,

colores propius ad ſubrufum, & ſubflauum acceſſerint, ſic ex craſſioribus meliores illæ quæ tenuibus ſuccedunt, atq; ex his quæ citò ſeque ſtrantur ſubſidentq; præferendæ ſunt. nam quæ ab initio craſſæ ſunt, nec ſegregantur, peiores cenſentur, vtpote quæ plenitudinem, facultatisq; concoctricis imbecillitatem arguant. Et plurimùm tenues conſiſtentiæ, conſentientibus interim coloribus immodicã frigiditatem ſiccitatemq;, & magnas obſtructiones, aut viſcerum ex intemperie quapiam debilitatem, vt plurimum ſignificant. Indicant nihilo ſecius & calorem cum ſiccitate, ſi ei colores vnà cum conſiſtentijs permixti, atteſtentur: atque idcirco vigiliæ potius & tenebricoſæ vertigines, quos σκοτοδίνους vocãt, ciborum faſtidia, & ſites, ac eiuſmodi quidam caſus inſequuntur. Porrò crudæ, turbulentæ, craſſæq; vrinæ, humores, quos colores oſtentant, vigere ſignificant, atq; vt plurimum hîc ægros, ſiti minimè infeſtari cernas. Verùm quòd plurimi vapores ob multitudinem ab humoribus attollantur, capitis grauitates doloresq; comitantur. Quinetiam hi non ſecus quàm illi cibos faſtidiunt, etſi non ijſdem de cauſſis. nam cùm illic ſiccitas dominetur, opus eſt vt ipſa perinde ac cibus ſiccus humectetur: at hîc poteſt humoribus qui præſentes & ad manum ſunt, perfrui. Cæterùm

terùm de fusionis consistentia breuitati studentibus hactenus satis sit: reliquum est, vt iam de contentis dicamus.

De dignotione ex contentis vrinarum.

CAPVT XV.

QVoniam candidum, læue, æqualeq; sedimentum sanum, ac secundum naturam esse asseruimus: non iniuria quæ talia nõ sunt, pro bonis minimè sunt habenda: atque eo ad deterius prolapsa, quo magis ab eo quod secundum naturam commoderatumq; est, recesserunt, quod in colore, consistentia, situ, æqualitate & læuitate consistere solet. Verùm de subsidentium coloribus tractatio idem nos docebit quod etiam infusionibus demonstrari asseuerabamus. ac tanto hos deteriores esse putato, quam ij qui in fusionibus visuntur, quanto colores qui sunt in sedimẽtis secundum naturam, candidi magis conspiciuntur. Cæterùm haud decet penitus ignorare, crudos quosdam lentosq;, & qui ægrè incidi possunt humores interdum in vrinis subsidere, & falsam quandam probi sedimenti imaginem præbere. Verùm hi & alia ratione dijudicantur, & maximè quòd paulatim concoquantur & dissoluantur. At verò pallida ac rufa sedimina, biliosum quẽpiam humorem sanguini admistũ esse indicant: subrubra verò ac rubra, necnon

liuida

linida, nigraq; , quales etiam fusionum proponebam colores, humorum sanguineum vigere insinuant. Verùm enimuero quæ eruũ referunt, ἐρυθροειδῆ Græcis appellatæ, subsidentiæ , & furfureæ, et lamineæ, ac similaceæ, carniũ solidarumq; partium colliquationem ostendunt. quòd si vniuersum corpus febres obsederint, totum corpus liquari significant: verùm si febris aliqua hectica defuerit, solos renes, ac vesicam malè affici commonstrant, atq; cùm hi affectus incipiunt, subsidẽtiæ erui similes apparent, vbi iam increuerunt, furfureæ : quòd si in deterius prolabantur, ac iam solida attingant, lamineæ similaceæq; fiunt, quæ nimirum maiora crassioraq; frusta habent. hæ sanè pessima semper ægrotantibus minitantur. Itaque in vniuersum scire licet, crassas subsidentias facultatem concoctricem nondum præpollere portendere, siue hoc ob propriam ipsorum imbecillitatem, siue crassitiem, humorum' ve multitudinẽ eueniat : tenues verò dominantis iam facultatis notas esse. Sed nec illud latere decet, quòd iam matulæ fundus, propria sit sedimenti naturalis sedes, si ad loca media supernaq; magis abeat, sublimamenta quædam, quæ ἀναιωρήματα vocant. ac nubeculas, quas νεφέλας appellant, efficit, spiritu aliquo calidiori ea propellente, ac sursum protrudente. Proinde non ab re quispiam

piam existimauerit, caput aggrauari, & feriri: quòd spiritus id veluti commisceat, & humores qui viscera exagitant, propositurae subsidentiae portione sursum impellat. Verùm vbi caussae infestantes fuerint dissipatae, ipsae quoq; ad sua secundum naturam loca reuertuntur. Caeterũ quae ex crudis alienisq; humoribus conflatur subsidentia, (appelletur enim haec quoq; communi nomine subsidentia, vt Graecis ὑπόστασις) naturalibus, aut ijs quae his propinquae sunt, subsidẽtijs loco opponitur. Siquidem cùm fundum perinde ac priores & quae secundum naturam se habent, occupat, magnam concoctricis alteratricisq; facultatis debilitatem denunciat. Quòd si media sublimioraq; matulae petit, naturam cõcoctioni manum admolitam esse censere oportet: eoq; magis, quo ceu nebula sublimior fertur. siquidem paulo pòst, si animũ aduerteris, album tenueq; sedimentum in fundo considere conspicies. Itaq; ex omnibus modos concoctionumq; discrimina, quae in coloribus fusionis videlicet, quae in cõsistentijs, quinetiam quae in ipsis sedimentis conspiciuntur, ratiocinatione colligere decet. Quare si teipsũ gnauiter exercueris, vt ex eiusmodi coctionum humorumq; differentias inuenias, plurimum tibi ea methodus prodesse poterit, quo ex singulorum horum decrementis incrementisq;

concoct

concoctricis facultatis actione accuratè perfecta, de præsentibus ac futuris iudiciũ minimè temerarium feras. Cæterùm tractatio de vrinis hactenus sufficiat. nam si maiorem ac diligentius examinatam cognitionem desideras, poteris opus nostrũ quod priuatim in septem libros distinximus, euoluere, omnemq; de vrinis contemplationem perdiscere, non parum ad ægritudinum notitiam inde vtilitatis reportaturus. illic nanq; vrinarum differentias ac dignotiones sigillatim exquisitè explicatas conspicies, caussasq;, & prænotiones additas reperies. nam hic, vt compendij ratio postulat, succisa tractatione principia tantũ ac argumenti capita proponuntur: quòd vel hæc prudentissimo viro & tibi adsimili satis esse persuadeamus. Verùm quandoquidẽ ad ipsum cerebrum delati sumus, age de eius functionibus, ac affectionibus quæ necessaria sunt tradamus: quo vbique oratio nostra absoluta integraq; sit ac secura, quamuis alioqui compendium distinctæ tractationi noceat.

De cerebri dorsiq; medullæ affectibus.

CAPVT XVI.

CErebrum itaq; cùm origo fonsq; sit sensus ac motus, neruorum processus motusq; non paucas progignit, & nunc oculis,

Actuarii Joannis filii Zachariae operum - page 49 sur 731

nunc faciei vniuersæ ac linguæ motum aut sen
sum præbere videtur. Verùm quia fieri non po
terat, vt nerui adeò affectibus expositi, et quã
longissimè progressuri, citra tutum aliquem co
mitatum, à cerebro dimitterentur, motum sen-
sumq; traduturi: dorsi medullam, eiusdem qua
cerebrum naturæ, produxit, quæ colli spinæ, ac
reliquorum perreptans vertebras, statis qui-
busdam interuallis, neruorum emittit cõiuga-
tiones quasdam, quæ sensum motumq; mẽbris
subiectis ministrant. Quare cùm singulis mem
bris, qui motum & sensum tribuant, dati sint
nerui, (per eos nanque spiritus animalis, qui
ortum initiumq; à cerebro ducit, transmitti-
tur) si nihil ijs obstiterit, membra suis secun-
dum naturam motibus sensibusq; vitè ac pro-
bè funguntur. Verùm si quid aut ab intem-
perie qualibet, aut mutilatione dissectione ve
vel infarctis humoribus nerui senserint vitij,
membra quæ subsequuntur, motu sensuq; aut
eorum altero (quidam enim nerui sensum, alij
motum suppeditant) statim priuantur. Quin-
etiam eorum de caussa, membra conuulsioni-
bus tremoribusq; tentantur, quippe nerui ob
plenitudinem, ictum, & siccitatem, in sua
principia contrahuntur, tamen si ob siccita-
tem aut ictum conuelluntur, grauiori malo
implicantur: tremunt verò membra, quoties
nerui

nerui hoc quod nacti sunt, ob facultatis imbecillitatem, aut quòd spiritus paucior affluat, vel neruus ipse affectus sit, vt facultatẽ à cerebro eo proficiscentem, integrè deferre nequeat, continere non possunt. Quapropter si quando manus, aut cruris, vel cuiuspiã ex minoribus partibus sensum motum've oblæsum esse conspexeris, eos neruos qui patientibus partibus sensum motũq; subministrabant, offensos esse arbitrator: sic siquæ cõuelluntur, aut tremũt, id facultati partim victæ, partim vincenti alternis vicibus tribuito, quòd nimirũ grauia ratione naturali deorsum abeant, sed ijs facultas attollens renitatur, atque ita cũ æquis ferè viribus & oppugnantia & reluctantia decertant, tremor vitium oboritur. Cæterùm scire licet, quòd cuiusmodi vitia affectis neruis oboriri solent, eadem ferè dorsalis medulla parit: quippe quæ alterum sit post cerebrum neruorum principium, nanque ijs conuulsis distensiones, qui τέτανοι appellantur, oboriuntur. Et si in neutram partem conuulsio magis propendet, sed erecti, ac statuarum instar nusquam inflectuntur agri, id vitij genus peculiari nomine τέτανος, et nobis neruorum distensio nuncupatur. At si in pectus magis conuelluntur, ἐμπροσθότονος: quẽadmodum si in dorsum et scapulas cõuulsio inclinat,

©BIUM

ἐπισβέσεως affectus denominari solet. Atq; eorum omnium causſæ, dorsi medullæ ictus, & refrigerationes, ac eiusmodi quidam humores confluentes censentur. Adhæc qui eo vitio correpti sunt eandem perpetuò figuram conuulsi retinent, & os aperire, aut aliqua ratione moueri nequeunt. quare hæc omnia, non immerito ad neruorũ vitia referas. Quòd si cerebrum primaria affectione laborauerit, & vitium totum corpus obsederit, hæc atq; huiusmodi alia argumenta ac indicia proponẽtur. Quinetiam ob consortium cerebrum affici deprehenditur, si nimirum æger, quæ qui mente sibi constant, non loquitur, aut lingua præpeditur, vel reliqua sensus instrumenta flaccescunt: sed melius quoque, si delirat & furit, si vix & tardè ad interrogata respondet, si veternus prehendit, & oculi conniuent, si insomnis plus quàm par est vigilat, si repentè perinde ac si formidolosi quippiam inuaderet, contrahitur, si denique nullius meminit, sed præter rem absurda loquitur. hæc nanq; atque id genus alia vbi superuenerint, cerebrum malè affici significant. Et quamuis eorum quædam suæ constitutionis initium aliunde habeant, attamen hæc tanquam ob consensum laborãte cerebro, se produnt. Porrò frigidi humidi'ue succi, aut eiusmodi quædam intemperies, vel vtrunque stultitiam,

titiam, μώρωσιν Græci nominant, carum, lethargum ſoporem, ac ſomnum pigrum excitare ſolent. Quòd ſi præterea ij humores computruerint, illis languida quædam febris coniungitur. Verùm vigilia immoderata, & phrenitis, à calore vel ſiccitate, aut etiam earum qualitatum vtraq;, vel nuda quapiam intẽperie, aut ſuccis eiuſmodi vaporibus ve, ortum ducant. nam quædam partis humorem abſumũt, atque idcirco ijs quos commemorauimus, ſpiritus ad motum aptior eſt, quædam contra irrigant humectantq;, quare eum ad motum ſegniorem reddunt. Porrò furor, qui μανίαν dicitur, ac melancholia, ferè ſemper citra febrim oboriri ſolent: & ſanguis aſſatus, primus eſt ipſorum fomes: poſt hæc verò, bilis atra. Quòd ſi hæc atra bilis è flaua fuerit cõflata, ferinum formidoloſumq; furorem efficit, quo laborãtem vel à carnibus proprijs minimè abſtinere compellit. At morbus comitialis, quem humor pituitoſus, qui qua ſpiritus egreditur, infarcitur ac decumbit, aut melãcholicus procreat, totius corporis conuulſionem infert, aut in acceſſione ſenſu priuat, verùm ſimul atque ſymptomata conquierunt, nihil noxij aut moleſti ægris inde obtigiſſe exiſtimatur. Oritur hic, cùm cerebrũ primum afficitur, nẽpe vbi inſueti quidam humores, craſſioresq; vapores, qui ſpiritus exi-

©BIUM

tum obſepiunt, obſtantq; quo minus facultas ſenſum miniſtrans, foras prodeat, hincq; ex humorum ſpiritusq; certamine ac luctæ conuulſiones inſequuntur, & ſpuma quæ nihil aliud eſt quàm ſpiritus humorumq; miſcella, ore profunditur: quòd videlicet obſtructio præcipuas partes fatiget. Fit nihilo ſecius et alter comitialis morbus, commercij lege, quem praui à ventriculo corruptiq; humores & vapores exhalantes progignunt. Eſt præterea aliud quoque ſacri morbi genus, quod à membri alicuius aura, quæ perinde ac venenatorum virus, frigida corruptáque ad caput vbi iam anteà pernicioſus ſuccus collectus eſt, aſcendit, committitur. Cæterùm adeò hoc à ſuperioribus differt, vt noxij illius halitus, qui motu ſuo ſurſum cietur, ſenſum quendam percipiant ægri: quod nimirum vitium cerebrum primaria affectione antè huiuſmodi ſenſum occupauerit. Qui verò ob ventriculi conſortium id morbi genus pati conſueuerunt, veluti in meditullio conſiſtunt: quòd neque penitus ſenſu deſtituantur, neque vt hi poſtremi affectus motum adeò promptè perſentiant. Atque hæc ſunt morbi ſacri comitialiſque ſpecies. At verò θεσπιῶν, quaſi numine obſceſſos & diuinaculos dixeris, affectus, melancholicæ eſſe ſpecies cenſeri poteſt.

Hi nanq

Hi nanq; à maiori aliqua vi afflari videntur, & modò non futura prædicere, ceu nituntur vates quidam. Alij ea quæ nihil formidolosi ostentant, expauescunt, & temerè conuelluntur: animum item despondent, ac hominum commercia fugitant, ægritudo verò aut in risum, aut in feritatem desinit. horum affectuum ille μανία, & furor nobis, hic μελαγχολία nuncupatur. Eius quoque generis fuerit, quæ λυκανθρωπία, ceu homines lupinam quandam naturam induerint, appellatur. qui hac detinentur, nocte intempesta hac illacq; circumcursitant, atq; in monumentis solitudinibusq; oberrant luporum in morem: verùm interdiu reuertuntur, & ad sese redeunt, ac domi residunt. His pedes cruraq; cruenta sunt, quòd in lapides & spinas impingant, oculi linguaq; squalent, siti enecantur, & debiliter intuentur. Nolim dicere quid alijs vsueniat, quorum hi mortem perpetuò expauescunt, illi contra expetunt. sic nonnulli vulgi cœtus deuitant, & quantum possunt silentium sibi maximum indicunt: quidam rursus, nisi cùm alijs conuersentur ac exhilarentur, tumultuantur, & admirabundi obstupent. Atque horum omnium caussa est, infectantis humoris tum quantitas, tum qualitas: adhæc locus, quem dum propius accedit, animæ ibidem actionem proritat

atque excitat. Porrò qui incubo noſtris, & ἐφιάλτης Græcis dicitur, vitiũ quod in ſomnis prehendit, ſua quidem natura non admodum prauum eſt, verum magna quædam mala portendit. Siquidem morbi comitialis, melancholiæq; ſpecies, morbum item attonitum, atq; ea non procul abeſſe, ſi frequens incubus inuadit ſignificat. Vocatur autem Græcis ἐφιάλτης, quòd quiſpiam ægros inſultare videatur, vt nobis ab incubando incubo. nam qui eiuſmodi malo corripiuntur, ceu quendam incumbentem ac ſtrangulantem perſentiunt, neq; membrum vllum ſuum dimouere queunt. Fugere verò eum, ſi digiti velut in aceruum contrahantur, aſſerunt. Hic continuas cruditates inſequitur, & corruptorum vitioſorumq; humorum, qui in ventriculo coguntur, fit comes. Quare etiam huic inter cætera, ne cruditates faciat, proſpiciendum. Atq; vitium quod à tenebris Græci σκοτωματικὸν, noſtri vertiginem nominant, & ipſum caput tentat, nec vortices rotas'ue ægros intueri permittit, quippe quod viſus una commoueatur, oculisq; tenebræ idcirco offundantur. Quinetiam ſi ipſi vehemẽtius commouentur, eadem perpetiuntur. Mali cauſſa ſunt vapores vel humores qui exhalãtes, anteriores cerebri ventriculos petunt. & ſpiritum qui inde prorumpit, interturbant ac

concut

concutiunt. Cæterùm quod pro quatuor humorum diuersitate, diuersi quoq; animales affectus procreentur, vel ex ijs humoribus qui sigillatim redundant & præpollent, liquidò constat. Nam quemadmodum sanguis ob quandam sui mutationem ac situm quem in cerebro nactus fuerit, peculiari ratione furorem constituit, & atra bilis melancholias, ac flaua phrenitin creat: ita coma siue soporem, & stultitiam: lethargum item, ac sensus difficultatem, quædam pituitosæ substantiæ collectio, & regurgitatio progignit. Attamen humores vt plurimum inter se permiscentur, suosq; in missionibus excessus per symptomata propria produnt. Verùm ea propter ignorandum non est, quinam humores cæteris præpollent, vbi semel eorum proprietatem, ac sua cuiusq; indicia & notas perspexeris. Quin & id nouisse decet, memoriam aboleri, vbi postremus cerebri vẽtriculus est affectus, idq; siue intemperies quædam, siue humor eò confluens, eius actionem labefactauerit. Imaginatio verò deperit, si qui in anterioribus est ventriculus patiatur: vt si medius cerebri sinus offenditur, ratiocinatio potius collabat. Atqui huius offensam, illæ vt plurimum insequuntur: sed si alter illorum afficitur, vt ratiocinatio quoque noxam sentiat non est necesse. Insuper nec illud latere debet,

Actuarii Joannis filii Zachariae operum - page 57 sur 731

quod cùm præcipuæ principesq; partes patiuntur, illæ etiam quæ inde pendent, præcipuè si loci vicinia adsit, consentiũt, non tamen necessum est, vt si ignobiliores noxam sentiant, ea nobiliores quoq; pertentet. nanq; cùm illic mediocre vitium infestat, id ea quæ loci vicinitate coniuncta sunt, etiam inficit: at hîc opus est vt in affectis partibus, multũ noxæ increscat, quo principaliores à vicinis suis vitientur. Cæterùm de cerebri & dorsi medullæ vitijs tractationi finis imponatur, vt prorsum progrediamur.

De pulmonis thoracisq; affectibus.

CAP. XVII.

AT verò quoniam post prima principia, alia rursus existũt, quæ si dignitatẽ spectes, cedere, attamen nihilo quàm illa minus vitam tueri solent, pulmo inquam & thorax, adhæc venter, & quæ infra ventrem sunt, vt de ijs quoq; quantum res exigit, pertractemus æquum est. Itaq; thorax quæ inter guttur ac septum transuersum, pectus, dorsum, ac vtrinq; latera intercedunt, complectitur: & à neruis qui per collum demittuntur, suum obtinet motum, quo & pulmo & succingens tunica, necnon intercostales musculi, & quicquid intra eius terminos concluditur, vnà cientur. Aër porrò in inspirationibus per fauces asperamq; arteriam, refrigeraturus ac nutriturus suscitaturusq;

turusq; cordis ignem, ingreditur: in expirationibus verò, quicquid fuliginosum fumidumq; indidem reperitur, excernitur. Qua de re cùm thorax benè valet, vndiquaq; commoderata est respiratio: etsi effatu dignam sentit alterationem, ipsa quoq; quàm ocissimè commutatur. atq; si calor increuerit, maximæ celerrimæq; fiunt respirationes: sin frigus copiosum præcesserit, contrà se habent. sic vbi pars quæpiam vehementius indoluerit, par est vt respirationes paruæ densæq; fiant: magnæ verò & raræ, cùm interdum delirium vrget. atque hæ alterationes communi sanè ratione, cùm vniuersum corpus afficitur, eueniunt. Cæterùm cùm thorax multis varijsq; affectibus corripiatur, tum alia ratione, tum maximè respirationibus, idq; certius, eius vitia deprehenduntur. Atque respiratio abolita aut deprauata (quod in morbo attonito, & semiperculsis, hoc est ἡμιπληξίαις, atq; veteri præfocationibus vsuenire solet) primorum neruorum, quæ motum thoraci largiuntur, sunt vitia: respirationis verò difficultatem partes quæ circa thoracem malè afficiuntur pariunt. Nam cùm humor quispiam, qui spiritus vias obsepiat, influit, eius difficultatem infert: aut quando pars aliqua thoracis inflamatione tentatur, aut indurescit, & scirrhũ contrahit, tunc

contin

continuæ denſæq; reſpirationes efficiuntur, quales in membranæ thoracem interſepientis, & ſepti tranſuerſi, ac ſuccingentis coſtas membranæ inflammationibus, & ſcirrhis, ac reliquis doloribus quacunq; tandem de cauſſa excitatis, fieri videmus. nam cũm ſatis dilatari ob impediens vitium, nequeat, vſusq; vrgeat, id quod deeſt, continuis & paruis dilatationibus ſuppletur. Eiuſmodi in paruis quoq; euenire diximus, vbi frequentia, ſiquando vſus inſtat, adaugetur. Cæterùm quibus pulmo per ſe offendi ſolet, ſunt venarum ſuarum ruptiones, arteriarum ſuppurationes & tabes: quæ quod humor indidem collectus exitum vi quærat, tuſſes ſtimulantes inuehunt: ſed quod ſpiritus iter interdum ab eo infarciatur, ſpiritus quædam difficultas ſuccedit. Atque cùm ita propria noxa moleſtat, quòd perpetuo motu agitetur, perquàm exigua ſpes eſt ſalutis. Siquidem omni cum vlcere inflammationi quancunq; tandem partem obſederit, motus aduerſatur: ſed & alioqui pars hæc ſua natura ægrè expurgari poteſt: quo fit vt prius quàm id quod noxium eſt educatur, ſerpẽs vlcus cohærentes partes erodat abſumatq;: quod copioſiori morboſoq; calori ſit peculiare, vt adiacentia quæq; putrilagine vitiet. At ſi aliunde confluens humor ſpiritus vias obſederit, ſpiritus quidem

quidem difficultas eum comitatur, qui obſtructionis magnitudini pro portione reſpondeat: verùm non ſemper inde pulmonis eſſentia offendi conſueuit. Quare ſi à capite fluxio duxerit originem, & cumulata pituitoſaq; fuerit, eas quæ peculiari quodam nomine nuncupantur, δυσπνοίας, id eſt, reſpirationis difficultates efficit: quæ ſi intendãtur, in ἐμπύημα migrat vitium, quod quia non niſi recta ceruice ſpiritus trahi poteſt, à figura ſibi nomen inuenit: atq; hîc ſpiritus difficultas ſatis inſignis eſt, quòd lenta quædam pituita in pulmonis vaſa confertim irruat. Sed æquè quoq; difficilis trahitur ſpiritus, ſi calidiores fluxiones à capite deferantur, velut in pulmonis inflammatione, quam περιπνευμονίαν, & noſtri quidam pulmoniam nominant, vſuuenire conſueuit, vbi nonnunquam in gutture, & gurgulione ac glandulis linguæ adhærentibus, ἀντιάδας Græci appellant, primum humor firmatur, & nonnunquam affectus anginoſos excitat, licet poſteà in pulmonem decumbat. Atq; hi perrarò euadunt, quod morbi acumẽ, coctionis tempus anteuertat. Cæterùm æquè atq; hæc praua malignáq; eſt altera pulmoniæ ſpecies, quando intercoſtalibus muſculis, & tranſuerſo ſepto, ac ſuccingente membrana inflammatione abſceſſúq; obſeſſis, derepẽte totus

fluxus

fluxus in pulmonem ingruit. nanq; pulmo, debilitata iam facultate, veluti nouo facto principio, noxam excipiens, non amplius id quod infestat propulsare potest: si quidem iam antea æger ob expuitionem est defatigatus: quocirca etiam paucos, in grauibus adeò affectibus necem effugere conspicies. Porrò quoniam & inflãmationes, & scirrhi, & dolores quiuis partium ad thoracem spectantium ob antecedentes aliquas causas excitati, eum quantũ vsus postulat, dilatari non patiuntur, reliquum est vt quod opus est densitate sufficiatur, atq; idcirco homo difficilem spiritum ducere videtur. nanq; tum doloris sensus, tum si quis tumor & scirrhus fuerit impedimento, obstat quo minus thorax amplius attollatur. Qua de re eiusmodi omnes magis minusq; difficulter respirare, pro mouentium musculorum vicinitate, ac offensæ magnitudine comperies, nisi locus affectus longius absit, & maioribus quidem inspirationibus indicetur: verùm alioqui hominem non fatiget. Atqui omnium difficulter spirantium, siue ob paruas continuasq; quasdã inspirationes, siue ob maximas: adhæc dolorem & vim sentientiũ, vt amplius externũ aërem facilè admittere nequeant (siquidem communi nomine hæc omnia iam sunt difficilis respirationis genera nuncupanda) vnicum sanè maximum

ximum est remediũ, nempe vt à continentibus fouentibusq; causis promptè liberentur : alioqui vt ab impendenti vllus periculo elabatur fieri haud potest. natura enim in spiritus difficultate tempus trahi non concedit : quod cordis gratia, pulmone, si quo alio, opus habeat maximè. Siquidem quod cordi proximus sit, suos leui momento affectus cùm eo communicat. Absoluitur porrò æger euaditq;, si inflammationes ilico concoquantur, & humores facile tussi educantur, qui & ipsi suo colore ac consistentia naturæ, in sanitatẽ nutum & propensionem denunciant. Neq; hæc omnino negligere oportet, quòd ad vitiorum thoracem obsidentium dignotionem, plurimum conferãt. Atq; ab ijs qui priuatim difficulter spirantes, quique ἀναφορικοὶ, Græcis, hoc est, ægrè extussientes nominantur, spumosa, & humecta, & lenta, ac demum crassa expuuntur : quæ sanè celerem solutionem, pro tussis expuitionisq; facilitate, promittunt. Quòd si tardè ac non nisi post continuæ tusses ægrè educantur, aut crassitiem, vel lentorem, aut copiam cruditatem'ue humoris, aut naturæ infirmitatem significant, idq; omni quod tussi effertur commune esse putato. Nec te lateat velim, eos solos dyspnoicos anaphoricosq; superstites euadere, quos alvus melior, aut vrinæ cumulata excret.

excretio à morbo vindicauit: cùm nimirum humor repente eò procumbit. Porrò cùm in pleuritide, pulmonia, tabe, & reliquarum thoracis partium abſceſſibus, ſordes tuſſi facilè redditur, ſalutare ferè ſecurumq; eſt. at ſi in vſqueadeo potentibus affectibus aluus turbatur, vt plurimum periculo res vacare non ſolet. nam quia ex continua alui excretione facultas languidæ exoluitur, humor tardius & vix tuſſi trahitur. prius enim quàm ſupernè exeat, in pulmonis caua delabitur, neq; quòd præ imbecillitate æger ſuccumbat, tuſſi amplius educi poteſt, vt iam periculum immineat, ne inſpirationis viæ inde occludantur, ac cordis ignis ſuffocetur, quippe ſputa non facilè ſuccedunt, nec etiamnum ſunt concocta. Sputa in pleuritide ac peripneumonia, quæ ex coctione conſiſtentiam quandam acquiſiuerunt, ea ſubalbida & ſubcruenta eſſe videntur. At porracea, nigra, & lenta, his ſunt contraria, etſi difficulter redduntur, ac ſerò tandem in morbo exiſtunt cum virium robore, longitudinem, ſed cum imbecillitate, vt plurimum mortem denotant. Verùm deterius eſt tuſſim non accedere, aut ægrum nihil effatu dignum expuere. hæc nanq; omnia morbi malignitatis, facultatisq; infirmitatis ſunt indicia. Cæterùm vs qui ſanguinem ſolùm tuſſi educũt nulla adeſt ſpiritus

diffic

difficultas, nisi quando in ipsius vias sanguis cõfluxerit, idq; vena arteriáve quapiam, quacunq; tandem de caussa rupta. hæ nanq; propter casum, aut ictum, vel violentam validamq; vocem, siue erosionem ac osculorũ apertionem, cruorem fundunt. Atque reliquorum quidem manifestæ sunt caussæ. verùm erosio ob acrem erodentemq; eò confluentem humorem, qui in teneris particulis cõmoratus suam malitiam cum vicinis communicat, euenit: oscula autem venarum, arteriarúmve ob retentricis facultatis imbecillitatem, vt verisimile est, aperiuntur: sed & ob tenues, acresq; fluxiones stimulantes, & demum ob copiam vim facientem, reserantur. Et quæ tenuia, flaua, & spumea sunt, arteriam potius: quæ verò purpurea, & crassiuscula, venam ruptam esse connotant. Adhæc sanguinis quantitas, vasis magnitudinẽ denũtiat. Atq; quæ colorata admodum perspicuaq; sunt, sublimiores thoracis locos: quæ verò nigricant, & liuida sunt, ab imo trahi significant. Sic quæ à pulmone reduntur, spumea ferè apparent. at quæ aliæ partes reiiciunt, non item. Porrò omnibus quæ è thorace educuntur, cõmune est, quod tussi reduntur: quemadmodum vomitus symptoma est eorum quæ per gulam ducuntur. Locum autem affectum dignosces, aut ex thoracis gra-

nitate, aut dolore qui in maioribus respirationibus in patiẽte loco persentitur. at proprium maximè in nondũ ruptis abscessibus est, quòd in illud latus, cui abscessus insidet, æger facilius decumbat, quàm in aduersum & oppositum, propterea quòd in oppositũ cubanti quiddam veluti pendeat & grauet, ac respirationem confundat. Hi porrò disrupti aut sursum vel deorsum prorumpunt, idq; aut cum tunicis eos ambientibus, (quod sanè etiã securius est, non enim illic denuò ỹdem consistunt) aut simul atq; humor eductus est, postremæ mẽbranæ quoq; dissolutæ prodeunt. nam non exiguus est metus, si non egrediuntur, ne abscessus iterum confletur, veluti liquore aliquo reliquo, qui paulo pòst futuri abscessus sit caussa. Humor autem qui diffractis ỹs emanat principiò leuis esse, & cum cruore in coctione consistentiam, atq; vt plurimum eandem speciem habere, nec grauiter olere, facileq; educi, & æger melius morbum tolerare debet. nam qui eusmodi non est, & longitudinem, & malignitatem morbi significat.

Affectuum qui ventrem tentant dignotio.

CAPVT XVIII.

DE spiritus instrumentis quæ consentanea sunt explicauimus, nũc ad ea quæ alimentũ excipiunt, est transeundum, ac quomodo

modo & à quibus cauſsis afficiuntur, quidq; quæ inde vel per aluum ſubeunt, vel per vomitum redduntur, indicant, exponendum. ita enim progrediente ſermone, ſi cibus ventriculum non aggrauauerit, nec qualitate momorderit, alteraueritq;, atq; ſi ipſa ventriculi ac ventris ſubſtantia & facultas bene valuerit, leuiter concoctio fertur, nec vlli vel exigui, & doloris expertes fiũt ructus, atq; inteſtina poſt ventriculi concoctionem alimentum excipientia, nihilq; inde oneris ſentiẽtia (vbi quicquid ibi humidi eſt ſibi aſſumpſerunt) interuallo quod ſatis eſt interiecto, ſuperuacaneum leui negotio citraq; dolorem explodunt, læue, molle, & ſatis pallidum, vel ſaltem ſubflauum, niſi ab aliměti tinctura, alio colore inficiatur. At tamen quæ euacuantur, cum cibo conuenientiam quandam in qualitate ac quantitate ſeruare debent, quippe ſi aſſumpta quãtitate aut qualitate à commoderato receſſerint, aut intemperies aliqua tentauerit, vel humor quiſpiam alienus infarctus, alimenti inſtrumenta labefactauerit ac vitiauerit, multi varijq; affectus exoriuntur. Et cibus potusq; ſui copia onerantes, aut vomitus, aut alui profluuij cauſſa eſſe aſſolent, vel ſi vomitu lotio' ve non redduntur, tardam coctionem ac cruditatem procreant. Quòd ſi in qualitate multũ à com-

moderato abſceſſerint, ſi quidem quæ excedit calor fuerit, morſus ſtomachũ inteſtinaq; pungens, dolor capitis, & ructus nidoroſus inſuauisq; oboritur: ſin frigus vincit, flatus excitatur, et ructus eſt acidus, aut alius qui cibi qualitatem indicet, & circa vmbilicum inteſtina torquentur, γόφον Græci nominant, & fluctuatio vexat. Atq; hæc vomitu, aut fæcũ deiectione, & pauco ſimul ac puro cibo ſedãtur. porrò intemperies ſimili cibo nõ iniuria irritatur, vt cõtrario leuatur. Nec quicquã fortaſsis à ratione alienum accidit, ſi quæ ſimilia ſunt, ſe mutuò augere queunt, & ex quã maximè contrarijs commoderatum conficitur & temperatur: quando ſenſus, qui ratione potior eſt, nos doceat quod ſi quis calida ſiccaq; qualitate alteretur, calidis ſiccisq; maximè afficitur, & humida ac frigida poſtulat, quæ intemperiem vtpote cõtraria compeſcere poſſunt. Atq; huiuſmodi excedẽs quæpiam qualitas gignit. Quòd ſi qua fuerit humorum ibi corruptela, quid nõ mali moleſtare æquum eſt? quippe ſi frigidi, lenti, crudiq; inhæſerint ventriculo, tarda difficilisq; coctio, vertigo itidem, acidus ructus, & abſurda appetentia inſequitur. Hi vt plurimũ non ſitiunt, niſi nitroſus ſalſusq; humor infeſtarit: tunc enim ſiti ſatis moleſta enecantur. ſi verò bilioſus putrisq; eſt humor qui offendit,

ecqu.

ecquod non insuauitatis genus, vt par est, ægri experiuntur? nonnulli enim amarorem incusant, alijs iniucunditatis quippiam, quod verbis explicare non valent: quibusdam fœtida piscosaq; qualitas, & alijs alia persentitur, atque omnes morosos reddere, ægrosq; turbare solent, adeò ob humorum putredinem corruptelamq; sibijpsi displicent. Nec mirum, si quibus ingrati putresq; eiusmodi succi ventriculo ac eius ori insident, cibum respuant, & potum magis expetant: quippe insuauium humorum illuuies, neruorum è cerebro ad famem proliciendam ad os ventriculi pertingentium sensum obtundit, siccitasq; ipsorum eius os premit, & ad vitij sensum excitat. Qui ijs affectibus corripiuntur, abstergentibus incidentibusq; medicamentis, vomitibus, & accommodatis purgationibus in pristinam valetudinem restituuntur. Verùm quoniam verisimile est nonnullos assiduis vomitibus, ventris profluuijs, choleris, tenesmis, dysenterijs, lienterijs, torminibus, ventris fluctuationibus, coli doloribus, ac id genus reliquis corripi, age de his quoq; aliquid, quod præsens locus exigit, atq; ita ijs quæ per aluum succedunt, disseramus.

De dignotione eorum quæ vomitu reiectantur.

CAPVT XIX.

©BIUM

Vt qui hoc ſemper in omnibus anteà nouiſſe decet, conſuetudini primũ eſſe animum adhibendum, deinde de ijs quæ excernuntur pronunciandum. ſiquidẽ nonnullis qui naturæ quibuſdam excretionibus ſunt aſſueti, ea quæ vomitu eiiciuntur, quæ ve aluus reddat, longe deterrima eſſe videntur, atq; vſqueadeo praua, vt ſi id ignoraueris, multum ab eo quod verum eſt aberres: ſin cognoueris, rectius dijudices diſcernasq;. Proinde ſi cibus potusq; commoderatus aſſumitur, & vomitus illum inſequitur, ventriculus aut propter inſolentem frigidi intus vel foris infeſtantis occurſum, refrixiſſe, aut ab acri mordacíq; ei impacta bile incaluiſſe, aut irritatus eſſe creditur. Atq; ea vel vnà cum eſculentis euometur tota, vel quod reliquum eſt, exiguum ſuæ qualitatis ſenſum præbebit, vt æger amaritudinem quandam ſentiat. Quòd ſi ob frigus vomitus ſuperueneri, cibus vel ſolus, vel cum exigua pituita expelletur, neq; alia vlla effatu digna noxa inſequetur: niſi, ſi cum ventre inteſtiniſq; offenſa communicatur, alui fluxus, qui ſola vtiq; copia moleſtus eſſe poteſt, proruperit. Ac de eo fortaſsis poſt loquemur, nunc de ijs quæ vomitu eiiciuntur, deinceps agamus. Qui igitur nulla vim inferente externa cauſſa euomunt, aut humores quoſpiam qualitatis expertes, pituitoſos

©BIUM

toſos, aut acidos, vel dulces, aut ſalſos expellunt, eosq; vel cum amara qualitate permiſtos ſiue ſui copia grauantes, atq; idcirco vomitu reiectos: ſiue quòd bilis quædam delitescens eos ſtimulet, quæ & ipſa interdum vnà poſtremo loco redditur. quare percontari quoq; oportet, num amaritudinem vllam in ijs quæ vomitu reddiderint, perſenſerint. Et qui ſolam bilem educunt, pallidam, aut flauam, aut porraceam, vel æruginoſam eijciunt, eamq; vel puram & ſinceram, aut inter ſe mutuò, aut cum pituita commiſtam: atque aut craſſam & grumoſam, vel tenuem & leuem: & aut leuis tolerantia, cùm anteà grauiter æger ferret, ſuccedit: aut ægrius tolerat, & animi deiectio deliquiumq; comitantur. Leuius quidem fert, ſi conuenientia educta fuerint: contrà verò, ſi quacunq; tandem ex occaſione infra modum ſubſtiterint, velut ſuis locis aperiemus. Bilis porrò color quo longius ab ea quæ ſecundum naturam eſt, pallida inquam ac flaua, receſſerit, eo deterior eſt, ac ſæpenumero inde grauius ferre ſolet. Ex ea autem quæ euomitur, optima eſt quæ pituitæ permiſcetur, poſt hanc quæ liquidior eſt, grumoſa minimum, confert. Omnes vtique ſi coctio præceſſerit, & naturæ robur non defuerit, quamuis inter ſe prauitate diſtent, attamen ad finem bonum contendunt.

dunt. Quòd si coctionis notæ anteà non apparuerint, his contraria sunt expectanda, potissimum si vitalis vis non responderit, quod reliquis quoq; excretionibus commune habendum est. Neque eas quantitate metiri oportet, sed si qualia & quomodo purgari decet, purgentur: inde enim longè certior dignotio petetur. Porrò de atra bile quæ euomitur, nihil habeo quod asseram, quippe quæ semper pessima vomentibus portendat. discernetur autem ea, si in cinerem proiecta ebullierit, perinde ac in acri aceto euenire solet: & si ægrum interrogabis, is se acrem admodum & acerbum humorẽ qui expellitur sentire affirmabit. Quod idcirco diximus, vt ex his eum dignoscas, & ne humorum similitudo tibi facilè imponat. nãq; æruginosa glastea; bilis, vbi diuturniorem moram traxerit ac cõputruerit, eiusmodi quidem colore interdum insignitur, sed amarum semper sui sensum efficit. Cæterùm sanguis epotus, vbi in ventriculum descẽderit, & diutius ibi permanserit, niger euadit: at ex qualitate agnoscitur. At verò quoniã in sanguinis mentionem incidimus, eius quoque tractationem subnectamus: quippe sanguis aut purus, aut iam denigratus, deinde aut ob casum, ictum, aliámve antecedentẽ caussam, aut prout quidem apparet, casu & fortuito, vomendo expel

litur:

litur. Atq; in externis quæ conſpicua ſunt, non eſt multum ſtudij ponendum: verùm quia quæ intus latent, ferè ignorantur, fieri quoq; poſſet, vt an auxilium admittant, neſciatur. Proinde ſi cùm aut multitudine ſua grauat, & exitum quærit, aut venarum iecinoriſq; retinens facultas languet, ac ventriculi tractrix validius ob inopiam quampiam contrà nitendo, agit, in eum ſanguis fuerit tranſlatus: vbi ſemel eiuſmodi, ob diuerſarum partium facultatis tum robur tum imbecillitatem, fluendi occaſionem nactus eſt, iam tempore in conſuetudinem vitium migrat, atq; ob eam ſanguinem quoque nonnulli vomitu reddunt, maximè in ieiunio diuturniori. Alijs vaſa rumpuntur, ac ob eroſionem, aut multitudinem præuiam, vel ictum eaſúmve aperiuntur ac quæ ex ſummo corpore excernuntur, coloris ſunt expertia, quæ verò ex imo reijciuntur, iam nigreſcunt. Atq; hactenus de vomitibus: reliquum eſt vt de ijs quæ per ventrem ſecedunt, pertractemus.

De dignotione eorum quæ aluo deiiciuntur.

CAPVT XX.

QVm igitur cibus plus iuſto ingeritur, neq; concoctione euincitur, albicantia liquidaq; confertim ſuccedunt, & nonnunquã alui profluuij genera ſuccedunt. Atque ex ijs quædã qualia ab initio exiterunt, perdurant:

Actuarii Joannis filii Zachariae operum - page 73 sur 731

©BIUM

alia verò in alium commutantur colorem, ac aut in meliorem, & concocta, aut in flauum, & liquida bilioſaq; excernuntur. neq; quicquam adhuc eſt incommodi. etenim interdum, ſi quãdo facultas expultrix turget, properatq; inſeſtates humores deponere, reperta alui profluuij occaſione, vnà cum crudis quod noxium eſt explodit. Quapropter diligenter eſt hîc animaduertendum, ne dum inconſideratius profluuij vim coërcere niteris, clanculum humoris qui excerni debebat, impetum inſcius compeſcas. ſed nec illud eſt ignorandum, quòd aliquando ea in choleram commigrant, & modò ſurſum deorſumq;, modò deorſum tantum prorumpunt. Atque quæ deÿciuntur, aquea bilioſaq;, ὑδατώδεις Græcis, & nominantur, & apparent. quæ ſi copioſiora fluxerint, neq; remedÿs obſtiteris, infirmitatem, animi deiectionem, atq; etiam ſyncopen, ac refrigerationem gignunt. Iam quæ excernuntur ſubalbida, & lactea, nec cohærentia, haud paruam concoctricis alteratricisq; facultatis, ob nimiam refrigerationem, imbecillitatem connotant: vt quæ fulua & flaua deÿciuntur à bilioſo exuperante humore, ob immodicum calorem, perpetuò procreantur. Cæterùm interdum nonnullis alba, magisq; conſiſtentia, ac ceu canum ſtercora reddunturſed non confertim, neque

freq

frequenter, quòd in alui profluuijs quoq; contingit. atq; ea meatum qui bilem in ventriculum exonerat, potius obstructum esse significant. quapropter vrinas ij plerunque bilioſas reddunt, quòd eò copioſior bilis diuertat, quæ etiam ſupernè vomitu reijci ſolet: attamen vt plurimum hæc arquatis ſuperueniunt, quòd humor, qui colore ſuo ea inficit, ad cutem feratur. Adhæc flauæ, & ruſæ, & ceu rubræ deiectiones, à flaua rubraq; bile colore imbuuntur, vt quæ æruginoſæ ſunt & porraceæ, quæq; caulium imaginẽ referunt, ab eius generis humoribus procreantur. At nigræ interdum ex aſſato excretoq; ſanguine apparent, nonnunquam à perimente bile excernuntur. Atqui ſubinde varijs quoq; inter ſe commiſtis coloribus imbuuntur, quæ iam dictis etiam ſunt peiores, quòd humores plurimum vigere denuncient. Porrò omnes hi humores quos enumeranimus, ſi facilè & citra dolorem, atq; in die iudicatorio coctione præeunte excernuntur, & æger leuior aliquanto inde fiat, omnino ſalubres eſſe cenſentur. ſin contrarijs de cauſsis eueniant, contrà quoq; de ijs ſentiendum eſt. nanq; eas animi defectus, & deiectio, ſenſus item priuatio & delirium, necnon proiectatio, & quandoq; mors repentina comitatur. Cæterùm huic ſermoni annectendi ſunt, & qui à ventriculi

©BIUM

triculi aliqua intemperie enaſcuntur affectus, quos Græci κοιλιακὰ πάθη appellant. nam vbi refrixit incaluit've vehemẽtius, vel ſqualet & humet, atq; in habitum iam intemperies abiuit, hæ affectiones quæ ab ipſo cœliacæ vocantur, exoriuntur. Qui ijs corripiuntur, ſitire & exigua febricula tentari, ac flaua rufaq; deijcere, atq; frigidorũ appoſitu iuuari cernes. alios rurſus tardè cõcoquere, ac vt plurimum nihil ſitire, & cruda aluum reddere videbis. ſic qui ob humiditatem nimiam laborant, anguntur, & liquida ſubpallidaq; excernũt, qui verò ex ſiccitate malè habent, ijs parum idq; colliquatum ſecedit, hi plus ſitiunt, & ægrius curantur, ac magis conficiuntur liquanturq;, quòd naturalis corporis humiditas exhauriatur. Vomitus ventrisq; fluxus eos malè habẽt, et eorum quæ deijciuntur malitia offendit: ſed maximè excretorum quantitas nocet, quia cũ plus quàm par eſt, euacuatur, vnà cum excretionibus calor exhalat, exiccaturq; corpus ac ob copioſiorem euacuationem, iam ali deſinit. Deſidendi verò frequens deſiderium, quòd τεινεσμὸν vocant, & alui difficultas, & quæ vulgò nuncupatur hepatica, tum dyſenteria, tum lienteria non magis quantitate, quàm malitia interficiunt. nam cùm bilis perquam acris ac æſtuans fuerit, & inteſtina affectibus excipiendis

piendis opportuna, ipſa inter egrediendum deglubit ac abradit. Atq; ſi vitium eſt in inteſtino recto, τεινεσμὸς appellatur, eo quod locus affectus τέτεῖαι, id eſt extenditur, atq; ad excernendum vi cogitur. Nihil in continua violentaq; hac excretione quod ſit alicuius momẽti deũcitur, præter muccoſa quædã, ſubcruẽta, liquida, lentaq;, & quæ ægrè auelli queunt. Quare ob aſſurgendi potius aſsiduũ laborem, quodq; diſtendatur, & vehementius ſolicitetur, quàm ob deiectionum copiam, ægri vires exoluuntur. Quod ſicubi mordax hic humor in inteſtinis hæſerit, radit, ac ad deũciendum ſtimulat, ac Græcis δυσεντερία, noſtris ferè alui difficultas, & quibuſdam tormina nominari ſolet. Locum autem patientem dolor, qui nunquã ab ægro diſcedit, indicat. nam ſi eum infra vmbilicũ perſentit, affectus craſſa inteſtina occupare putatur: ſin ſupra vrget, tenuia obſidet. Proinde ſi bilis quæ egeritur apprimè praua non ſit, cuiuſmodi eſt portacea & æruginoſa. nam quæ à nigra cœpit alui difficultas, exitialis eſt, neq; febris vehemens, aut corpus ſit putribus humoribus refertũ, nihil magnopere eſt metuendũ, maximè ſi infra vmbilicum affectus affixit: ſin verò peiora fuerint quæ dominantur, non leuis eſt metus ne homo occumbat. Atq; vbi vitium eſt in recto inteſtino, alimentã

menti excrementa, & affecti loci abrasiones, seorsum quaeq; secedunt. At vbi in altioribus locis offensa est, cibi superflua & affectus ramenta vniuntur, idq; eo magis, quo à sublimioribus reijciuntur. At qui cùm iam secum color & consistentia ad id quod secundum naturam est accidit, dolores quoque leuantur, & quae à vulnere prodeunt, meliora & pauciora sunt, quippe quae maiori interposito tempore egeruntur: quare tunc curantem, tanquam periculum sit euasurus meliora de aegro expectare oportet. Contra verò in deterius aegritudinem prolapsam esse significant. et cùm mediocris est affectus, pauca ramenta & leuiter cruenta, ac muccosa egeruntur: remittunt se dolores, & maiori temporis interuallo assurgunt. quod si augetur, sanguineae vt plurimum sunt egestiones. At si magis adhuc malum increscit, & vlcus iam depascere cœpit, primum sanguis cõfertim defluit, deinde carnea ramenta, & eo maiora quo sunt deteriora, & graueolentia ac tantum non nigricantia decedũt. prauum demum præ cæteris habetur, si cibum aeger fastidit. Hac ratione, sit'ne malignus an non morbus, dijudicatur. At leuitas intestinorum, quam λειοτεριαν appellant, ferè ex diuturniori alui aut profluuio aut difficultate per commutationẽ & decidentiam enascitur, tanto;

toq; eſt grauior, quatenus facultati iam anteà debilitate ſuperuenit. Vitium ex ipſo ſanè nomine pateſit, quòd lenia ac quaſi lubrica facta ſint inteſtina, vt ne ad breue quoddam temporis ſpatium cibum retinere queãt. tale quoq; propè accidit, quale ijs quibus ventriculi ſubuerſio euenire ſolet, qui quod ea quæ aſſumpſerunt tolerare nequeũt, denuò reijciunt. his ſi acidus ructus acceſſerit, ſpei nonnihil ſubeſt, retentricem concoquentemq; facultatem ad ſe redire, & ferè adſumptis concoctionem admoliri. Cùm autem ſanguis reijcitur, in id animũ aduertere oportet, nũ ſupra an infra decedat: illud enim ſemper, hoc non ſemper malũ eſt: ſiquidem nonnullis, vbi eius copia nimium aucta fuerit, interdum infra per inteſtina, alijs etiam per ora venarũ, quas αἱμοῤῥοΐδας nuncupant, profluit. Verùm ille qui ab altioribus locis emanat, & aliquandiu in corpore eſt moratus, nigrior eſt: hic verò purus, ſyncerus, & qualis ex iam cæſis boſtijs profluit. Nam qui à iecinore decidit, alius eſt ab his, & carnium recèns mactatarum eluuiei adſimilis. Atq; ille ceu ſuperfluus & nimius, affatim effluens, & paucis ſurgẽdi laboribus, ab onere febriq; nõnunquam hominem liberat: at qui præ iecoris imbecillitate & calore excernitur, opinionem imperitioribus ac ſimplicioribus adfert, quaſi is qui

is qui laborat, alui difficultate infestetur: cùm tamen res ita se habeat minimè. nam hîc neq; dolor intestinorum cruciat, nec continua assurgendi molestia, & desidendi desiderium adest, quin nec paulatim quidem excernitur. nam si quis esset aut dolor, aut grauitas, ferè causſam inquirens iecur potius causſari possis. quare illi remedia essent applicanda, ac facilè si opportuno auxilio succurritur, euadunt. Verum enimuero qui per ora venarum exit, ægros à multis ægritudinibus impẽdentibus vindicat. nam qui illac moderatè fuerit purgatus, furore, melancholia, pulmonia, lateris dolore, tabe, ac osculorũ venarum apertione haudquaquã corripitur. At vbi hæmorrhoides temporis longinquitate familiares factæ fuerint, si rursus supprimantur, præter quàm quod ab ijs quos recensui, affectibus non liberãt, primum onus, pigritiamq; deinde vertiginem tenebricosam, etiam hebetudinem ac ciborum fastidium pariunt. Atq; ita viscera attolluntur ac grauantur, & interdum imflammatio aut scirrhus, & hidropicæ quædam affectiones, ac vertigines oriuntur. Quòd si is qui olim ex more per ora venarum quas αἱμορροΐδας nuncupant, excernebatur, ad inferna delabitur, pedum ex sanguine dolores excitat. Quod si ad cutem ferratur, multæ variæq; pustulæ, quas ἐξανθήματα Græci

Græci nominant, erumpunt. At si per assuetos meatus immodicè feratur, cruditates malosq; habitus, ac aquam intercutem progignit, vbi iam iecur, & vniuersum corpus fuerit refrigeratum. Porro ijs qui solita exercitia omiserũt, aut pleniore victu vti cœperunt quàm anteà, vel quibus consuetæ, è nare, aut vtero seu in mulieribus excretiones supprimũtur, aut quibus mos erat venam tundere aliáve quapiam ratione sanguinem vacuare, & cõsuetudinem mutarũt, vt iam, quia corpus vniuersum peruadat, copia imbecillitasq; adsit, ijs inquam primum hæmorrhoides oboriuntur. Verùm contrà quàm hi omnes quos enumerauimus, afficiuntur, qui doloribus laxioris intestini, quòd κῶλον vocant, aut tenuioris morbo, ἑλεὸς, & nostris quibusdam conuoluulus nominatur, laborant, aut quas torsiones, τρόφους appellant, & fames ingens torquet.

Fames ingens, quã βούλιμον nuncupant (hic enim affectus magnam famem significat) ventriculi malum est, quo qui laborat penitus cibum auersatur. Porrò cùm praui humores facultatem famẽ sentientem offenderint, aut aliqua simplex intemperies increuerit, veluti si acidi acerbiq; os ventriculi irritauerint, à ratione alienæ ac caninæ appetentiæ enascuntur: non secus quàm cũ in alijs, absurdi succi in ore

ventriculi coacernantur, diuersorum generum ac ineptorum appetentias excitant, vt qui eo malo affecti sunt ne à cœno quidem, carnibus, & testis abstineant. Id quod liquere tibi potest, vel ab vtero gerētiū vitio, quod κίσσαν Græci, nostri malaciā vocitant. Atq; has quidem absurdas ac à ratione abhorrentes appetentias, conuenientium medicamentorū vsu quispiam fortasse curauerit: at omniū, vt sic dicam, ciborū, quibus animal coalescit, fastidio, quòd iam emortua sit sentiens facultas, vix aliquis probe mederi, persanaréve poterit. Verùm quænam ijs accommodata sint, posteà fortè subnectemus, nunc institutum agamus.

De dignotione suppressæ alui affectuumq; quibus eam comitantur. CAP. XXI.

ITaque aluus inhibetur, quòd excrementa aliò deriuent ac cōmigrent. His autem vrinæ copiosiores, & sudores succedunt et occulta perspiratione plusculū digeritur, atq; his nihil incōmodi, si aliunde superflua exploduntur, euenit, modò ea ad familiaria sibi loca denuò reuertantur. At verò quibus aluus supprimitur, neq; excremēta aliis meatibus egerūtur, hi variis doloribus cruciātur, & ægrè tolerant. Nā aut quòd quicquid in prioribus facibus erat humidi, exalauit, ipsæq; obduruerunt, ac cùm lenta viscosaq; pituita intestinis obdu-

Ctæ sunt

ctæ ſunt, naturalis egreſſus prohibetur: aut quòd inteſtina inflammatione tentantur, aut ob ictum, aut quòd humores quidam confluxerunt, vt ea ex re paulatim expultrix eorũ facultas langueat, ſecedere non poſſunt. Quocirca cibos renuũt, & dolores inteſtina affligũt, & ructus mediocres accedunt, qui ægrũ principio modicè leuent. Verùm cùm malum inueteraſcit, inferna refrigerari, ac ſuperna magis incaleſcere incipiunt, quòd nimirum calor in ſeſe cõtrahatur, atq; ita deinde fœtidũ ac inſuaue quippiam eructat, quo nõ æquè leuetur. Ac primum humores cibique vomitu reiciuntur, neq; tantillum ſpiritus infernè dilabitur. At dehinc, ceu malorum colophon, eſt ſtercus ore redditum: quo tẽpore mors nullo pacto vitari poſſe cenſetur. Morbus εἰλεὸς Græcis, & noſtris conuolulus nũcupatur, quod inteſtinorũ anfractus εἰλῦσθαι, hoc eſt conuoluuntur, ob cauſſas quas iã recenſuimus. Porrò inteſtini laxioris, quod ſupra κῶλον nominari diximus, dolores, inflationes, & torſiones illas, ἐμπνευματώσεις, has, vt dixi, πρόσω Græci appellant, ob precedentem obſtructionem: quin & ob frigidorum humidorúmque edulliorum nimium vſum creantur. Nam vbi frigidus victus plurimum pituitæ congeſſit, id inteſtina excipiunt, & potiſſimum laxum, quòd na-

turalis eius ſedes formatioq; ei rei ſit opportuna: cumq; copia ſua oneret, & qualitate infeſtet, neq; facilè quòd lentore prohibeatur, exitum inueniat, inteſtinum laxum tendit, atque doloribus hominẽ circuncingit. Ac ſupra humores & nonnunquam cibus vomitu expelluntur: infernè verò nihil facilè deïcitur. Quod ſi clyſmate, aut aliquo alio medicamento quod confertim pituitam detrahere poteſt, ægro ſuccurritur, dolor mitigatur. Verùm ſi noxia pituita non ſeceſſerit, ſed aut in coxendicem, vel in veſicam procubuerit, iſchiadicos fieri, ægréque alios lotium reddere videmus. Porrò ſi infeſtantes hi humores ad crura pedésve delabuntur, pro ſua qualitate pedes afficiunt, ac ſimul atq; paratam ſibi ita viam ſtrauerint, in conſuetudinem iam affectus abit, ac facile quauis de cauſſa ægri patiuntur. At qui quòd propter humores in corpore relictos qui nulla neq; arte, nec meliori fortuna diſſipari excernique queunt, ſed in manus & pedes deferũtur, inde ægri podagra chiragraq; corripiantur, id quidem, tam à ſimplicibus quàm complicatis ijs humoribus fieri conſpicimus. Verumenimuero præ cæteris omnium maximè podagras & arthritidas committit, qui ex continuis cruditatibus humor crudus coacernari conſueuit. nam cùm aſſiduè

peccet

peccetur, & crudis etiamnum cibis alij insuper ingerantur, crudus colligitur succus, ac cùm neq; vomitus casu aut arte expellat, neq; venter egerat, nonnunquam in laxiori intestino impactus, eos qui inde κωλικοὶ appellantur, dolores excitat, interdum ad coxendicem delatus, ischiadicos, ita enim à coxendice, quod Græci ἰσχίον vocant, affectu nominantur, efficit: aliquando in vesicam irruens, vrinæ difficultatis fit causſa. Quod si nusquam horum locorum firmetur, sed in manus pedesq; dispergatur, chiragras & podagras, itemq; arthritidas generat. Atq; hi tum alij qui intus relinquuntur humores, ex victu præeunte, ægri temperamento, ætate, adhæc coloribus, qui in artubus efflorescunt, dijudicantur. rubent enim artus, cùm à sanguinis decubitu dolore conflictantur: pallent autem potius, si flaua bilis infestat, at si atra offendit, magis subliuido colore inficiuntur, quemadmodum si pituita molesta est, leui albedine notantur. Porrò in complicatis humoribus, colores quoque sibi mutuò permiscentur, colorumq; imagines illis proportione respondere conspiciuntur. Cæterùm tenuiores calidioresq; promptius: crassiores verò difficilius diffiantur: omnes tamen allata ope melius discutiuntur. Illud præterea nouisse licet, quòd vbi in ventre intestinisq;

©BIUM

copiosa pituita confertim fuerit congesta, atq; à calore quouis modicè incaluerit, erassi, caligi nosi, & qui ægrè exitum inueniant, spiritus enascũtur: qui dum in intestinorũ anfractibus coarctãtur, torsiones, & inflationes, nisi opem feras, excitãt. Hi posimodum tẽporis longinquitate, locũ qui inter peritonæũ & intestina intercedit, occupant, ac hydropem eum, qui quòd cum ægri abdomẽ pulsatur, tympani in morem intumescat, τυμπανίας dicitur, generãt. Atq; his notis affectus qui ex ventris & intestinorum suppressione gignuntur, discernes. Quoniã autem & tineæ, ita ἕλμινθας voco, & tenues lumbrici quos ἀσκαρίδας Græci nuncupant, & qui lati vocantur, intestina atq; aluum occupant: vbi pauca de ijs quoque verba fecerimus, ad ea quæ reliqua sunt, sermonem conuertemus. Itaq; vt in ijs quæ foris apparẽt, cùm à mediocri calore humor quispiam computruit, muscæ, vermes, atq; id genus insectorum plurimum generari cernimus, ita & in aluo & intestinis fieri animo cõcipe. Ac lũbrici qui in recto intestino gignuntur, & nunquam sursum progrediuntur, parui ac tenues, quiq; ægrũ stimulent & titillent, reperiuntur, his Græci ἀσκαρίδες nomen indiderunt. Reliqui, quas communi nomine ipsi ἕλμινθας, nos iam vt dixi, tineas & lumbricos vocamus, non

vnum

vnum ac eundem tenent locum, ſed inteſtina aluumq; obambulant, & per os nonnunquam aſcendentes reiiciuntur. Eorum verò alij maiores, alij minores: & alij ſubalbi, alij ſubrubri ſunt. Nonnunquam item prius quàm in animal probè efformati fuerint, atq; à ſeinuicem ſeiuncti, non ſecus quàm tenuium funiculorum quidam globi excernũtur. Quòd autem in humorum, qui inteſtinis aluoq; continentur, putredine emergunt, atq; vt plurimum cùm febre inſiſtant, nemini non liquere arbitror. Adhæc quod grauia & formidoloſa ſymptomata inferũt, etiamſi quæ ex ſymptomatis euenire ſolent, fere non inſequantur, vel hoc quoq; perſpicuum eſt. nam nervorũ conuulſio, ſingultus, animi defectus, proiectatio ſenſus priuatio, vomitus, oculorum cauitas, & mediocris oris hiatus, atq; id genus alia aut omnia, aut nonnulla ijs qui clanculum lumbricos & tineas educant, oboriũtur. Ex his deteriores ſunt quæ leuiter rubent, & quæ inter morborum initia apparent. Vtræque enim putredinis materiam vnde ortæ ſunt, denunciant. nam ſubalbæ quæ ſunt, ex iugi ciborum cruditate gigni viſuntur: reliquæ verò ex alimento quod in ſanguinem non eſt probè cõuerſum, quodq; iam putrilaginem contraxit, ac ex reliquis nonnullis eduliis percalidis procreantur. atqui quæ ex validiori

putri materia coagmentantur, viribus quoque anteire videntur. Quod verò ſemper quæ ante ſtatum præfixumq; iudicium prorumpunt aut multitudine ſua oneri ſunt, aut facultatis retinentis imbecillitatem connotant, nos etiã pòſt manifeſtius explicabimus. Porrò tinea vna lata, in inteſtinis gignitur, cùm lentus & leuiter calidus humor internæ inteſtinorum ſuperficiei illinitur, qui à calore quopiam in animal formatur. Hæc quãdoq; in plura inteſtina porrigitur, interdũ etiam per tota permeat, onus tumoremq; quempiã ventri concilians, & quicquid in ventriculũ edulij immittitur, promptè abſorbens. Quare qui illam fouent & nutriũt, haud facilè ferunt ieiuniũ: & cucurbitæ ſeminibus ſimilia aluo egeruntur, atq; hoc eſt latæ tineæ in aluo genitæ inſeparabile indiciũ. Porrò ea nonnunquam in aceruum ceu globus cõtracta, perpetua quadam continuitate cohærens excernitur: interdum in cubitales & maiores minoresq; portiones diſſecatur. Atq; hæc adeò moleſta fera ſi ſemel toto fuerit eiecta, haudquaquam ſanè denuo in poſterum gignatur: reliquæ verò, quæ plures ſunt, propemodum & in omnibus & perpetuò generantur, tanto prauitate lata tinea inferiores, quãto tenues, quas ἀσυκρίδας vocari diximus, his antecellũt. Sed huic tractationi ita ſumma manus imponatur.

De

De morbotum qui partes genitales tum marium, tum fœminarum tentant, dignotione. CAP. XXII.

RElíquum iam eſt vt de partibus naturalibus agamus, & quod affectionibus corripi ſolẽt, explicemus: ac primum de ijs quæ maribus fœminisq; communes ſunt, deinde de cuiuſq; propríjs loquendum. Itaq; ſanguis, pus, ſtrigmenta, & calculi per vaſa vrinatoria feruntur, vrinæ item difficultas, eiusq; ſuppreſſio, & quod vocant profluuium in matulam accidunt. Ac ſanguis quidem promanat, cùm venæ renibus adhærentes dirumpuntur aut erodúntur vel earum oſcula reſerantur, aut exudant, αἱμάτωσιν appellant, nonnunquam ab ipſa quoq; veſica, eiusq; collo cruor profluit. Hæc autem diſtinguent, affecti loci dolor & grauitas, quinetiam ſanguinis qualitas quantitasq;, ceu in morbis thoracis anteà expoſuimus. Pus verò effunditur, cùm ijſdem in locis abſceſſus vel tuberculum fuerit enatum, aut ictus quauis de cauſſa illatus. nam quod abſceſſus alibi collectus per vrinam expurgetur, accidit quidem, verùm rarius, atq; hi in renibus aut veſica dolorẽ nullum ſentiunt, niſi ſi aliena quadam materia eo confluxerit. neq; hoc ſemper. adhæc, qui anteà parte aliqua dolore infeſtabãtur, ea non amplius dolẽt, quod qui eũ creabat

©BIUM

humor, iã sit explosus. Calculi porrò aut in renibus primum, vel vesica, coagmentãtur: quod satis multa strigmentorũ vis ibi accumuletur. nã cùm tophus ex quibusdã humoribus cõflatus, & à calore exassatus est, semperq; cõfluentes arenulæ adhærent, ac lentis quibusdã succis agglutinãtur, quæ colliguntur lapideã induunt consistentiã. Lapis è renibus exitũ quærens, colici quidẽ doloris speciẽ præ se fert, verũ distinguitur, quod ille non perinde atq; hic abdomen cingat, sed ad pubẽ ipsamq; vesicam, & interdum ad testes vsq; dolor pertineat. Adhæc strigmẽta ibi in matula subsident, & aliquãdo lotium non expeditè redditur, nec aluus supprimitur, & cũ excernit dolor inde non lenitur, & demũ in vesicã delapsus lapis, omnes molestiæ mitiores lenioresq; efficiũtur. Quare si quod egreditur, rectũ iter ac liberum nactum fuerit, ægrum multis doloribus vindicat: at sicubi in vesica subsiterit ipse tẽporis spatio increscit, et in vesicæ cervicem velut operculum incubens, vrinæ difficultates & suppressiones excitat. est quando etiam, dum huc illucq; per vesicam vagatur, loca eius abradat, etsi angularis fuerit ictus infligat, vt iam cruor pusq; vnà cum lotio reddatur. Atq; eo pacto renum morbos & inflãmationes, νεφρίτιδας vocantur, ab vrinæ difficultatibus quæ lapides creant, dignosces.

Nonnun

Nonnunquã cùm craſſi lentiq; humores in veſicam decumbunt, ac eius collum, per quod ceu canalem lotiũ eũcitur, obſepiunt, vrinæ difficultates prioribus conſimiles generantur: verùm diſtinguuntur, quòd nullæ adſint calculi notæ, quodq; in matulæ inſeſtantis humoris fruſtula quæpiam, puri ſimilia, ſed dolore diſſidentia ſubſidere conſpiciãtur. Atq; hæc ſunt maribus fœminisq; communia mala, vt & illud quod proſtuuium in matulam vocant, quodq; ob renum iecinoriſq; antecedentem calorem accedit. nanq; renes à venis & iecinore ſerum attrahẽtes, id in veſicam depellunt: iecur verò à vẽtriculo, & hic foris potum deſiderat. quare ſitis illis oboritur. Tenues admodum, & albæ ac copioſæ vrinæ proſtuunt. nam cùm frequenter & paulatim meitur, alterius effectus nota eſt, & retẽtricis renum facultatis imbecillitatẽ potius indicat. Porrò ſeminis proſtuuiũ quæ γονορροία dicitur, coliſq; totius intenſio, πριαπισμὸν Græci appellant, & eius reſolutio, peculiaria ſunt marium vitia. & in ſeminis quidem proſtuuio, neq; coles intenditur, neq; æger eadem qua ſanus afficitur voluptate: ſed perinde ac ſi ſuperfluum quiddam excerneretur, ſenſu priuatur. Quod ſi morbus moram traxerit, neceſſe eſt vt æger in colliquationem collabatur, ac pereat: quòd pinguior humoris portio

eũciat

©BIUM

eũciatur,ac vitalis ſpiritus non parum vna effluat. Cauſſa autem eius eſt,aut ſeminaliũ vaſorũ fluxus facilitas, aut impotentia,aut quòd ob enatam intemperiem ſemen continere nequeãt, aut quòd humor quispiam mordax ibi abundans ſtimulet.πριαπισμὸς verò eſt permanens conſtansq́; colis extenſio,ſumpſitq́; nomen à Priapo quopiam, apud Græcos pro deo habito,qui quòd eſſet incontinentiſſimus,in tabulis arrecto pene depingebatur. Corripit autem hic affectus cùm calidus craſſusq́; ſpiritus in colem decumbit,qui vbi non facile egredi permittitur, penem vi extendit. Hi exiguum vel nihil ſeminis eiaculantur, ſentiunt tamẽ,quod ſpiritus vnà excludatur. & leuari quidẽ egri ita quadantenus videntur,verũ denuò eodem malo corripiũtur,donec intenſionis cauſſa fuerit ſublata. Coles reſoluitur,aut quod nerui illius aliqua intemperie debilitentur, aut quòd ſpiritus eò confluens deficiat, vel meatus eius obſtruantur,diſſecẽtur ue. Sunt præterea æquè marium morbi,inteſtinorũ aut omenti in ſcrotum prouolutio,vt & aqua quæ ibidem colligitur, Græci ἐντεροκήλην καὶ ἐπιπλοκήλην καὶ ὑδροκήλην. noſtri inteſtinorum & omenti,& aqueum ramicem nominant.quorum deterrimus eſt inteſtinorum, minus malus omenti,& facillimus curatu eſt aqueus. Accidit autem

ramex

ramex intestinorum, cùm discisso peritonæo intestina procidunt, atq; ita in scrotum deuoluuntur: idq; si quis ex alto se præcipitem dederit, aut obnixius saltauerit, aut contenta magis voce proclamauerit, aut pondus aliquod à terra attollere conatus fuerit, vel concitatius cucurrerit, aut eiusmodi quædam priores notæ morbũ patefaciũt. Eadẽ quoq; de causſa omentum prolabitur, cùm laxato peritonæo deorsum proruit. Aqueus deniq; ramex, nihil aliud est, nisi humores quidam lenti crassiq;, qui in tunicam quam à putaminis vt videtur forma ὑστροειδῆ nominant, aut in scrotum procumbentes, ramicis imaginem exhibent. Atque hi sunt virorũ peculiares affectus: verùm plures sunt fœminarum morbi, quòd vteri vitijs obiiciuntur ac primùm, perinde ac reliquæ omnes corporis partes, intemperiebus tentatur. nam à quacunq; id fiat causſa, incalescit, refrigeratur, exiccatur, & humectatur. Præterea venæ matricis ampliores redduntur, quod purgationes vel supprimantur, vel immodicè profluant. Supprimuntur autem, cùm meatus obstruuntur, vel præcluduntur, ac conniuent: quinetiam cùm vterus in latus torquetur, aut immodicus medicamentorum cohibentium vsus præcesſit, aut sanguis aliò fluxum auertit: insuper, & in longis morbis, & inedijs, ac pluribus exercitijs, atque

atq; etiam ob inflammationis lentorem idem euenit. conniuet porrò præcluditurq; vterus, cùm nimia ſiccitate ſqualet. Cæterùm copioſiores purgationes erumpere ſolent, ob ſanguinis copiam, aut medicamentorum venarum ora reſerantium vſum, vel quòd familiares conſuetæq; aliæ excretiones inhibentur, aut mordaces humores ſtimulant, vel ſolitæ exercitationes ceſſant. Anticipant autem vel ſolito magis poſtponunt, cùm vterus laborat, aut eundem dierum numerum circuitus non obſeruãt. & quæ immoderatius purgantur, pluſculum temporis purgatio accelerat: quæ verò minus, tardior eſt. Demum ſanguis menſtruus aut ſincerus emanat, aut bilioſis pituitoſisq; quibuſdam humoribus admiſcetur. Proinde in ſuppreſſionibus poſt alterum iam elapſum menſem pondus toti corpori oboritur, quod renes, ilia ac fœmora caputq; comprimat. At vbi quatuor menſes præterierunt, ea omnia augentur, aluusq; quinetiam intumeſcit, & aquæ intercutis ſpeciem præbet, & quinto ſextoq; menſe magis malum inualeſcit. Quòd ſi quæ ſuppreſſa fuerunt proruperint, omnia leuiora redduntur mitioraq; : ſin minus, ſed cum alieno calore inueterauerint, ſupputabũt, & matrix aliqua iliorum parte in mucronem faſtigiatur, atq; inde quæ affligẽbãt quibuſdam

erump

erumpunt, atq; vt plurimum vnà cum morbo anima emittitur. Etenim facultas iam anteà debilitata, cumulatam euacuationem, & præcipuè faciliúsq; sensus partis suppurationem, promptè perferre nequit. Hæ cibum fastidiunt, & febres errantes ac exiguæ, & insuauis expirationis sensus oboritur, superna graciliora fiunt, coloresq; arquatis similes redduntur, ac vrinæ rubent, & magis contenta, quippe quod in matrice superfluum erat, in vesica ceu percolatur. Quæ verò immoderatius expurgantur, ijs primum stomachus exoluitur, quod vnà cùm sanguine calor euanescat, deinde in malum habitum incidunt, & varia tum colore, tum consistentia excernunt. Hic quoq; qui ruber albusq; dicitur fluor, consistit, quorum quisq; exuperantem in corpore humorem indicat, ac interdum varia ac biliosa excernuntur. Quòd si morbus longius progreditur, principiò graciles ac decolores euadunt, dehinc refrigerato iam iecinore intumescunt. Quin & immoderatis vacuationibus aqua inter cutem succedit, quod prout apparet, similia ijs accidant, tam in familiarium egestionum retentionibus quàm vacuationibus quæ modũ excedunt: etsi variæ sint comitãtium symptomatum efficientes causse. Præterea inflammatio, scirrhus, erysipelas, ictus, & abscessus, non

secus

ſecus quàm alias partes, verum quoque affligunt, ac tantum inter ſe diſſident, quantum ſenſu & principalitate pars differt. hæcq; doloribus, & digitorum contactu, atq; ijs quæ inde effluunt dignoſcuntur. Verumenimuero mola, quæ alius eſt ab ijs quos recenſuimus affectus, alia quoq; ratione dignoſcitur. eſt enim hic tumor quidam carneus, vterum implens, vt plurimum quidem conſiſtendi initium à ſemine minimè prolifico ſumens: attamen nonnunquam ſua quoq; natura, vulua eiuſmodi vitijs implicatur. Augetur porrò perinde ac ſi fœtus includeretur, & quòd conſuetus ſanguis ibi abſumitur, nihil quicquam emanat. adhæc temporis progreſſu incrementum tumorq; ventri accedit, & ſimpliciores deceptæ ſe vterum gerere arbitrantur. nam quòd vterus impletur, vanam quandam imaginem exhibet, ceu prægnans ſit. Quapropter ſi fortè onere oppreſſus vterus diſrumpitur, & mola prolabitur, ab errore ſimul ac affectu vindicantur: ſin autem nouem menſes pretergrediuntur, error quidem detegitur, verùm à morbo non abſoluuntur. Atqui id digitorum contactu diſcernitur, quippe os vteri non eo pacto quo prægnãtibus affectũ eſſe reperies, ſed aut inflammatione aut ſcirrho tentari, aut in latus detorqueri. Ac metus qui adeſſe videtur, nunquã dum quieſcunt ſentit

ſentitur,ſed in quancunq; partem quæ ita labo
rat inflectitur, in illã plenus quoq; vterus cor
ruit,quod ſanè in ijs quæ reuera grauidæ ſunt,
haudquaquam cõtingit:ſed & venter non eſt
tactu leuis,ac laborãtes implacidæ ſunt,& plu
rimum inſuauitatis perſentiunt. Cæterùm vte-
rus foras procidit ob renum ictum, & ex alto
præcipitijs,aut quod inter pariendum nimio ni
xu fœtum expellere conantur,aut cùm muſculi
à quibus vterus dependet, diffringuntur, vel
nerui laxantur. Atq; hæc fœminarum vtero
euenire videntur. Porrò in conſpicuis pudendi
partibus aquoſi ramices innaſcuntur,cũ craſſi
entiq; humores eo decũbunt. Cæterùm vterus
ſtrangulatur plerunq; ſterilibus, attamen &
viduis: & mali cauſſa eſt genitura muliebris,
aut quod meatus ſeminalis præcluditur. Proin
de hæc genitura,cùm copia ſua onerat,& tem
poris ſpatio, quem obtinebat calorẽ exhalat,
propemodum venenatam temperiẽ contrahit.
Quare vbi ad excretionem motu cietur,& ea
fruſtratur,retro remeat,ac ſurſum repit,ac vte
rus vnà cõuellitur,& in viſcera ingruit. Itaq;
ſi recta ad cor ſuo impetu fertur, & lethales
ſuos vapores eo tranſmittit, refrigerat id, ac
reſpirationem pluribus horis intercipit,& pul
ſu ſpoliat aut eum deprauat:ſinautem ad iecur
aut ventriculũ aut lienem prorepit,longe mo-

Actuarii Joannis filii Zachariae operum - page 97 sur 731

deratiora prioribus comitantur accidentia, pro partis principatum obtinentis ratione, ac eius cum corde vicinia. Quoniam ex ijs quæ consensisi peculiaria sunt, loca quoq; quæ vterus impetu suo affecerit, deprehenduntur. Siquidem viscera ea attolluntur, pondereq; premuntur, ac homo ægrè spiritum ducit. sedantur autem hæc, si vterus deorsum deductus in pristinam suam sedem reuertitur, & murmurillus quispiam præcedit. Quinetiam in coxas, aut ilia, in podicem item ac vesicam delabitur, quæ pondere oppressa, ac à manijs suis præpedita, locum quem vterus occupat, innuunt. claudæ enim inde efficiuntur, aluusq; supprimitur: atq; ob hunc nimirum vteri incessum vrina difficulter & guttatim redditur. Eorum quodque lenitur, cùm iam ad propria loca vterus recessit. Habes de partibus genitalibus tractationem satis ijs quidem qui breues esse student, superq; explicatam.

De sudoribus & exanthematis, quæ in cute efflorescunt. CAP. XXIII.

Æterùm quia suprà de ijs quæ excernuntur, quantum res postulat exposuimus, relictus est autem sermo de sudore, operæprecium fuerit eius quoq; meminisse, atq; in eo præsentem librũ, vtpote iustam magnitudinẽ adeptum, cõcludere. Itaq; in nullis qui corpore bene

bene valent, ſudorem vnquã prorumpere conſpicies, ſed ſi modicè quis exerceatur, aut rarefiat, aut copia vim inferat, vel anni tempus vrgeat, vt plurimũ tunc ſudores proliciuntur. Atque hi qui in ſanis etiamnum profluunt, nihil peregrinum denuntiant: verùm qui in febrientibus, aut qualicunq; parte corporis onus ſuſtinentibus, nonnunquam emanant, materiæ impetũ eò vergere ſignificãt. Porrò omnis ſudor bonus eſt, ſi coctio præcedit: ſin minus malus habẽdus. Frigidi et glutinoſi, quiq; toto corpore non effunduntur, nec turmatim & velut in grumum globati, ſed exiguorum miliũ granorum inſtar erumpunt, aut morbum non leuant, ſed potius exacerbant: morbi longitudinem, partium dolores, obſtructiones, copiã, cruditatẽ, atq; interdum mortẽ connotant. nam frigidi, cum acuta quidem febre, mortem, cũ mitiore verò, morbi longitudinẽ indicant. Adhæc glutinoſi, cruditatem, humorumq; lentorẽ, vt qui aliqua corporis parte tantũ effluũt eam morbo vrgeri nunciant. Qui verò ſpeciẽ miliũ referunt, meatuũ anguſtiam, facultatisq; expultricis inertiã oſtendunt. At qui morbũ exacuũt & exacerbant, haud mediocrẽ vigentis humoris multitudinem notant. Et quemadmodum qui fluere prohibentur, plurimũ nocere conſueuerũt, ſic ſi cumulatius eruperint, primũ

Actuarii Joannis filii Zachariae operum - page 99 sur 731

vires exoluunt, natiuumq; calorem digerũt & diſſipant: deinde vbi creuerũt, ſyncopen adeò, & refrigerationem, vt ex ipſis vtiq; pulſibus eorum cuiuis diſcere promptum eſt, inferunt, ac tenuiora quidẽ excrementa in ſudores abſumpta, ita cutem egrediuntur. verùm craſſiora, atq; idcirco difficilè exitum inuenientia, videntur ibi in cute ſubſiſtere, & ita paulatim diſcuti. inde enim prurigines, & ſcabioſi affectus, necnon multa variaq; exanthemata & papulæ exoriũntur. Siquidem alijs veluti ſi ab vrtica aut culicibus eſſent demorſi, in cute quædam efflorescunt, quæ modò permanent, modò reuertuntur, ac craſſitiem, aut copiam, aut expultricis facultatis imbecillitatem commonſtrant. Nõnullis verò rubræ aut purpureæ, vel etiam nigræ emergunt, quales ex pulicum cimicumq; morſibus quotidie nobis apparent, atq; hæ haudquaquam promptè redeunt, vtpote quæ ex tenuiori pauciorique materia enaſcantur. Cæterùm ex rubris deteriores ſunt purpureæ, & omnium peſſimæ, nigræ: quippe quæ mortem plerunq; denunciant. Quòd ſi fuerint commixtæ, earum naturam ex abundante humore, atq; alia naturalium facultatum conſtitutione coniicies. Aliquibus & quales ſudores, idpuæ & noſtris ſudamina inde nuncupantur, erumpunt, nec quicquam mali portẽdunt, ſed

ſed è materia ad cutem ruente gignuntur. Producit ea ſalſus & mordacis qualitatis particeps humor, ac pungunt ſenſumq; vellicant & diſcuti deſiderant varios pruritus excitantia. Horum quædam, cũ ſcalpuntur, ſanguine manant: alia ſubcandidum vel leuiter pallidum humorem expuunt, vt inde vigentem ſuccum colligere liceat. quoniam ille ſalſæ pituitæ, hic verò bilis flauæ, & primus, acrioris ſanguinis potius nota eſſe videtur. Nonnulla demum in ſcabioſos affectus cõmigrant, & exulcerationes exanthematis ſuccedunt. quippe ingentiores, quiq; maiorem proritandi vim obtinent, quòd craſſior & quæ difficilius meatus permeat earũ ſit materia, pruritus excitant. Atq; hîc de ſudoribus & exanthematis ſermoni finis imponatur. Verùm quoniam auſter iam ſpirat, & tempus eſt tibi abire: faxit Deus vt felix terra mariq; proficiſcaris, nec aduerſi quicquam contingat, & lætum nunciũ refras. Nos verò quoniam in iuſtam molem excreuit liber, hîc finem facere eſt æquum: atq; vbi redieris (ſi quidem diuina benignitate ſuperſtites erimus) reliquum argumenti abſolutum, in præmium bene obitæ legationis, exoptatiq; aduentus perſoluemus. Quare in præſentia, alio ſtudium conuertamus: haudquaquam tamen illos amicos imitantes, qui eos quibuſcum amicitiam

©BIUM

citiam inierunt.præsentes tantùm obseruãt,& coràm nihil non promptè pollicentur : verùm simul atq; continuas consuetudines necessitas quædam diremit, statim amicitiæ fœdera dissimulant violantq;,& eius ius atq; honestum è memoria deturbant. At nos perinde ac iam anteà tuo ære tibi obstricti, reliquum quoque pollicitationis conficiemus.

ACTVARII ZACHARIAE METHODI MEDENDI, LIBER SECVNDVS.

*

Præfatio.

QVONIAM, *cùm felicibus auibus ad eam, ob quam mitteberis, legationem nauigaturus flante austro è portu solueres, nondum promissis plenè satisfactum erat, nos quidem ab incœpto desiteramus, quod eam tibi gratiam repositam vellemus,& aduentante iam vere, tuum è peregrinatione reditum auidè expectaremus. metuebam enim, vt verum fatear, ne quem*

quem tibi desponderam libellum, ad vmbilicum perductus, clanculum nobis elaberetur, & secundus, siquid inde commodi vtilitatis ve accedere possit, eo perfruereris. Nam cùm amicus noster singularis, & pater sapientissimus, quiq; rerum sensilium illecebris non delinitur, ac philosophiæ dignitatem ex ratione virtuteq; viuens, tuetur, quantum ei qui ad intellectualem ornatum excurrit, licet mihi, ter honorandum caput (intelligis, ni fallor, me de præstantissimo Iosepho loqui) efflagitaret, vt ei libellum, de viuendi formula spiritui animali accommodata, ederem: promptè libenterq; parui, & quantum spoponderam satisdedi: si nullam aliam ob caussam, vel ob eam saltem, vt nihil tergiuersatus id amicitiæ concederem. Verùm cùm in ea tractatione, huius quoque ad te libelli mentionem fieri oporteret, ipsæq; vt describeretur exigeret, haudquaquam eadem iam facilitate ei isthuc concessi, quod tibi primum eam gratiam veluti reconderem & seponerem. Attamen id quidem illi sum pollicitus, me vbi reuersus esses, & librum integrum & absolutum à nobis accepisses, illi quoq; exemplar accommodaturum. Tribuit enim nobis plurimum, nescio qua de caussa, num amicitiæ necessitudiniq; obtemperans, an quòd in nobis aliquid se

Actuarii Joannis filii Zachariae operum - page 103 sur 731

dignum inuĕturum eſſe confidat: cupitq; hunc quoq; librum noſtræ erga illum benevolentiæ non eſſe expertem: ſed & hunc præter iam diuulgatum habere contendit ac nititur, vt cùm ipſe amicitiam medicamq; facultatĕ colat obſeruetq;, hic noſtræ quæ illum complectimur, inuiolatæ amicitiæ ſit monimentum. Proinde cùm tu ſuauiſſimus nobis amicus redieris, & nos prout polliciti ſumus, reliquum libri primo iam apponimus, & illi promiſſum exoluere cupimus, quod nõ minus illius amor, vt quàm ocyſſimè poterimus, edatur, perſuadeat. Atque ab amicitia ſincera abſit omnis inuidiæ liuor, cùm intelligas quod quo citius librum tranſmiſerimus, illi item aliquid gratia referemus. Sed quod ego de te qui præſtantioribus obtemperas, animo concipio, id ipſe reipſa præſtas, quin potius te imprimis melioribus cedere, ac apprimè virtutem philoſophiamq; excolere, teſtari poſſum: vt nihil mihi meruendum ſit: ne tu, quem iam olim egregiè perſpectum habeo, aliter atq; ego, ſentias. Cæterùm hæc ioco potius quàm ſerio, vt noſti, huic loco inſerui: quare iam tempus eſt, vt propoſitum argumentum aggrediamur. Et quoniam in ſuperiori libro de temperamentis, & naturalibus facultatibus, adhæc, de inſtrumentalium præcipuarumq; partium affectibus quod cõgruum erat

pert

pertractauimus, necnon de pulsibus, & vrinis cæterisq; quæ per excretiones reiici conspiciuntur: reliquum est vt in præsenti de febribus atq; morbis qui summa corporis cute hærent, deinde qua curandi ratione ac via tollantur agamus. ita enim tractationis nexus optimè cohærebit. Ac quæ ex prædictarum præcipuarum partium inflammatione, aut intemperie quapiam supra modum aucta, febres succenduntur, caussa omnis in illas est conferenda, quòd nimirum adeò excalfecerint, vt ad cor vsq; calorem transmiserint, atq; idcirco febrem excitarint. Nunc verò de vniuersalibus potius febribus loquendum est, vt omnium caussæ discriminaq; tibi innotescant.

De agnitione Febrium. CAP. I.

QVm ergo nihil aliud sit febris, nisi ob antecedentes caussas, externi caloris incrementum, multa variaq; particularium febrium genera oboriuntur. aliæ enim diariæ, Græcis ἐφήμεροι πυρετοὶ: alæ continuæ & continentes, illas συνεχεῖς, has συνόχους Græci nominant: nonnullæ intermittentes, & aliquæ quòd in habitum iam transierunt, ἕξεως appellantur. Et diariæ quidem ex solo spiritu plus satis excalfacto: continuæ verò ex putribus quibusdam humoribus, vt hecticæ, quòd in habitum cordis febrium vitium abierit, com-

mittuntur. Harum omnium maximè moderatæ ſunt quæ diariæ nominantur, quippe quæ è mediocri quadam occaſione enaſcuntur. quædam enim ex ambientis frigore aut calore: aliæ rurſus ex ira, aut dolore, aut cura, quemadmodum nonnullæ ex cruditate, vel laſſitudine, vel alio quopiam eiuſmodi gignuntur. Vocantur autem diariæ, quòd vno fere die deſinant. ſunt tamen ipſarum quædã, quæ in quartum vſq; extenduntur. Atq; hæ oriuntur, cùm corpus non eſt impurum. Quòd ſi cacochymia quæpiam, aut alia incendio apta materia latuerit, ea ceu originem, diariæ calorem nacta, affectum in febrẽ quæ ex putredine conſtatur, commutabit, nec amplius iam vt diaria, ſed vt febris ex putredine finietur. Neq; id mirandum eſt, quando etiam diariæ nonnullæ in hecticas, velut poſteà pluribus docebimus, delabuntur. Ac diarias febres facile diſcernes, facilimeq; curabis: verùm quas putredo genuit, non ita promptè eas tamen procedente oratione dignoſcere etiam diſces. Proinde diariæ complures cauſſas habent euidentes, frigore nimirum, vel calore, aut dolore, iraue aut laſſitudine, atq; id genus reliquis antecedentibus. Vrinæ in his vt plurimum non carent coctionis indicijs. Pulſus celeriter dilatãtur, nec præpropere intro mouentur: differunt tamen inter ſe, pro

antec

antecedentium cauſſarum diſcrimine, quarum principia ſi non ignoraueris, modos quoq; quibus alterari conſueuerunt iniecta manu dijudicare commodè poteris. adhæc ægri in toleran doleuitas, ſolutionis in diarijs celeritatem tibi ob oculos proponet. Cæterùm febres quæ ex putredine fiunt, aliæ continuæ & continentes, reliquæ intermittentes vocantur, atquéue illarũ quædam eundem ſeruant tenorem, vigoremq;, ἰσοτόνους καὶ ἀκμασμοὺς φυλάττουσι Græci nuncupant, quòd vna eademq; fit febris vis: aliæ ἐπακμαστικοὶ dicuntur, vtpote quæ vnà cum febris robore vſq; ad ſolutionem progrediantur: nonnullæ παρακμαστικοὶ nominãtur, quarum vſque dum deſinunt vigor paulatim ſe remittit. Porrò continentes (Græci, vt dixi συνόχους) peculiari nomine appellamus, quæ ex ſanguinis nimio feruore accenduntur. Continuas verò, Græcis συνεχεῖς nominatas, eas potius dicimus quas humorum variorũ putredo committit. Ex intermittentibus autem aliæ quotidie, quædam tertio, aliæ quarto quoq; die reuertuntur: vt & nonnullæ tardius quinto aut ſeptimo redire feruntur. ſunt quoq; quæ inordinatis acceſſionibus repetant, quas illi πλάνητας, nos vagas atq; erroneas nominare ſolemus. Quæ ſingulis diebus accedunt, quotidianæ appellantur, atq; ex pituita quæ

extra

©BIUM

extra venas putruit, conſtantur. In ijs vrinæ circa initia cruda eſt, ſubcădida, aut perturbata: pulſuſq; cõtractionis velocitate, materiam quæ ſuccinditur indicat. Horror ergo eas primùm prehendit, pulſuſq; inæqualitas ac tenuitas: deinde ſuccenditur febris, & decem, et octo horis, aut paulò plus minúsve per acceſſionem occupat, nec vllo plerunq; cum iudicio ſenſibili deſiſtit. Quarum autem acceßio tertio quoque die accedit, ea ex flaua bile, quæ & ipſa extra venas vagatur, conſiſtunt. Hæ cum rigore vt plurimum inuadunt, debinc febris vſque ab horas ferè duodecim extenditur, licet nonnunquam plus minúsve perduret, pro humoris videlicet craſsitie ac copia, & virium ægri robore, cutíſque perſpiratu facili. Nullæ hîc in vrinis coctiones ſub initia apparent, & colore flauæ ruſæ ve viſuntur, ſuntq; illæ calidiores, quæ liberaliori tinctura inficiuntur. Quædam earum ſudore deſiſtunt, aliæ bilis flauæ vomitu, ac eius per aluum egeſtione, ſanguine è nare erumpente deſinunt. Pulſus in harum inuaſionibus non ſentiuntur, vt in quotidianis, parui ac inæquales. Atqui quæ poſt quartũ exacerbantur, & quartanæ nuncupantur ex ſucco melancholico cõſtituuntur. In his extrema primum refrigerantur: deinde ita febris viginti horas perduat. Vrinæ tenues

ſunt

sint & albæ, quæ posteà perturbentur, & pulsus, qualis in diarys. Cæterùm febris vnaquæq; ex anni tempore, loco: ad hæc temperamento, viuendi ratione, ætate, atque illis quæ singulos humores augere solent, discernitur. nam si quis ex his comitantibusq; symptomatis eas rite conijcit, exiguum, ni fallor, aut nihil, quod ad exquisitã dignotionem pertinet, eum latebit. Atq; hæ sunt simplicium intermittentium febrium notæ. Verùm ignorare non licet, nonnullas ipsarũ aut sibijpsis, aut alijs permixtas, multa intermittentium febrium discrimina gignere. nam quæ tertio quoq; die accedunt, duplicatæ falsam quandam quotidianæ imaginẽ præbent, quòd iam singulis diebus repetant. sed ab ijs qui rectè iudicare nouerunt, ex accessionum specie, & comitantibus symptomatis arguuntur. nam qui rectum potest de simplici tertiana iudicium ferre, is facilè duplicem quoque discernet. Quæ post quartum reuertuntur, si duplicantur, duobus continentibus diebus redeunt, vnoq; intermittunt. quemadmodũ rursus, si fortè fortuna quartana increuerit, triplexq; è simplici euaserit, quotidianarũ more singulis diebus accessiones infert. Verùm harum singulæ, eum qui accuratè simplicem dijudicare nouit, siue duplices, siue triplices fiant, latere non poterunt. Quòd si interdum

quint.

quintanas, & sextanas, & septimanas, aliásque eiusmodi, & præterea vagas nominari audieris, ne has quidem, ceu fieri nequeant, nullas esse arbitrare. nam cùm quatuor in nobis humores reperiantur, ipsorum quisq; vbi immutatus est, multas variásq; succorum corruptorum species generat. quare pro corrupti quoque humoris quouis dominio, etiam accessiones repetunt. Porrò vagæ & errantes, è turgenti quidem materia nascuntur, sed quæ inordinato atq; alij nondum confecto alio accumulato cibo compescuntur simul & increscunt. Cæterùm quemadmodum duplicatæ secum febrium differentias constituebant: ita et cùm inter se permiscentur, alia febrium genera oriuntur. nam quotidiana modò cum tertiana modò cum quartana miscetur, adeò vt tres fiant inter se consistentes coniugationes, & vnaquæque pro humoris in corpore redundantis natura, sibi peculiarem parit accessionem. Atque hæc ad febres interpollantes spectant: sed alia præterea est continuarum & interpollantium complicatio. nam nonnullæ ex ijs quæ continuis accessionibus vrgent, aut quotidie, quando videlicet pituita in venis corrupta computruit, aut post tertium, cùm venæ bilioso humore abundant, aut quarto quoq; die, cùm atrabilaris humor in venis infestat, cum prædictis

dictis intermittentibus complicatæ, alias febrium differentias constituunt. nam modò quæ quotidiana accessione continua est, cum quotidiana intermittente, aliàs cum ea quæ post tertium interpellat, quam etiam semitertianam, Græci ἡμιτριταῖον priuatim appellant: & demum cum ea quæ quarto die intermittit, implicatur. Sic & cùm ea quæ post tertium exacerbatur cõtinua, interdum quotidiana, aliquando tertiana, nonnunquam quartana & intermittentes commiscentur eodem modo & continua, quæ quarto quoq; die accessiones obtinet, cum tribus his intermittentibus permiscetur. quarum si singulares simplicesq; agnoueris, in complicatis quoq; discernendis haudquaquam aberrabis. Sed quia interdum καύσους & κηδάλυς, ac λιπυρίας audire continget, harum etiam causas & discrimina cognoscito καῦσος, quàm nostri ardentem vocant, è bile nimis efferuescente, est, quando & è sanguine feruido originem trahit, ac vehementissimo calore vrget, & omnium facillimè ad id quod res tulerit propendet, quòd tantum ardorem natura non ferat. nam aut iudicijs causas molestias abigit, aut in tanto alieni caloris impetu natura defatiscit. κηδαλοι verò sunt dictæ, quòd ἡπίως ἀλεαίνουσι, hoc est blãdè miteq; tepefaciunt, nõ enim febrem vehementẽ accendunt.

©BIUM

dunt. habent quidem horrorem euidentem, ſed febris ſuccedens horrori proportione haud quaquam reſpondet. interdum vterq; ſimul, & calor & horror perſentitur. frigidi & lenti ſucci modicè putres, hunc morbum faciunt. Deniq; λειπυρίας ſatis magno horrore inuadit, verùm euidẽs calor ei non ſuccedit, velut ex ipſo quoque nomine patere poteſt. nam λείπεται πυρὸς, hoc eſt igne, quod eſt calore deficit. nam oppidò quàm frigidus ſuccus ſumma cute innatãs, in acceßionum ſignificationibus ab excretrice facultate propellitur. quare horror comitatur, verùm calor nullus accedit, quòd ne putredo quidem ei ſucco, qui ſatis ægrè corrũpi ſua natura poteſt, aduenerit. Atq; hæc ſunt febrium quæ intermittunt, & quæ ſecus, genera. Superest etiamnum aliud febris genus, quòd ἀνίσους nominant, omnium deterrimum, quodq; propemodum curationem reſpuit. Vocant autẽ ἀνίσους, quòd eæ in habitũ cordis recipiantur. nam cùm affectio (ita nunc διάθεσιν interpretor) quædam afficientis cum affecto ſit familiaritas ac conſuetudo, quæ haud difficulter commutari poteſt: & habitus, quod eſt ἕξις, ſit conſtans & quæ ægrè elui poteſt affectio. non iniuria febres, quæ cor afficiunt, eius calorẽ per affectionem immutaſſe dicentur: quæ verò eſſe cerunt, vt calorẽ in habitũ admitteret, ἀνίσους

perit

peritioribus appellabuntur. Gignuntur hæ aliquando quòd diarijs ſuccedant, vbi nimirum vehementiori ira exarſimus, vel mœrore curaq; iugi intabeſcimus. eas ſi quis principijs obſtet, curare facillimũ eſt. Verũ quæ ob partium præcipuarum inflãmationes, & ſcirrhos, & tabem, ac reliqua magni momenti vitia cõmittuntur, omnium ſunt longè peſſimæ, quòd natura duobus grauiſſimis malis reluctari, propulſareq; nequeat. Naſcuntur quoq; haud ſegnius ex inueteratis malignisq; febribus, cũ cor iam ob præeuntem facultatis exolutionem vitium excipit. Inter has deterioris ſunt notæ, quas ἑκτικοὺς & μαρασμώδεις nominãt Græci, in quibus vitalis vis emarcuit contabuitq;, à quibus ægri vt euadant fieri nõ poſſe putatur. Itaq; in omnibus hectícis febribus calor in toto corpore ſuccenſus eſt, verũ etſi nunquam intermittat, eum tamen ferè æger minimè ſentit. At verò vbi cibum aſſumpſit, aut excitatus alicui ſtudio obnixius incũbit, ſe calidiorem fieri animaduertit. quod cùm nonnihil difficilius ſuſtinuerit, denuò in priſtinũ ſtatũ redit. Pulſus ijs parui ſemper ſunt & denſi, atq; vt plurimum duri. Vrinas reddunt quales in hectícis enumerauimus, proportione generi morbi exceſſuiq; reſpondentes. Quòd ſi malum progreditur, oculi cauãtur, colabuntur tẽpora,

frons mirum in modũ aret, palpebræ tardè attolluntur, oculi ſordibus oppletur, & tabe defluxionibúſque tentantur: & tandem in ipſo hominum cœtu, aut alijs quibuſdam vitæ munijs, non ſecus quàm qui animo linquũt, emoriuntur. Porrò illud quoque omnium poſtremũ ignorari haud decet, quòd ijs qui hectica febre corripiuntur, variè interdũ eæ quas putredo facit, implicantur. Verùm ſigna cuiuſq; febriũ ſpecies dirimunt. quæ cùm iam anteà ſint explicata, fruſtra nũc iterum huic ſermoni inſererentur, vtiq; quòd breuitas quam in hac tractatione ſectamur, hoc non ſuadeat. Quare ſermonem de febribus hactenus ſatis ſit produxiſſe. reſtat vt quæ neceſſaria ſupereſſe videntur, quantum compẽdium exigit, annectamus. Et quoniam cõplures morbi iudicijs finiũtur, conſequens erit, vt poſtquam affectus qui alicuius momenti ſunt, & febres recenſuimus, de iudicijs quæ tuta ſunt, & quæ non, deq; in ijs iudicantium dierum potentia, diſſeramus.

De iudiciorum agnitione. CAP. II.

TAq; cùm iudicium, quam κρίσιν vocãt, nihil aliud ſit, niſi expellentis facultatis quò infeſtãtia explodat, excitatio: iudicia quæ præcedenti coctioni ſuccedunt, in indicibusq; diebus eueniunt, moleſtiarum remiſſionem ijs qui iudicantur adferunt: quæ verò ſecus, recidiuam,

diuam, aut difficiliorem tolerantiam: vel morbi longitudinem, vel quòd omnium deterrimũ eſt, mortem inferunt. Iudicantur ergo ægri aut vomitu, vel alui egeſtionibus, aut vrinis, vel tinearum deiectionibus, aut ſudoribus, aut ſanguinis eruptionibus è naribus, aluo, hæmorrhoidibus, quẽadmodũ etiam ex vtero, velut fœminis vſu venit. Adhæc in nonnullis et abſceſſus ſub ipſis auribus, παρωτίδας appellãt, et reliqui humorũ decubitus, iudicij vim obtinuerunt. Sputa item quæ tuſsi redduntur, & ſomni nonnunquã moderati, qui anteà deerãt, cùm acceſſerunt, ægrum à languoris impetu leuarunt. Cæterùm non omnia omnibus ſunt familiaria, ſed pro ægritudinis ſpecie, & ægri habitu, anni item tẽpeſtate, cõſuetudine, ac ætate oboriuntur. nam aliquibus vnũ, aut duo, alijs plura quoq; ſed omnia conuenienter accidunt, ijs quidẽ quibus tuta ſalus promittitur. Quapropter, ne quemadmodum qui in tenebris degunt, temerè hæc proferre videãtur, age diſtinctionis lumine, orationem dirigamus, ac ſigillatim de iudicijs loquamur, quo ijs quæ cuiq; peculiaria ſunt, & quæ potiſsimum inſequitur affectio, cognitis, ita de complicatis quoq; ſententiam ferus, facilisq; tota tibi iudicij tractatio euadat. Igitur quæ vomitu aut ſoluta aluo iudicatur, primum indicant, materiam quæ fe-

brim fecit, ad ipſas vſque venas nõ pertigiſſe: ſed in aluo ac inteſtinis putrem accenſamq; ſubſiſtere. et inde vſq; ad cor alienum calorem tranſmittere, qui tẽporis ſpatio ſublimiora petens & homini negocium faceſſat, & naturalis vitaliſq; caloris facultatem, ſuo imperio turbet. Deinde hic onera, pũctiones, & vrinæ magis alterantur. Verùm ſimul atq; quæ in nobis eſt ſeruatrix facultas ſe emancipauerit, ſuiq; iuris fuerit, & incocta coxerit, atq; ex coctis iã cõuenientia ſibi ſumpſerit, quicquid ſuperfluũ inutileq; fuerit deorſum ſurſumq;, pro vicinia ac materiæ momento & propenſione, ceu experrecta protrudit. nam ſi anteà coctionis nullæ extiterint notæ, vires ægri potius non præpollere, nec eas materiam turgentem ſuperare poſſe exiſtimabitur. quod quia quaſi defatigatos eſſe ſignificet, longè peßimum habetur, niſi mordens quæpiam qualitas ante opportunam coctionẽ irritans, ab infeſtantibus humoribus vindicare nitatur. ſed an ſic iudicandus ſit prænoſces, ſi affligentes humores ibi magis vigere morbi genus denunciabit: & ſi facilè vomit, aut aluus ægro promptè ſoluitur, neq; aliorum iudiciorum notæ, quas poſteà docebimus, adſunt. Porrò priuatim per vomitum iudicium expectatur, cum viſcera veluti conuelli, et inferius labrum moueri, ac vertigine corripi, &

teneb

tenebricosa quædam oculis obuolitare, & flaua, pallidaq; ac varia cerni videntur. hæc enim atq; eiusmodi alia, si anteà apparuerint, iudicium per vomitum portendunt: sic per alvum, onera ventris intestinorumq; murmura. item & punctiones intestina permeantes nunciant iudicandum. Sanguinis verò profluuij iudicia corripiunt primùm, cùm eiusmodi humor vigere conspicitur, idq; ex anni tempore, & victus ratione, adhæc ætate, cõsuetudine, & demum ex ægri pulsibus, vrinaq; coniectamus. Ac cùm per nares fluxurus est, viscera conuelli velut in vomitu diximus, videntur, & splendores oculis obuersantur. Et si dextrum viscus attollitur, nare dextra potius sanguis fluet: sin sinistrum, læua. Per hæmorrhoidas autem sanguis erumpet, si renes pondus sentiunt, ipsaq; venarum ora inflammatione tentantur & quasi titillata mordentur: maximè si ijs æger assuetus est, nec alia signa præcedũt, ac materia turget. Verùm in menstruis purgationibus, tum ex similibus, tum ex ipso dierum circuitu, quid expectandum sit, dignosces. Sunt autem ijs subrubræ & rubræ, ac veluti cruẽtæ ferè vrinæ, quòd sanguis eò confluat, ac moderatè suo colore inficiat. Sudores verò succedunt, cùm quæ ex tertia coctione supersunt, abundãt exuperantq;. quare & in vrinis hîc

Actuarii Joannis filii Zachariae operum - page 117 sur 731

anteà cõferta coctaq; sedimẽta, quæ sublimius ferãtur, apparent: & vndosus est pulsus, ac si manum in sinum immiseris, inspexeriq;, vapo rosus quidã sensus occurret, quòd videlicet id quod tenuius est prius diffletur. Vultum bonus color decorat, idq; potius si sanguis per nares profluxurus est: deinde, & in iudicijs quæ fiunt per sudores. Si tamen serosus in venis humor excesserit, ac putruerit, febremq; inde excitarit, crasse & turbatæ vt plurimum sunt vrinæ: sed cùm iam ad iudicium impetu fertur natura, tenues & copiosæ feruntur, attamen longè suprà eius quod bibitur mensuram, atq; hoc iudicium per vrinas vocatur. At cùm crudus est humor & anni tempus obstat, ac propellens facultas id quod superfluum est protrudit, si affligens humor ad caput conuertitur, & foras erumpit, sub auribus abscessus enascuntur, quos παρωτίδας vocari diximus: quin & erysipelata, atq; in collo extuberationes, è bilioſis alijs'ue corruptis succis generantur. Sin humor deorsum delabitur, fiunt qui vocantur decubitus, Græci ἀποκυήματα dicunt. quòd si noxius humor intro conuertitur, abscessus, quos ἀποστήματα vocant, oriuntur. qui sanè omnes alio rursus, vt concoquantur excernanturq;, opus habent iudicio. Atque qui foras prodeunt, meliores sunt, facilius q;

©BIUM

ciliusq; ijs subuenitur : at qui intro recurrunt, peiores cum sint, maiori diligentia & fortuna prospera indigent. nam nisi infernè per vrinas aut aluum decedentes, aut, vt in thorace quæritur, tussi educti, disrumpantur, sunt quidem tempore secundi, attamen prioribus affectibus nonnunquam deteriores censentur. Fit autem in his quoq; iudicium, cum rumpitur, & sputa facilè educuntur. Quin & somni in phreniti-de similibusq; morbis, interdum accedentes, satis fuerunt, vt non leue esse iudicium existimaretur. Proinde in vnoquoque morbo diligenter spectandum est, quis humor eum faciat, & quò vergat, & quod cuique iudicium sit accommodatius, atque ita demum de iudicijs coniecturam facere. alij enim sudoribus, alij aluo molliendæ sunt aptiores : alij sanguinis profluuijs capiuntur, pro ætatis, anni, temporis, & victus, consuetudinis item, & cæterorum quæ antè proposuimus ratione. Quòd si humores fuerint complicati, & huc illucq; suo impetu ruant, non est à ratione alienum, vt varia quoque iudicia fiant, quæ pro ingenij tui sagacitate, ex morbi specie motuq; coniectans, citra difficultatem assequeris. Quocirca in omnibus ijs qui iudicãdi sunt tria hæc anteà sunt examinanda, ægri vires, instrumẽtorum quæ humores continent coctio, & an

ea quæ in iudicijs existunt, quantitati qualitatiq; humorum, qui vigere videntur, proportione respondeant. nam cùm vires defessæ sunt, omnia peiora sunt reputanda. deinde si iudicia apparentia coctio non præcesserit, impotentiam, ob quam natura euincere nequit, aut humorum copiam adesse, & ob id, atq; eius generis alia malignus esse morbus censetur. Vnde aut dolores, aut animi deliquium, vel sensus priuatio, aut delirium, vel eorundem recidiua, & in summa nihil non deterrimum coniectura est expectandum. Sed & hoc pessimum est, si alia aliorum loco, & quantitate minora feruntur. nam hæc & id genus alia sunt notæ deterioris. Itaq; ad ægrum ingredienti, prius quàm alia, aut ipsum tangas, eius forma tibi decubitusq; considerandus est, adhæc respirandi facilitas, & an stertat, vel anxius sit, aut deliret, aut aliud pro alio respondeat, vel tussiat, nihilq; effatu dignum reiciat, vel aliud aliquid adsit, obseruandum, antè quàm vel eum, vel reliquos interrogaueris. Dehinc percontandum est quid laboret, eaq; omnia cùm illis quæ tu prius quàm ipse narraret, collegerae conferre oportet. Posthæc contrectanti pulsum vitale robur, & num ipse cum ijs quæ narrantur apparentq; consentiat, explorandum. Præterea, si vrinæ, aut excretiones, aut sputa adsunt,

adſunt, ea inſpicere quoq; decet: atque eorum coctionem, aut cruditatem, aliam'ue quampiam conſiſtentiam vel malignitatem ſpectantem, de dierum qui ab initio accubitus elapſi ſunt, numero ſciſcitari, & an aliqua extiterint iudicia quærere. atq; ita demum omnia ſimul comparantem, victus rationem præſcribere, & reliqua quæ ad dignotionem morbiq; prænotionem ſpectant, pronunciare oportet. Nam ſi hac ratione ac via inceſſeris, parum aut nihil à vero & ſecuro aberrabis. Verùm quo certius euidentiusq; obuios morbos dignoſcas, ſigna quæ malum bonum'ue promittant, eorumq; diſcrimina, quibus inter ſe maioris minorisq; ratione diſſident, annectam. Sic enim diſtincta tractatione, omnia facilia & procliuia eſſe videbuntur.

De ſignis. CAP. III.

DEcubitus igitur omniũ optimus eſt, aut in dextra, aut ſiniſtra alu, niſi ex conſuetudine familiares fuerint, ſunt deteriores. nam ſupinum cubare, imbecillitatem potius, & pronum dolorem in ventre & inteſtinis, aut delirium notare putandum eſt. Membrorum verò iactatio, & anxietas, niſi iudicium expectetur, ſunt prioribus peiora. Delabi ad pedes, eosq; citra multum calorẽ ſtragulis eductos proferre, deterius eſt: nam ægri imbecilli-

tatem, viriumq; exolutionem connotat. Adhæc & ea quæ in vultu apparent inſpectãda ſunt. nam oculi caui, tempora collapſa, naſus acutus, frons perquam arida, non rectè audire, aut cernere, aurium fibræ contractæ, ſi oculi inuito illacrymant, lingua ægrè voluitur, & titubat, ſi mente eſt alienata, ſi ſopor aut vigilia affligit, ſi oculi cruenti ſunt & inſtabiles ac palpitant, aut eodem loco immobiles conſiſtunt, etſi conniuentes palpebras non omnino committunt, ſed alba apparent, neq; id ob copioſiorem alui fluxum contigit: ſi gemunt, cum tamen nullus dolor conſpicuus ſit, etſi acutius & cum clangore loquuntur, & ſupercilium conuulſum eſt aut laxum, etſi hianti ore dormiunt, & dentibus ſtridunt, & præcordia in tumorem ſublata & dura, quæ digitorum contrectationem non facile ferant, habent. Hæc enim & eiuſmodi alia, ægrotantibus peſſima promittunt: potiſſimum ſi talia, eo quòd iudicium expectetur, aut ob proximum quempiam commiſſum errorem, qui interdum omnium eiuſmodi prauorum ſignorum malitiam eleuat, niſi fuerit maximus, haudquaquam extiterint. Cæterùm hæc quamuis ſint mala, inter ſe tamen malignitate diſcrepant. æquum enim eſt, vt vnum peſſimum, multis minus malis plus poſſit: atque vnum aut duo bona, multorum

malor

malorum vim infringant. Nouisti autem probè, quænam malorum collatione praua sint habenda. nam somnus moderatus, decubitus assuetus, pulsus moderatus, aut qui ad eum proximus accedit, neq; vllam inæqualitatem, aut duritiem, aut interceptionem, aliud'ue quippiam mali habet, etsi quid à pluribus bonis euincitur: vrinæ item cum concoctionis notis, & egestio similis, spiritusq; facilitas præcipuè in affectibus thoracis, & quæ ad cerebrũ pertinent, haud perperam emota. hæc & huiusmodi, multum in ægris viribus pollere solent. Quare cũ antecedit coctio, & æger facile morbi impetum sustinet, ac derepente horror ingruit, & febris ingens, & delirium nonnunquam, ac animi deliquium, iactatioq;, & æger varijs modis grauiter fert morbum, non est magnopere metuendũ. non enim ea tam sunt malignitatis indicia, quàm morbi paulò pòst iudicij aduenturi, quippe quòd facultas infestantes humores pessum dedit, ijsq; conuenientem coctionem admolita est, quicquid inutile est secernit ac segregat. Quocirca sudore, & sanguinis profluuio, vomitu, & alui euacuatione, atq; eiusmodi alijs, natura non ita multo pòst ægro sanitatem restituet. atq; hæc in perfectis iudicijs accidũt, quæ et in indicibus anteà significãtur. nã si quid ipsa in prædictis iudicijs

magni

magni momenti eſt factura, id ante iudicij diem in indice prius quaſi præludens nunciat. quare aut exigui ſudores, aut ſanguinis è nare ſtillæ, aut parũ cocti ſputi educitur, atq; aut pu ſillũ maius quippiam antè apparet: et niſi forte quòd materia turgeat, aut ægri vires validæ ſint, præeuntes ſignificationes iudiciũ anteuertat, non aliter quã in alijs per contraria pedetentim id quod noxium eſt, crebris iudiciorum circuitibus coquitur expelliturq;. At quibus natura ad affligentium expulſionem non excitatur, multaq; eſt grauantium humorum cruditas, & vitale robur languet, quid niſi peſſima opperiri oportet? complures nanque praua notæ comitantur, & ſi quid forte in ea morbi conſtitutione excernitur, maior retinentis facultatis imbecillitas ac impotentia ſequitur: & quæ ſic expelluntur, perquam cruda, prauaq; conſpiciuntur. Quocirca cùm quæ ſint coctionis & quæ cruditatis ſigna tibi ſint perſpecta, & quomodo facultas noſtra naturalis cognoſcatur: adhæc quæ ſint praua, & quæ minus, nota: opus eſt vt ſigillatim ea expendens, ita de euentu pronuncies. Atque in ventriculo, aluo, & quæ illi adhærent inteſtinis laborantibus, primùm quæ vomitu expelluntur, & quæ ventre ſecedunt, ſunt ſpectanda: deinde & aliunde ſigna corradenda.

radenda. In thoracis & pulmonis vitijs respirationem, & quæ sputo educuntur, eorumq; coctiones inspicere oportet: post hæc, ex alijs quoq; coniecturam facere. Sic quæ cerebrum tentant, consentientes partes, somni, & vigilia, si modum excesserint, sensus item difficultas, isq; abolitus, & si quid est aliud quod eius affectum prodat, denunciant. Eorum porrò qui in venis vigent humores, ex vrinis primæ accersuntur notæ. nam si primum ex familiaribus & propijs cuiusq; patientis loci indicijs iudicium feceris, atq; ita ad consensus cùm reliquis partibus accesseris: sed antè omnia vitalis tenoris modos, perinde ac si omnis affectus inde perficiatur, indeq; spes aut desperatio sumatur, tanquam à iudice quopiam qui de vitali robore, ceu vincente aut victo, sententiam ferat, spectaueris: parum aut nihil eorum quæ ad vrgentium affectionum quem finem exitumq; sint habituræ, prænotionem dignotionem ue attinet, te præteribit. Proinde quoniam tractationem de iudicijs sequitur de diebus iudicatorijs, age etiam de ijs breuibus, quod necessarium est agamus: quo ne in hac quidem parte institutum claudicet.

De dierũ iudicatoriorũ dignotione. CAP. IIII.

QVod igitur certis statisq; quibusdam diebus, iudicia, neque ijsdem omnia fieri soleant:

ſoleant: deinde, quòd non æquis omnes dies iudicatorij viribus polleant, nemini non, quòd ita ſenſus quotidie doceat, eſt perſpicuum: verùm quibus de cauſsis ita fiat, nunc explicabimus, ijs maximè rationibus inducti, quæ de mutuis corporum cœleſtium cum noſtris conuenientijs, ac conſenſibus feruntur, quodq; naturalibus ſuis perpetuisq; lationibus, ac ſuis inter ſe mutuò configurationibus, atq; ijs quæ cuiq; ſunt peculiaria, plurimum aërem hunc terram ambiẽtem, & corpora eũ incolentia afficiant, ac alterent, iuxta eas rationes, quibus à primordio rerum opifex ratio hæc concinnauit. aliud enim alio magis, ac varijs mutationibus alterare ſolet. omnia tamen, cum diuinæ ſint prouidentiæ inſtrumenta, pro ſua ſibi inſita facultate alterant atq; euariant, & iuxta rationes quas ijs ſemel largitus eſt Deus, cuncta noſtra corpora contemperant commutántque. Cæterùm ſuas in nos actiones, quæ quidem ſenſibus patent, euidenti ores ſol & luna exercent. Siquidem ſol anni tempora, quæq; in ijs occurrunt omnia effingit. nunc enim frigoris ſit cauſſa, & noſtra corpora condenſat: quare imbres, & niuem, & reliqua quæ in aëre gignuntur, cogere videtur: atque idcirco in animalibus & plantis naturalis proliſicusq; calor interna petit, quo oſcula claudãtur, & int

& interni ſucci conficiantur, ac paulò pòſt ad nutricationem idoneos reddat. Modò ad nos reuertens, coactum in aëre gelu diffundit, & meatus anteà frigore obſtipatos reſerans, plantarum germina pullulare facit, atq; ad ſe concretum humorem, qui anteà ob viuifici caloris in intima receſſum, germinationem impediebat, attrahit. Quin & noſtrum omnem in imo ſibi familiari cognatoq; delitescentem loco calorem, ad cutem prolicit: atq; ob huiuſmodi eius impetum, ex inſidente etiamnum materia, multa variaq; circa totius corporis ſummam cutem iam efflorescunt. quippe exanthemata papulæq;, ac ſudamina, atque adeò ſudores ſoliti erumpunt. Vbi verò ſolis æſtus iam vehementius vrget, ſucci noſtri præ feruore bulliunt, omniaq; iam enumerata inualescunt, adhæc ſqualor ſtagnantis huius aëris humorem exhaurit, fructus fugaces, & æſtiui (ita iam ὠραῖα interpretamur) tempeſtiuè maturantur, quod partim ſuperuacaneus humor maturitate coquatur, partim abſumatur. At cùm iam à noſtra habitatione recedere, ac ſeptentrionẽ petere incipit, ſqualida & etiamnum excalfacta noſtra reſtant corpora: atq; anni frigidiore tempore remeante, auſtroq; accedente, quòd frigus increſcat, meatus noſtri occluduntur, caloresq; reliquias impetu

quo

quo foras ferebatur prærepto, recondunt. Plantis quoq; similia eueniunt: nam folia ob id defluunt, ceu aridæ euaserint, eo quòd plurimum humoris sui euanuerit. quare in posterum, in se contrahuntur, & quod ex facultate naturali reliquum est, iterum reficiunt refocillantq; ac excuscitant: atque alium rursus sibi terræ humorem reponunt, nouumq; insequentis anni operiuntur teporem. Porrò iampridem tum animalium, tum plantarum essentia marcore contabuisset, nisi demirandas has anni tempestatum mutationes sol esset molitus. nunc verò cùm alia alijs præparet & dispensęt, rerum ortus interituſq; opifici ceu instrumẽtum est effectus. Cæterùm nolo sigillatim eius actiones recensere. quandoquidem hoc nostrum iam non est institutum. est enim terra mareq; eius facultate refertum: adeò sol in omnibus quæ mutantur corporibus, mirandum est opifici instrumentum. Adhæc luna suis incrementis decrementisq; tempestatum vicissitudines imitatur. nam à coitu vsq; dum dimidiata est, verũ tempus representat: inde vsq; ad plenilunium, æstatis statum præ se fert: hinc rursus cùm dimidiata apparet, autumnũ refert, vt extrema sua septimana, hyemis tempestatem exprimit. & quamuis ea omnium sensibus liquidò non patent, non tamen hanc rationem euertunt. est enim

enim vtiq; aliquod Lunæ robur, velut omnibus iam ſenſibus conſtat, vt ſolis vim infringere hebetareq; queat, potiſſimum ſi luminaria aduerſantia ſibi anni tempora effecerint. Attamen in imbecillioribus atq; ad patiendum aptioribus corporibus, in quibus exiguum accedens momentum plurimum pollet, quæ inde proficiſcuntur alterationes proptius ſenſu percipiuntur. Atq; hæc breui adeò temporis ſpatio ſigniferum circulum, ζωδιακὸν appellant, perambulans (nam quatuor ferè dierum ſeptimanæ, minus parte quapiam, à ſua in eundem locum reſtitutione, dinumerantur) tempeſtates deſcribit, & multa admiratione digna, in noſtris his mutabilibusq; corporibus ſuo circuitu afficiens excitat. Siquidem quòd reliquis propius ad terram accedat, & magnas in ſuis incrementis decrementiſq; ſuſtineat mutationes, promptè noſtra quoq; corpora vnà mutantur. Verum quo modo tum hæc, tum reliquæ tam inerrantia quàm errantia ſydera, ſuis viribus & circuitibus apparitionibusq; ac occultationibus ob naturales quaſdam rationes, quas Opifex illis tribuit, in inſtabilia fluxaq; hæc corpora agant, id alium requirit locum, aliámq; poſtulat contemplationem, quod non ſit propoſitum hæc in præſentia oratione explicare. Quare cùm de diebus iudicatoriis verba

Actuarii Joannis filii Zachariae operum - page 129 sur 731

facere anteà in animo haberemus, de ijs agamus, ab ipsis vtique lunæ circuitibus arrepta ansa. Cùm itaq; lunæ corpus quatuor maximas accipiat mutationes, vtpote quas per septimanas singulas metiamur, deficiente exigua quadã portione, & vnaquæq; septimana quadrãgulare latus complectatur, æquum est tum eiusmodi figurationem, tũ numerum septenarium, qui in ea maximè dinumeratur, viribus quibusdam pollere. Siquidem solem quoq; in hac configuratione, temporum mutationes facere cernimus. Quapropter si tantũ quadratus syderum aspectus valet, et septem dies, exigua quadam portiuncula desiderata, in vno latere numerantur, numerum hunc septenarium plurimũ in corporibus his mutationibus obnoxijs par est valere, potißimum si maximis quibusdam motibus liberentur, & velut in lance appendantur. tunc enim quæ illinc accedunt momenta, quàm maximè immutare solent. Verũ quia in ijs quæ generantur, motu agitatorum euentus qui nam futuri sint, vt plurimum in principio ignoramus: sed vbi iam dimidiũ temporis pertransijt, haud pauca euentus indicia antè prorũpunt: (inuenimus quippe medietatẽ cum causßis euentuũ affinitate quadam consentire, vt ea propter multo antea eorũ quæ motu cientur euentus quadantenus pronuncientur,

ac

ac quasi præconis voce proclamentur.) septima narum medietates proximè post septimanas viribus pollebunt, interdũ perfectè ac sua vi iudicantes, interdum subsecutura septimanarum iudicia denunciantes. non ita sanè iudicia per septimanas occurrunt, sed perfecta semper sunt nisi exiguæ quæpiam perfecti iudicij reliquiæ, qualibet de caussa in proximum iudicatorium diem seruẽtur. Quamobrem quartum primum aut iudicare, aut insequentis septimi indicem esse: deinde post eum, septimum perfectè iudicare asserimus. atq; ita vndecimum, & post eum decimumquartum: adhæc decimumseptimum, atque inde vigesimum: & post eum vigesimumquartum: postremum verò septimum & vigesimum esse dicimus, quarto septimum semper excipiente. Verùm quia & tu & alij quidam ambigere possent, quomodo primas septimanas & quaterniones diebus integris, reliquas verò imperfectis dinumeramus, hoc quoq; nõ ab re dissoluemus, ne cui inconsideratius dies iudicatorios recensere videamur. Itaq; quòd septimus, decimus quartus, vigesimus, & vigesimus septimus, quotidie iudicare deprehendantur, vel ex ipsis ægris planè discere licet. at quod nonnunquam vigesimus quoq; primus iudicet, nec hoc quidem eos qui diligentius animũ aduertunt, latet, & caussa in pro-

Actuarii Joannis filii Zachariae operum - page 131 sur 731

ximè antecedentem refertur. nam quia, veluti diximus, ſeptem ac viginti diebus & quadam diei portione, tempus quo luna ad eum ex quo abijt locum redit concluditur: paululum ei deeſt, vt integræ perfectæq; ſingulæ ſeptimanæ numerari poſſint. Quare cùm quatuor ſeptimanis numerum partimur, in prima, quia parum eſt quod deficit, nihil neq; de quarto, neq; de ſeptimo demitur. atq; in ſecunda, quanquã iam plus deeſt, quàm in prima, minus tamen quàm vt integer dies auferri poſſit, non ſecus quàm primam eam dimetimur. At tertia ſeptimana, quæ in vigeſimum terminatur, quòd manifeſtus iam ſit defectus, mutilatur: & non amplius decimus octauus, ſed qui præcedit, eius quartus recenſetur, quòd principium habeat decimumquartum, quoniam eius quoq; euidentior fit quàm antecedentis defectus. Denique quia tertia ſeptimana primi & vigeſimi particulam quampiã ſumit, idcirco ipſe quoq; fide aliquando iudicare creditur. Poſt has iudicant trigeſimusprimus, deinde trigeſimusquartus, & poſteà quadrageſimus, qui ſecundus eſt vicenarius. nã iudicia periodica quæ à vigeſimo vſq; ad quadrageſimum fiunt, ſunt qualia à primo in vigeſimum. Atq; acutorum morborum iudicia ad quadrageſimum vſq; vt longiſſimè porriguntur, poſt quem longi appellari incip

incipiunt, nec amplius per ſeptimanas, ſed per vigeſimanas et quadrageſimanas iudicantur. nam poſt quadrageſimum, ſexageſimus, deinde octogeſimus, poſteà centeſimus vigeſimus, dehinc centeſimus octogeſimus eſt iudicatorius. vel enim ÿ in cuiuſq; anni tẽporis mutationibus ſoluuntur, vel cùm locũ mutant, aut quod poſtremum eſt, cùm oppoſitas tempeſtates decidunt, vel cùm ad idem, quo cœperunt, tempus redierunt. Qui hæc effugiunt, in commutatione ætatis iudicantur. atqui eas quoq; exuperant, medelam non admittunt, quod iam ſalus quæ à tempeſtatum temporumq; mutatione ægro promittebatur, ſit deſperata. Cæterùm quia nonnullos dies qui interdum iudicant, ſuprà dedita opera præteriuimus, ne in aliquo defeciſſe videamur, illorum etiam ratio reddenda eſt. Proinde tertius & quintus, adhæc ſextus & nonus, præter prædictos iudicare conſpiciuntur: tertius quidem & quintus, ſeptimanæ per quadrangulare latus numeratæ minimè appropinquantes: ille quaternarij perfectè iudicantis facultate inferioris, & primum conſentientis functiones ab humoribus vindicantes anticipans, hic excipiens, poteſtate vterq; ob viciniam veluti arrogata iudicat. quare eiuſmodi iudicia, quæ vt plurimum finis bonus comitatur, minime mala eſſe cenſemus.

Actuarii Joannis filii Zachariae operum - page 133 sur 731

Quòd si id fieri dixerimus, quia tertio etiam die lumen lunare iã illuminat, & intra quintum ſexangulare latus conſpicitur, quæ vt demonſtratum fuit, vires non contemnendas obtinent, probabilius vtique erit prædictos dies iudicare. ſed qui eos inſequitur ſextus, omniũ quos nouimus in iudicando peßimus eſt, quippe qui omnium potentißimum diem ſuo impetu præuertit. nam ſi quaterniones, quia cum ſeptimanis affinitate quadam conſentiunt, vim iudicandi habere diximus: profectò ſeptimanæ erunt potentißimæ. Quare cùm materia promitante iudicium, quod in ſeptimo cum vniuerſo cognatione quadam conſentit: iure iudicia quæ in ſextum incidunt, praua malignáq; erunt, neq; perfectè iudicabunt. Proinde in ſexto ſemper aut morbi longitudo vel mors aut recidiua ſuccedit: atq; in ipſis iudicijs ſenſus abolentur, & deliria, animiq; deliquia, multiuáq; non deterrimum ſymptoma oboritur. Porrò interdum quæ ita praua expectanda ſunt, non ſecus quàm ea quæ in ſeptimo eueniunt, quartus prænunciat. Nonus autem qui poſt eos iudicat, quia latus triangulare ſeruat, ob id fidam potius in iudicando vim habere cenſebitur, quòd ea figura ægro mutationem adferre ſatis ſufficientẽ valeat: atqui vim conſ gr[illegible]rationum callent, qui in mathematica ſcien

tia

tia verſati ſunt. Cæterùm non eſt mirandum, quare plures reperiantur in prima ſeptimana quàm in ſubſequentibus dies iudicantes. nam qui intra hanc iudicantur, ijs vt plurimum humores turgẽt, viresq; vălidæ ſunt. ea verò quæ in vniuerſum vltra progrediũtur ab impetus vehementia receſſerunt. Porrò morbi longè acutiſſimi, in quarto aut quod proximum eſt, in ſeptimo iudicătur: qui ſimpliciter ſunt acuti in decimoquarto, vel vigeſimo: qui verò quadrageſimum attingunt, prout cum ijs qui poſteà iudicantur, conferuntur, acuti nominătur. Cæterùm omnes hi euidentibus excretionibus iudicantur, nam ſi ita non ſoluuntur, denuò repetunt: vt & ij quorũ iudicia in iudicantibus diebus non eueniunt. Verùm cùm quæ iudicantur, non fiunt ex ratione, non eſt præpropere & præcipitanter nutriendum: ſed perfecti iudicij tempus coniectare oportet, atq; ita viuendi formulam euariare. Iam qui intra vigeſimum non iudicare cenſentur, ſunt, primus, ſecundus, octauus, decimus, duodecimus, decimustertius, decimus quintus, decimus ſextus, decimus octauus, & decimus nonus. hi enim aut penitus non iudicant, aut ſiquid iudicare videntur, id non ſua natura, ſed à præeuntibus aut ſubſequentibus iudicatorũ obtinẽt, à quibus cùm momentum quodpiam accipiant,

Actuarii Joannis filii Zachariae operum - page 135 sur 731

imperitioribus quandoq; iudicare, cùm tamen nunquã ex ſe iudicent, creduntur. Sed de diebus iudicantibus, prout breuibus, perſtringi poteſt, hactenus. Cæterùm eum qui dierum vires obſeruat, humorũ quoq; coctionem, & ægri virium robur: adhæc ſymptomata comitantia aßidentiaq;, necnon morbi motionem, atq; ex motione eius præſagia adaptare decet. nam ſi in primo aut ſecundo coctionis notæ exiſtunt, cùm acutè mouetur morbus, & æger validus eſt, in quarto morbi iudicium ſperare oportet. Cùm verò non admodum acutus eſt morbi motus, nec vires cedunt, iudicium in ſeptimo adfore putandum. Quòd ſi in tertio aut quarto coctionis indicia ſe produnt, cum validis viribus in ſeptimo: cum mediocribus in vndecimo, & decimoquarto iudicium expectandum. Atq; ita hæc animo tecum anteà volutãs, & victus modum inuenies, & num æger euadet, an vi morbi ſuccumbet, non ignorabis. nam ſi ſingula ea probè diſcernere didiceris, quod ex his omnibus conficitur præſagiũ patebit. Atq; his ſatis, ijs quidem qui breuitati ſtudent, & ex mediocribus maiora colligunt, iam explicatis, ita finis imponatur. Cæterùm quoniam anteà de internis vitijs, quibus nimirum inſtrumentales ſimilaresq; partes detinentur, pertractauimus: atq; ſermo in ſumma extimaq; cute

deſyd

deſijt, cum ſudoris ac quorundam exanthematum meminimus, ſupereſt, vt ceu aliam rurſus ingreſſi viam, de reliquis, quæ videlicet ſumma corporis cute hæret, agamus, atq; ita ipſam curandi viam rationemq; capeſſamus. Et quoniam ijs quæ in corporis ſuperficie enaſcuntur, morborum qui ſenſuum inſtrumenta vrgent, tractatio cohæret, (nihil enim anteà de ijs propoſuimus, quod in hunc locum eos reſeruaremus) ne illam quidem à nobis ſilentio iuſtas ue ſit præteriri. Et vt caput omnibus corporis partibus incumbit atq; eminet, ita & de ijs quæ in eo gignuntur, & ſub obtutum cadunt, primùm meminiſſe decet. nam de ijs qui in interna eius parte, & præterea in reliquis membris latent, ac poſtremò de affectibus qui toti corpori communes ſunt, dictum fuit anteà.

De affectionum cutis capitis agnitione. CAPVT V.

CApitis itaq; vitia ſunt, porrigo, caluitium, ophiaſis, & alopecia: ſed diſtant, quòd ex diuerſis inter ſe cauſſis oriantur. Nam porrigo, ſiue quam πιτυρίασιν Græci vocant, eſt praui humoris qui ſurſum fertur, & per capitis cutem diſcutitur, ſoboles. Vitium cuiuis facilè innoteſcit. caput enim ſcalpentibus ſquamulæ & veluti furfures quidam tenues, vnde etiam nomen Græcis inuenit, decidunt. Vtilius

Actuarii Joannis filii Zachariae operum - page 137 sur 731

©BIUM

autem eſt eum reſolui, quàm intus coërceri. ſiquidem hoc obſtat, quo minus materia in aliã partem vertatur: hoc facilem oculis aut dentibus vel auribus aut locis auriũ proximis noxam creat. Caluitiũ verò & glabrities, quàm φαλάκρωσιν nominant, euenit interdũ tum ob humorem redundantẽ, tum ob ſiccitatẽ nimiã. Etenim ipſe quoq; noſti, neq; in paludibus, neq; in arenoſis exaridúq; locis herbas enaſci. Quare eius rei cauſſas etiã huic adapta: vel potius vnica ſolutione, vtrumq; ſi controuerſum erit, dirime. igitur neq; humida eſſentia plurimum excedens ea quæ non ita multo poſt ſunt generanda, producere & nutrire, neq; inualeſcens terræ ſiccitas, ea quæ increſcere debent, augere poteſt: ſed vtraq; opus eſt commoderata. ſiquidem humore alimentum, ijs quæ nutriuntur, adhæret & apponitur: ſiccitas verò conſtantiam ſoliditatemq; addit, ac ne ea quæ aluntur promptè diffluant, efficit. ſic hîc quoq;, cum nimio humore pilorum radices madent, effluunt, quod ſiccitas, quæ humorem cogat, deſideretur, neque aliæ ſucreſcant. rurſus vbi ſiccitas præpollet, neque habent vnde prorumpentes alantur augeanturq;, neq; cùm excidũt, aliæ enaſcuntur, quòd vaporoſus humor deſit: vt taceam, quòd ob ſiccitatem meatus ſubſident præcludunturq;. Quòd ſi alius humor

varius

varius & corruptus fuerit, qui pilorum radices erodat, easq; inæqualiter amputet, areas, quas ἀφίασιν, & ἀλωπεκίαν Græci nuncupãt efficit. Et vitiũ quidem ex re ipsa ἀφίασις, iure ita vocatur, quòd serpentis, quem ὄφιν appellant, conuolutionum instar, per capitis cutem serpat: ἀλωπεκία verò nuncupatur, quòd assiduè vulpes ἀλώπεκες Græcè nominatæ, eo mali genere infestentur. Noxios porrò humores, tum ex vniuersalibus continentibusq; causis tum vel maximè ex coloris, loci, vnde pili defluũt, specie colliges. Quinetiam interdum pili enascentes, pro humorum complicatorum commixtorumq; varietate, dissimiles varijq; sunt. Atq; de his hactenus. Oriuntur præterea in capite vlcuscula quædam exigua, densa, & rubra, pusillis papillis adsimilia, à quibus sanies emanat tenuis. Et qui vocatur ἀχὼρ, (nostri manãtia vlcera vocant.) tenuibus admodum foraminibus quæ saniem lentã euomãt, cutem pertundit. Adhæc & quod vocatur κηρίον, et hîc & alijs locis exístit, quod maioribus quibusdã foraminibus quæ melleũ humorem continent, constat eo autem nomine appellatur, quòd apicularum fauis sit simile. Dehinc à ficis similitudine σῦκα, nostri ficus nuncupant, eruptiones quasdam rotundas, vlceroſas, subduras, & rubentes, quas dolor comitatur, atq;

alijs

alijs quoq; locis enaſcuntur. hæc ac eiuſmodi alia ex craſſis lentisq; corruptis humoribus gigni aut in toto corpore, aut in ſolo capite pro exuberantium humorum loco conſpiciuntur. Et de his hactenus, iam de ſenſuum inſtrumentis loquendum.

De aurium affectibus. CAP. VI.

QVemadmodũ igitur auditus fit per neruum qui ad aurem pertingit, ſentiendi ui præditum, aurisq; cauitatem, ac aërem ei inſitum: ita cùm mediocres maiores've ea læſiones experiũtur, ſurditas, auditus difficultas, ſonitus, atq; id genus reliqua oboriuntur. Proinde qui primas affectuum cauſſas reperire nouit, is ea quoq; quæ ſuccedunt facilè inueniet. Communes ergo primiq; morbi ſunt, intemperies quæcũq;, humorum quorumlibet affluxus, continuitatis diuiſio, & ex obſtructione, aut præcluſione, vel neruorum deferentium ſectione ſpirituum ſentientium interceptio. Secundi verò poſt eos (qui non ſecus quàm priores, alijs quoq; ſunt generales) ſunt, inflammatio, abſceſſus, & obſtructio. Peculiares demum, vt dictum eſt, ſunt ſurditas, grauis auditus, & ſonitus. Et de communibus quidem ac generalibus priuatim verba faciemus: verùm ſurditas fit, vel cùm ea cerebri pars, vnde nerui auditorij propagantur, vel ipſe enatus nerus primario affectu,

affectu, idq; vel ob intemperiem quandam, vel humores confluentes, laborat. Sonitus verò et tinnitus, vel ex humoribus qui ibi colliguntur & in spiritus soluuntur, vel spiritibus, qui ex subiectis humoribus exhalant, oritur. Nonnunquam etiam spiritus perquam tenues & exigui ob sensus acrimoniam, auditum infestant. Atq; qui infernè ascendunt, quòd plures pauciores q; interdum expirentur, non eodem perpetuo modo affligunt. nam qui mordaces sunt cibis retũduntur: qui cõtrà crassi, et caliginosi, si victus ratione non sedantur, cùm cibus in corpus diducitur, tum ipsi quoq; magis infesti sunt. Qui verò circa auditum coagmẽtantur, eodem ferè loco subsistunt: & leuiores grauioresq; fiunt pro ciborum, qui ingeruntur, natura ac proprietate. Ex his qui crassiusculi caliginosiq; sunt, sonitus magis strepentes & bombis similes: qui autem tenuiores & acutiores, pungentes & acutos magis excitant. Omnes ex vniuersa, singulariq; corporis temperie, victu & ætate, velut suprà quoq; docuimus, diiudicantur. Atqui dolor cùm sit omnibus corporis partibus ex æquo communis, nõ æquum est, vt huic de auditus affectibus sermoni inseratur. quare hoc sat erit monuisse, eo vehementius hoc loco validiusq; excruciare, quo cerebro propior est, & nudos prõpteq; sentientes ner-

tes nerues obsidet. Cuius indicium est, quòd ægri, si dolor invalescit, contineri nequeant: & deliria ob cerebri consensum insequantur.

De oculorum vitiis. CAP. VII.

Iam oculi affectuum, easdem quas auriu̇m, primas esse putato causas. nam nervi à cerebro progredientes, spiritusq; splendidus qui per eos defertur, sunt primæ visus causæ. ijdem cùm ex intemperie, aut obstructione, vel continui solutione laborant, quo minus, aut prauè videamus in caussa sunt. quinetiam cùm ea parte cerebrum primario affectu tentatur. Atqui quæ in visus instrumentis consistunt vitia, iam explicabimus. sunt autem, perturbatio, lippitudo, inflammatio, & defluxionis impetus, qui ὑπιφορὰ Græcis dicitur. atq; hæc cæteris videntur esse moderatiora: reliqua & peiora sunt, & longiori opus habent tempore, vt sanitas recipiatur. Est autem perturbatio, quam τάραξιν vocant Græci, cùm oculus ex compressione, aut attritu, aut mora in fumo, vel id genus alio offendente conturbatus conspicitur. Lippitudo, quæ ἐφθαλμία vocatur, maius malum est. hæc vel ceu popularis morbus censetur, aut ob sensorij imbecillitatem, aut materiæ impetuosiorem affluxum invadit. quare vitium quoq; cum iis qui leui de caussa afficiuntur, quasi contagio

comm

communicari videtur, per quam tenuis acrisq; fluxio est mali causſa. Oculi ijs ferè conturbantur, & ſubcruenti apparent. inflammatio verò tum ob externum aliquem ictum, tum acrem fluxum occupat. differtq; ab ea quam priuatim fluxionem, & Græci ῥεῦμα nuncupant: quod fluxio, ex varijs humoribus, inflammatio verò ex ſolis calidioribus naſcatur. Oculi inflamati, perpetuò ſunt cruenti, & initio tenuem mordacemq; lacrymam effundũt, deinde cùm iam affectus concoqui cœpit, cogitur incraſſaturq;, & ſordes copioſiores inſident. Porrò fluxionis tot ſunt genera, quot ſunt fluentes humores, eorumq; inter ſe complexus. nam aut ſolus ſanguis, aut bilis, vel pituita, atq; ex his vel acris, aut ſalſa, aut quæuis alia fluit. Aut fluxio ex varijs complicatisq; humoribus oboritur, quo fit vt his cruenti, illis pallidi, & alijs alij ſint oculi. & nonnullis plures, aliquibus pauciores eunt lachrymæ, et alij eas mordaces, alij frigidas experiuntur. & demum ea quæ profluunt, alijs craßiora, alijs tenuia ſunt magis. Omnia porrò hæc, aut capite alij cuipiam parti conſentiente, aut quòd hos affectus, ipſi tanquam oculi excipiant, exoriuntur. Turgẽtium autem humorum indicia, ex vniuerſo habitu, anni tempore, victu, & ætate petentur: tum nihilominus ex comitantibus ſymptomatis, ac

cauſſis

cauſsis conſimilibus deprehẽdentur. Quare per omnia dijudicante methodo percurrens, ſingula optimè diſcernes: ac vbi ex maioribus pluribusq; malum dignoueris, de eo pronunciabis. Atq; hæc ſunt principia, primaq; oculorum vitia. Cæterùm χήμωσις nominatur, quãdo à vehementi inflammatione vtraq; palpebra euertitur, vt vix oculus integi poſsit: & album oculi nigro ſublimius euadit, & nigri multam partem occupat. ὑπόσφαγμα verò ex ictu ortũ ducit. in hac venulæ quæ ad tunicam adnatam pertinent, rũpuntur, & cruẽtus inſtãmatusq; oculus cernitur. Porrò tumores molliores οἰδήματα nominantur, & inflationes quæ ἐμφυσήματα vocant: diſsident, quod illi ex ictu fiãt, & circa palpebras inſidẽt: inflationes verò à ſolo craſſo ſpiritu in palpebris cõflantur, ſuntq; tumores quidam molliuſculi, quales οἰδηματώδεις Græci nuncupant. Diſtat & ψωροφθαλμία à ξηροφθαλμία, illa à ſcabie, hæc ab ariditate nomen habet, nam ſcabioſa illa lippitudo, eſt pruriginoſus palpebræ ſenſus, quem ſalſa pituita, mordens ac pruritum inferẽs excitat. In ξηροφθαλμίᾳ verò, quæ arida lippitudo nonnullis appellatur, oculus citra humoris efluxum, ægrè & cum dolore mouetur. ἐκτρόπιον, quam euerſionẽ fortè dixerimus, propter carnis excreſcentiam, aut palpebræ non rectè curatæ

turatæ cicatricem fit. nam cùm palpebræ affectæ extrema ad se conuellant, faciunt vt non probe coalescant, nec committantur. ἀγγίλωψ, (quam nostri quidam fistulam lachrymalium angulorũ appellant) est abscessus quidam, qui inter maiorem oculi angulũ & nasum rumpitur. sed prius quàm disrumpitur, ἀγχίλωψ nuncupatur. hic neglectus, postquam iam ruptus est, in fistulam dehiscit, atq; ad ipsum usq; os progreditur, difficiliusq; curatur. Asperitudo, ita τραχώμα appello, est internæ palpebrarum regionis asperitas. Hanc, si increscit adeò vt incisuras quasdã habere videatur, σύχωσιν à fici similitudine Græci, nostri quidã ficosam palpebram nominant. Quum verò inueterata fuerit, vt occalleſcat, callus, & Græce τύλος dicitur. Ab ijs discrepat grando, quod χαλάζιον vocant, quæ est humoris cuiusdam ocioſi in palpebra collectio. Quod porrò vocãt hordeolum, & κριθὴν Græci, latere te non poterit, quòd abscessus sit ablongus, in palpebræ cilio obueniens. Cæterùm quòd palpebræ pediculis infestentur, vel affectus qui pediculatio dicitur, & φθειρίασις, suo nomine indicat. hi illis qui oculorum acumine præstant, viuere moueriq; conspiciuntur. Glabrities verò quam μαλάρωσιν aut μίλφωσιν nominant, est palpebræ pilorum defluuiũ, ob humorẽ quempiam partes omnes

peruadentem, vel in toto corpore, aut in capite tantùm, vel denique in solis oculis collectum. vnumquodq; autem ex proprijs insequentibus signis dignoscetur. At qui πτίλωσις, quæ est palpebrarũ crassities callosa, rubicunda, ex crassiusculis & plus satis corruptis humoribus genita, interdum ciliorũ pilos vitiat, qui tamen, curato malo, denuò renascuntur. τρίχωσις (quam pilorum inuersionem nomines licet, aut vt alij, pilare malum) molestus est affectus. nam nonnulli ciliorum pili, non vt reliqui extra, sed introcõuertuntur, atq; assiduè oculum ferientes, ac idcirco turbantes, negotium facessunt. sublati tamen euulsiq; à molestia liberãt. Ἔγκανθις & ῥοιὰς, duo sunt sibi inuicem aduersi, vnum eundemq; locum occupantes affectus. nam cùm maioris ad nasum anguli earũcula supra iustum modum excreuit, vitium ἔγκανθις: cùm verò imminuitur, & emarcet, ῥοιὰς nuncupatur. singulis propria curandi ratione subuenitur. Porrò ex vlceribus oculi, quod in cornea tunica oritur, cauũ, angustum, ac purum, βοθρίον & fossula nominatur. quod autem latius est, sed minus altum, κοίλωμα, et cauitatem appellãt. ἄρχεμον autem vocamus, quod in iridis circulo, aliquid etiam eius quod circuncirca ambit, comprehendens, nascitur, sic vt in exteriore iridis parte, rubicundum, in interna

interna verò album appareat. Inuſtio, ita ἐπίπαυμα nunc voco, vleus ſordidum, impurum, cruſtoſumq; eſt. quo expurgato, ſæpenumero oculi humores effluunt. quibus verò auxiliis erit his medendum, poſtea explicabitur. πρόπτωσιϛ autem, eſt vueæ tunicæ procidentia, quæ eroſa, rupta've cornea tunicula contigit. hæc prout maior minorq; cernitur, varia quoq; nomina accipit, quæ ſingula ab ea re cui ſimilia fuerint, denominantur. nam ſi exigua adhuc fuerit, vt muſcæ capitulo ſit ſimilis, μυιώδες καλεῖται: ſin pluſculum ſuccreuerit, vt vuæ acinum referat ϛαφύλωμα, et nobis vuatio dicitur. At ſi plurimum prolabitur, vt vltra palpebras profiliſſe videatur, μῆλον quod eſt malum nominant. Quod ſi quid etiam ex eo callum duxerit, clauus & ἧλος nuncupatur. Verùm cornea aliquando purulenta cernitur, idq; nunc in alto, nunc in ſuperficie, vt pus figura vnguē repræſentet. hinc eſt, quod malum quoq; ὄνυχα hoc eſt vnguem nominent. Cicatrices autem oculorum ſuperficiarius, nōnulli ἕλκος tantum, hoc eſt cicatrices, alij νεφέλιον, hoc eſt nubeculam & albuginem tenuem appellant. ſi altius deſcenderint, λευκώματα, id eſt albugines craſſas nuncupant. recipiunt ſuam quæq; curationem. Oculorū præterea vitijs etiam πτερύγιον, quaſi alulam dixeris, (pleriq; hoc vnguem appellant)

Actuarii Joannis filii Zachariae operum - page 147 sur 731

pellant,) connumeratur. eſt autem neruoſa adnatæ tunicæ eminentia, quæ ex angulo maiori orta, ad coronam vſque peruenit. quòd ſi pterygium ſupra modum augetur, pupillam operit, & viſionem intercipit. At verò carbunculi ἀνθρακώσεις dictæ, & cancri, deterrimi ſunt oculorum affectus, quippe corneæ tunicæ καρκίνωμα, id eſt cancer, dolore laborantibus, infert, qui ad tempora vſq; extenditur, potiſſimum ſi ægri commoueantur. Quum eo vitio detinentur, nihil appetunt, & ab acribus quibuſcunq; irritantur. malum ob vehementiam inſanabile uidetur, eſt tamen ei per ea quæ mitigantem facultatem obtinent, ſuccurrendum. Porrò cùm pupilla colore nihil euariat, ſed multo quàm naturæ competat, latior fit, interdum ægro viſionẽ omnino præripit, interdum plurimum adimit, vt omnia quæ viſui occurrant, maiora, cùm tamen ſint minora, eſſe videantur. Vitium μυδρίασις Græcis appellatur, a: que ab humore ſuperfluo excrementitioq; eò confluente oritur. φθίσις autem, hoc eſt tabes ſiue imminutio, pupillæ quoq; malum eſt, cùm anguſtior, ac obſcurior, rugoſiorq; efficitur. ea quæ cernuntur, hîc minora omnia apparent, accidit, quòd præ ſiccitate magis denſetur. Cæterùm differt φθίσις ab ἀτρωφία, quòd φθίσις, anguſtiorem reddat pupillam, ἀτρωφία verò

humil

humiliorem, minoremq; totum efficiat oculum. Porrò νυκτάλωπας ἡμερινὸς, hoc est nuscitiosos vernos appellant, qui interdiu cernunt, sed sole occiduo hebetius, noctu verò nihil vident. vitium gignitur ex tenuiorum humorum colluuie, quam interdiu quidem luminis copia euincit, sed noctu visioni tenebras offundit. Iam γλαύκωμα, & ὑπόχυμα (illud glaucedinem, hoc suffusionẽ, si libet, dixeris.) quidam vnum idemq; vitium esse dixerũt: alij qui rem accuratius expendunt, rectius inter se distinxerunt: & γλαύκωμα glacialis humoris vitium, quum ab humiditate qualibet in glaucum colorem mutatur: ὑπόχυμα verò, humoris cuiusdam affusionem, qui inter corneam tunicam & humorem glacialem concrescit, esse asserũt. varij autem sunt humores, varieq; congelascere videntur: & eorum genera complura curationem sed glaucedines penitus nullam, admittunt. quippè quòd glacialis essentia, ab alienа humiditate planè sit alterata. At ἀμαύρωσις, quam obscurationem dixeris, est visionis impedimentum, cùm citra manifestum oculi vitium, omnino nihil cernitur: quẽadmodum & ἀμβλυωπία, quam hebetudinem, si placet, voces, est in videndo obscuritas, quæ manifestam quidem habet caussam, sed oculis non deprehenditur. nam cùm neque oculorum tu-

nicæ, neque humores alterati apparent, vtique quòd ob ſpiritum viſorium, qui aut exiguus, aut prorſus non tranſmittitur, vitium exiſtat, liquidò conſtat. idq; vel propter præcedentem præcluſionem, aut nerui lumen deferentis obſtructionem, vel cerebri quoque ea parte contractam noxam. quæ omnia ſpiritus lationem ſatis inhibere queunt: vt oculi iam lucernis aſſimiles ſint ijs qui cætero qui plenæ & idoneæ ſunt, ſed lumine, quod illuminet orbantur. Porrò στραβισμὸς, quam oculi diſtortionem quidam vocant, ætate prouectioribus quandoque ob muſculorũ oculos mouentium conuulſiuam retractionem aduenit: maximè tamen infantibus accidit, nam cùm perquam teneri ſint, ſi à latere lucerna quæpiam accenſa appenditur aut lucis alioqui ſplendor irradiat, qui ad ſe oculos pertrahat, atq; hoc aſſiduè fit, temporis progreſſu (quòd mouentes muſculi etiamnum tenelli ſint,) oculus diſtortionis affectum contrahit, quòd alter muſculorum cedat, & alter cõuellatur, prout hunc aut illum pati contigerit. Verùm cùm hoc pacto oculi non diſtorquentur ſed ab ortu ſtrabi naſcuntur, id efformantis naturæ vitio adſcribi debet. ἐκπιεσμὸς verò, quam expreſſionem dicunt, familiare eſt oculo vitium, quòd conferta craſſaq; fluxio excitat, illumq; ſua ſede emouet, vt exertus

in po

ẽn posterum appareat, ei succurrendum erit, prout priuatim posteà docebitur. Denique de μωπία, hoc dicendum subit, quod ὁ μωπίαι, quos luscioſos Latini nominant, dicuntur, quibus hoc à generatione datum est, vt quæ cominus sunt, facilè: quæ verò eminus dissita sunt, haudquaquam visu assequantur. eiusmodi affectus ob spiritus innatam imbecillitatem emendari nequit. nam cùm exiguus imbecillisq; spiritus confluat, ad multum loci interuallum pertingere non potest. Habes oculorum affectus, quantum quidem breuitatis studioſis licet, satis explicatos: etsi quid desideretur cum abundè quæ vitia infestare soleant, & qua ratione dignosci possint exposuerimus, ex ijs quoq; id innotescet.

De olfactus nariumque affectibus.

CAP. VIII.

Doratus communes cum alijs sensorijs sunt affectiones quæ tum propter affectam eam cerebri partem, qua sentiens neruus exoritur, tum propter neruum, spiritumq; illac transmissum accidunt: peculiares verò, sunt polypus, & ὄσφρησις Polypus, est meatuum, qui à colatu ἀθμοειδὴς, quasi dixeris colatorios, vocantur obstructio, propter carnis excrescẽtiam, quæ ea parte ita inhæret, vt ægrè detrahi possit. enascuntur enim frequentes germinationes,

Actuarii Joannis filii Zachariae operum - page 151 sur 731

©BIUM

quæ inſtar polyporum, naſi meatibus circumcirca adfixæ adhærent: quibus inſpiratio expiratioq; prohibetur, etſi quid ſupernè pituitæ aut mucci defluit, haud facilè obſtante polypo delabi poteſt. Ὄζαναι verò, nomine ſuo, quod à fœtido odore ſibi ſumpſit, ſe patefacit, fit cùm putres, corruptiq; humores, circa meatus colatorios coaceruãtur, ſuumq; vitium vicinis partibus impertiunt, & confluentes alios ſuo odore inficiunt. quippe omni quidem tempore, ſed præcipuè in maximis expirationibus ſpiritum odoribus inde exhalantibus infectum ægri odorantur. Præterea cùm mucoſi humores eo ingruunt, nec facilè exeunt, inſpiratio quoque quandoque offenditur, nihilq; notatu dignum egreditur. id vitium quotidie oboriri conſpicitur, licet vulgo imponat, perinde ac ſi polypus potius ſit quàm ozæna: potiſſimùm ſi ex mediocri putredine humores odorem contraxerint. Verùm tu facile ex ſymptomatum diſcrimine vtrunq; diſcernes, quòd in polypo humores non niſi tẽporis tractu coagmententur, nec facilè eluantur: in ozæna verò, vel leuibus cedant remedijs mediocresq; omnino appareant. Sunt quibus ſanguis, ob vaſorum reſeration-nem, hac profluere conſpicitur, qui etiam communis alijs partibus eſt affectus, etſi hoc loco potiſſimum accedat. Verùm de immoderato

omnis

omnis sanguinis fluxu, illic vbi curandi rationem instituemus, pertractabimus. Quare inde petenda erunt, quibus immodicum sanguinis profluuium sisti debeat: & nunc ad cætera progrediendum est.

De vitiis faciei. CAP. IX.

PRimum meminisse oportet eorum affectuum quibus facies tentatur. Sugillata ergo & liuores, illa ὑπώπια, hos πελιώματα appellant, ex ictu quopiam iuxta oculos accidunt, atq; illa, vt quæ summæ cuti insident, facilè digeruntur curanturq;: hi verò qui altius descendunt, maiori tempore diligentiaq; opus habent. Sunt autem affusiones quædam sanguinis qui ictus violentia è vasis erumpit. Porrò ἔφηλις & lentigines, quas φακοὶς appellant, sunt colores quidam, qui in facie diuersi à reliqua eius cute existũt, oriunturq; ex humore qui summam cutem inficit. Ac humoris quidem speciem, colores ostẽdunt: non tamẽ necesse est, vt humor tandiu ibi vigeat, quandiu hæc in facie conspiciãtur. Siquidem fieri interdum potest, vt humor qui ea genuit, euanuerit: & ipsa veluti reliquiæ quædam haud leues, quæ probè discuti nequiuerunt, etiamnum ibi appareant. At verò vari, (ἰσχάδες Græci nominant) qui diuersi sunt à prædictis, tumores exigui quidam sunt & duri, qui vbi in suppura-

©BIUM

tionem abierunt, euaneſcunt. vt plurimum ijs qui barbam nutriunt, quibuſq; conſuetum eſt ſanguinis è nare profluuium, citraq; rationem id inhibetur, enaſcuntur. quinetiam fœminis ferè, quæ aut vterum gerunt, aut rite purgatæ non ſunt, obueniunt. Porrò rugæ & nigredines, quæ faciei oboriuntur, quod ad formam ſpectat, fœminis aliquid venuſtatis, maximè iuuenculis detrahere ſolent: verùm aliud nihil nocumenti accedit. attamen vbi de curatione verba faciemus, aliquid de his quoq; dicetur, ne earum quæ formæ ornatuiq; ſedulò ſtudent, offenſam incurramus.

De diguotione affectuum, qui os infeſtant. CAP. X.

QVoniam quæ os affligunt, ſub obtutum quoq; cadunt, de eius affectibus mentionem æquum etiam eſt hic fieri. Sunt igitur παρουλὶς & ἐπουλὶς, gingiuarum vitia? quorum παρουλὶς gingiuarum eſt abſceſſus, ἐπουλὶς verò, inflammatio earundem, iuxta dentes molares, ceu nimia quædam carnis excreſcentia eminens, quæ interdum febrium exiguarum eſt cauſſa. Vtraq; facilè remedijs cedit. non enim ex cauſſis magni momenti gignitur. Dentium porrò affectus, tum ex nuda quapiam intemperie, tum ex humoribus eò irruentibus, gignuntur. excitantur in dentibus non mediocres dolores

lores, quòd nerui effatu digni eorũ alueolis inſerantur. ſi frigida eſt quæ infeſtat intemperies, dolor moderatior, ceu dentium quidam ſupor, comitatur, atq; ab occurrentibus frigidis læditur. coniecies autem id ex reliquis notis, quæ ex temperamento nimirum, ætateq;, anni item tempore, & victu ſumuntur. ſin calida intemperies premit, maiores acutioresq; ſentiuntur dolores: ac particularium cauſſarum dignotio, ipſam affligentem intemperiem patefaciet. Humiditas porrò & ſiccitas, ipſæ quidem per ſe, parum aut nihil moleſtæ ſunt, verùm cum actiuis qualitatibus coniunctæ maximè vexant. Cæterùm cùm humores quidam in dentes procumbunt, pro eorum copia ac qualitate, ſymptomata quoq; excitantur. nam calidiores, ad agendum efficaciores ſunt dicendi. qui verò quantitate corrumpunt, pro ſui copia etiam ægritudinis tempus denunciãt. Quòd ſi in dentium radicibus firmentur, tum vehementiorem dolorem inferunt, tum è ſua ſede eos excutiunt: vt nonnunquam cæteris altiores, & aliquando dimoueri quoq; ſentiantur. Atque hi digeſtis diſſipatisq; nocentibus humoribus ſedantur. Cæterùm qui in buccas, reliquamq; faciem transfunduntur, dolores mitiores faciunt, & tumores exurgentes, eorumq; colores, tum quantitatem tum qualitatem decumbentis humor

humoris patefacient. Quare hæc ita dijudicabis. Illud tamen non eſt ignorãdum, quòd cùm erodentes quidam putresq; humores, dentium eſſentiam inuaſerint, eos confringunt ac erodunt. Atque de his hactenus. Linguam verò torquent affectus, quorum alter in infirma eius parte, & præcipuè pueris erumpit, rana, vel vt Græci βάτραχος dictus: alter eius eſſentiam occupat, nec proprium obtinet nomen, ſed magnitudine ſua innoteſcit. ſiquidem ob ingruentem quempiam humorem nonnullis ſatim mirum in modum excreſcit, & ægrè reſtituitur, neq; ſuis munijs lingua promptè fungi poteſt: emendatur tamen ſi opportunis remedijs ſubuenias. Quæ verò ex antecedente febri patitur, cum alio atq; alio colore inficitur, & rũpitur, ſqualetq;, nec expeditè mouetur: ea ſunt continentium febrium ſymptomata. Porro in palato, multa variaq; erumpunt exãthemata, ſed quæ proprio omni careant nomine. Tamen vlcera quæ cùm locum infeſtant, & ἕρπητα peculiariter Græcis appellantur, infantibus maximè cõtingunt, atq; eorum quæ ſunt ſubalba, cæteris ſunt moderatiora, deteriora verò, rubicunda, vt quæ nigra ſunt, omnium deterrima habenda. Atq; hi affectus in oculorum obtutum veniunt, & haud difficulter cernuntur, meliusq; curantur: at qui inſequuntur, & difficilius

ficilius apparent, & tardiorem opem admittunt. Cæterùm & de gurgulionis vitijs hîc agendum. hic cùm varios sentiat defluxus, varias quoque formas, variáq; nomina, pro alia atq; alia affectus specie recipit. nam uvis, & columella appellatur, cùm ex fluxione aliquæ leuiter inflammatus, æquali crassitudine visui occurrit. Staphylè verò & vna, cùm maior est fluxio, & inflammatio ingentior, atq; acino vuæ assimilatur. Sic sanè etiam ἰμάντωσις, quam nescio an corrigiationem ausim dicere, nominatur, cùm gracilis alioqui est, sed solito adeò fit longior, vt linguam contingat. appellationem verò à corrigiarum similitudine obtinuit. Atq; his varijs nominibus dotatus fuit, quòd varias quoq; affectionem species repræsentet. Huic gutturi faucibusq; inseruientes musculi adhærent, qui alia atq; alia quoq; experiuntur vitia, vbi ijs humores, maximeq; calidiores, qui ferè etiam inflammationem efficiũt, insident. Quare si interni gutturis musculi inflammatione conflictentur, affectus σωάγχη Græcis dicitur: sin externi, παρασωάγχη. Sic cùm interni faucium musculi inflammantur, κυνάγχη, cùm externi earũdem, παρακυνάγχη vocatur, nomine ἀπὸ τ κυνῶν, hoc est à canibus, qui ei affectui plus cæteris obnoxij sunt, deducto. (Latini vnica anginæ dictione, omnes

eas

eas ſpecies exprimunt.) Qui ita laborant, non niſi recta cervice & cum difficultate ſpirant, tenſionemq; ſentiunt: adhæc facies rubet, osq; eorum reſeratum vt plurimum hiat, nec deglutire queunt, ac ſi vim ſibi fecerint, per nares quod deuorandum erat recurrens, eiicitur. Quòd ſi eum locum diutius inflammatio prehendit, hominem interficit: ſin in vicinum pulmonem fluxio migrat, pulmonia interimit. Siquidem vt duos maximos peſtimosq; euadat morbos, longè omnium eſt difficillimum, & bona faueat fortuna neceſſe eſt. ſemel tamen nobis quidam mortem effugiſſe viſus eſt, cùm cæteri omnes perierint. Atq; ij præ cæteris maximè ſeruantur, quorum collum in tumores attollitur, aut exanthemata in eo oboriuntur. Cæterùm affectuum os infeſtantium continuitas, ſermonem noſtrum ad eo inferiores deduxit, de quibus cùm ſatis ſuperiori libro fuerit pertractatum, iam tempus eſt, vt ad reliquas externas affectiones accedamus, ac de ijs quæ neceſſaria ſunt doceamus. Quare de maximo ac deterrimo omnium eorum, quæ in ſumma corporis cute exiſtunt, primo loco dicendum, deinde de reliquis qui priuatim apparent. ita enim recto ordine procedente oratione, legentibus quoque ſingula particulatim, magis erunt ad manum.

De

De reliquis externis corporibus.

CAP. XI.

TAque qui Græcis ἐλέφας, & noſtris elephantia dicitur, totiusq; corporis cancer eſt, vniuerſam depaſcit carnem, ægrumq; eò redigit, vt curationem non recipiat. Hic à nigra bile ſuum ducit conſtitutionis initium. quæ ſi ex ſanguine corrupto, atq; in melancholicum commutato fuerit genita, rubicundum minusq; malignum elephantem efficit: ſin ex flaua mutata melancholicus ſuccus fuerit enatus, peſtimum ac corrodentem, quiq; omnia ignis inſtar populetur, conſpicies. Affectum, ſuperciliorum mentiq; pilorum defluuia, antecedunt, & tumores in facie extuberantes, oculiq; alio & alio colore notantur, ac vox exaſperatur. venæ item ſub lingua turgidæ, & cùm antea eiuſmodi non eſſent, nigræ efficiuntur. At temporis tractu, omnia ea increſcunt, & exanthemata quæpiam, quæ difficulter ſanantur, exiſtunt, à quibus poſtea humor erumpit. Omnem hic medicamentorum vim ac facultatem, tanquam nihil conferrecem reſtuit. Minus poſt elephantem mala eſt λέπρα, cui ſcabies, & huic impetigines ſuccedũt. ſed lepra altius deſcendit, & orbiculatia exãthemata facit, et carnis quaſdã colliquationes, ac λεπίδας. hoc eſt ſquamulas remittit, vnde etiam

etiam nomen adepta est. Non ita profundè scabies quæ ψώρα Græcis dicitur, penetrat, & variis figuris insignitur, nec furfuracea corpuscula reiicit. Lepram melancholicus succus committit: sed scabiem varij humores, eorumq; variæ miscellæ constituunt. Communis vtriq; est cutis asperitas & pruritus. Si verò tenues acresq; & serosæ humiditates aliis crassioribus succis permiscentur, impetigines, quas Græci λειχῆνας nominant, suboriuntur, quæ celerrimè in scabiem ac lepram neglecta commigrãt. Cæterùm reliquos pruritus, qui ob acriorem salsum'ue humorem, cutem vitiant, ex ætate, temperamento, & victus ratione distingues. Procliuius ij quibus iuuenes, atque ætate vigentes afficiuntur, curantur: nam qui senibus adueniunt, difficulter remedia admittunt, quòd neque valida medicamenta, quibus senes minime indigent, declinante iam facultate, presint: nec fluxio promptè, propterea quòd meatus iam duriores euaserunt, & conniueant præcludanturq;, discutiatur. Porrò ex omnibus, aut nihil dum scalpuntur, aut humiditas quæpiam colore & consistentia varia, promanat, atque inde, haud secus quàm ex prædictis, humorem dignosces, prædominantem. Cæterùm λεῦκαι, quas vitiligines quidam vocant, eandem ad ἀλφοὺς rationem obtinent, quam

quam lepra ad ſcabiem. nam vitiligines vt plurimum altius deſcendunt, piloſq; inde eiuſmodi emittunt. At alphi in ſuperficie hærent, licet ipſi quoque nonnunquam altius radices agentes penitius recedant, vt eo loco pili eandem coloris ſpeciem referentes, exiſtant. Periclitamur autem an vitiligo altius peruadat, ſi modicè acu pertundatur, ita vt vltra cutem non penetret. nam ſi ſanguis effluxerit, affectus eſt ſanabilis: ſin lacteus humor prodierit, non eſt medicabilis, quòd iam caro, quam occupat aliam formam induerit. Nonnulli locum pannis aſperis perfricant, ac ſi rubeſcere conſpexerint, bene ſperant: ſin eundē tunc colorem retinet, animum ceu à curatione abhorreat, deſpondent. Adhæc deteriores ſunt, quo plura corporis loca obſederint: & diuturniori tempore quàm aliæ, quæ eiuſmodi non ſunt, perdurant. Porrò alphi vt plurimum vitiliginibus ſunt natura moderatiores, ac medicamentis mediocribus magis profligantur, at vbi tempus traxerint ijſdem quibus vitiligines curantur, vtpote quæ iam harum vitium induerint. Præterea ex his alij ſunt albi, alij nigri, dominantemq; humorem ſuo colore indicant. Cæterùm quæ στίγματα Græcis dicuntur, ſpecie nigris alphis ſimilia, quæ ab ictu & contuſione quapiam originem ducunt, aliam poſtulant

©BIUM

curationem. Quæ verò priuatim papulæ, & Græcis ἐξανθήματα nominantur, à crassis humoribus cuti vt plurimum impactis, vbi densa est summa cuticula constantur, siue eiusmodi humores in toto corpore, siue in cute tantùm redundent. quod ex affectus vehementia, ex excretis, prioriq; victu diiudicatur: ac pro discriminis ratione conueniens curatio accommodatur. ἐπινυκτίδες vocatæ sunt vlcuscula quæ sponte sua ficrum more erumpunt, pustularum figura, subrubra, quibus disruptis sanies subcruenta emanat hæc noctu magis quàm interdiu infestant, vnde etiam suum nomen acceperunt. μυρμηκία verò & ἀκροχορδών, illam formicam, hanc verrucam pensilem nostri vocãt, vtraq; cutis est exigua extuberatio, callosa, & magna ex parte teres. sed formica latiori basi sedet, & si quis constrinxeris, mordentis formicæ sensum inducit: verruca autem pensilis, angustiorem obtinet basin, vt summæ chordæ similis pendere videatur. γάγγλιον est nerui collectio seu concretio, ex ictu aut lassitudine prouenies, in manibus pedibusq;, quòd plures & conspicui nerui eo inserantur, magisq; quàm aliæ partes exerceantur, oritur potissimùm. Atq; hæc mediocria sunt, & mediocres causas habent, nihilq; aut parum offendunt dolentve. Quæ verò ex confluente humore

gign

gignuntur, ac locos coarctant, ea magis torquent, membrisq; suam eripiunt functionem. Verùm quia multi sunt qui fluxione sua infestant humores, atq; interdum complicantur, age sigillatim eorum quoq; noxas doceamus, vt singula discernere possis.

De tumoribus præter naturam, & vlceribus. CAP. XII.

IAtaq; cùm sanguis bonus crasitie moderatus, in aliquam partem affatim influit, ibiq; ob suam copiam impingitur, fit ea quæ proprie φλεγμονὴ, & inflammatio nuncupatur: ac ruborem feruoremq; cum quodam tumore in laborante parte procreat. Cùm verò bilis flaua ita partẽ afficit, enascitur quod ita appellatur ἐρυσίπελας, Latini ignem sacrum dixerunt. hoc non ita rubrum est, vt prius, nihilo tamen minus inflammat, & subpallet. Quòd si iam dicti humores permiscentur & componuntur, affectus inde enatus composito quoq; nomine effertur. Quapropter, si sanguis redundat, φλεγμονὴ ἐρυσιπελατώδης: sin bilis superat, ἐρυσιπελας φλεγμονῶδες nuncupatur. Porrò οἴδημα nostri mollem & laxum tumorem appellant, tumor est albus, doloris expers, ex pituita collectus: quemadmodũ ἐμφύσημα, hoc est inflatio, ex frigido crasieriq; spiritu conflatur: faciles tãgẽti cognitu sunt. nã œdemata,

Actuarii Joannis filii Zachariae operum - page 163 sur 731

©BIUM

cũm neque ferueant, neque doleant, nec colore aliquo alterata varient, leui negocio cedunt: inflationes verò, quòd spiritus cutem intendat, renituntur. hæ in tympania hydrope magis sunt conspicuæ. quippe abdomen in ea, quòd à crasso spiritu cutis plurimum extẽdatur, tympani in morem pulsatum resonat. Atqui inflammationibus plerisque, ijs vtique quæ non promptè suppurantur, aliaue aliqua ratione discutiuntur, procliue est vt in gangrænam & sidérationem transeant. Appellamus autem γάγγραιναν, alicuius partis ob inflammationis quæ conflictatur, magnitudinem, mortificationem, non quæ iam confirmata sit, sed quæ etiamnum fiat. nam quum iam pars emortua est, sideratio & σφάκελος Græcis, affectus nominatur, qui est gangrænæ terminus. Corripit hic affectus etiam ossa, cùm nimirum caro ijs circundata saniem generat, quæ ita ea imbuat, vt putredinem contrahant. Atque hæc adeò grauia mala, partes in quas illabuntur, corrumpunt. Cæterùm bilis quæ consistentia crassa est, & acrior, cutem ad subiectam vsque carnem exulcerat, vocaturq; affectus ἕρπης. si verò tenuis, & minus acris calidaq; fuerit, exiguas pustulas in summa cute milio similes excitat, ob eamq; similitudinem Græcis μιλιαρὶς ἕρπης, hoc est miliaris herpes nuncupatur.

patur. nonnulli hunc ex pituitæ admistione fieri asserunt. Dictus est autem ἕρπης, eo quòd videatur ἕρπειν, quod est serpere per cutem summam, modò hanc eius partem, modo proximam occupans, quòd semper priore laborante persanata, propinqua eius vitium excipiat: non secus quàm ignis, qui proxima quæq; depascitur, vbi ea quæ prius accensa erant, deficiente iam idonea materia, prius quoque extinguuntur. Porrò ἕλκος, & tuberculum siue φῦμα, ac φύγεθλον, quod panum quidam etiam vocant, glandularum sunt affectus. & tuberculum dicitur glandulæ inflammatio. ἕλκος verò, eiusdem est ad suppurationẽ properans inflammatio, & inflammatum siue phlegmonodes eius erysipelas, φύγεθλον vocitatur. De furunculo autem, quem δοθιήνα appellant, hoc dicere licet, quòd tumor sit abscessum referens, qui ex crassis humoribus ortus in carnosis potissimùm partibus consistit: benignus quidem, si in cute tantùm coagmentatur: at malignus, quando altius actis radicibus, in superficiem erumpit. Dignosces id tum visu, tum tactu, locum circunquaq; furunculum contrectans. Iam τύλωμα, tuberculi genus esse aiunt, cui pustula nigra supra infraq; adiaceat, qua rupta, ea quæ subiacent abrasa apparent. hoc dissecto pus reperitur. Alij in-

©BIUM

quiunt τέρμινθον sive terebinthum esse eminentiam cutis, rotundam, melancholicam, terebinthi fructui adsimilem. Cæterùm, si sanguis melancholicus magis euaserit, & feruens cuipiam parti incubuerit, ἄνθρακες, hoc est carbunculi exoriri solent, quæ crustacea sunt vlcera, magnáq; ex parte ab pustula ambustis non dissimili, & quandoq; citra eã incipiunt. Pars initio omnino prurit, deinde vna interdum pustula, nonnunquam etiam plures milij instar exiguæ erumpunt, quibus disruptis, crustaceum vlcus succedit, cuiusmodi cãdentibus ferramentis excitatur, cùm crusta nunc cineritia, nunc colore nigra, ita vt inferiori carni adhæreat, & serpens quodammodo ceu clauus affigatur. Caro circumposita vehementer inflãmata, nigráq; colore efficitur, non secus quàm bitumen picè ve resplendens. eiusmodi autẽ est bilis exquisitè atra, à qua qui generantur, nigri carbunculi appellantur. Verùm qui carni tantum insident, breui spacio circunscribũtur: qui verò in membranis, aut neruis nascuntur, longo tempore durãt, & subiecta loca in affectionis consensum pertrahunt, adeò vt inflammatio quæ erysipelatis naturam sapiat, in ijs excitetur. nõ pauci ad suppurationem abeunt, & plurimos etiam febres comitantur. Oboriuntur demum & ex populatim grassante caussa quapiã carbunc

bunculi. Proinde ita eos dignoſces, & velut poſtea docebimus, curabis. Cancer porrò in pluribus corporis partibus oriri poteſt. ſiquidem in oculis & vtero, atque alijs corporis particulis quamplurimis, & præcipuè in fœminarũ mammis prouenit, vtpote quæ natura laxæ ſunt, & materiam craſſiſſimam facilè excipiunt. ex nigra nanq; bile cùm efferbuit, cancri contrahuntur. cui ſi acrius quippiam, quodq; corrodendi vim obtineat fuerit admiſtum, cancros cum vlceratione procreat. Colore hi atriores ſunt, quàm reliquæ inflammationes, minusq; calidi. venæ in ambitu implentur, & intenduntur inſtar pedum animalis cancri, vnde etiam nomen huic vitio inditum. Quidam verò, non hinc, ſed nomen ſortitum eſſe aiunt, quòd ægrè à partibus, quas occupauit, cãcri in morem, auellatur. Hoc malum ob eiuſmodi humorem non perſaneſcit, quòd neque repelli, neque diſcuti poſſit, neque totius corporis purgationibus cedat: ſed mitiora ſemper medicamenta appoſita negligat, & à vehementioribus irritetur. Inchoantes tamen, purgationibus quominus vlterius progrediantur, impediri queunt, præcipuè ſi humor affecto loco võdum fuerit impactus: nam dum adhuc oberrat alio deriuari poteſt. Cæterùm cùm caro à graui aliquo corpore illapſo contunditur, exileſq;

Actuarii Joannis filii Zachariae operum - page 167 sur 731

©BIUM

in ea venæ diſcindũtur, ſanguis per ſubſultum, hoc eſt κατὰ διαπήδησιν, profunditur, qui cũ ſub cute colligitur, ἐκχύμωμα appellatũ, quaſi exuccationem dixeris, inducit. Hoc cute haudquaquam diuiſa, ceu tumor tactui promptè cedens, & magna ex parte doloris expers, apparet. Ecchymomatis ſpecies ſunt, ὑποσφάγμαῖα quæ vocantur, adhæc, ſanguinis ex ictu aliquo ad vngues procurſus. Ruptiones prorſus cum ecchymoſi, aut in ſumma cute, aut in profundo proueniunt. Quare ſi ſtatim vniuerſum ecchymoma fuerit per halitum diſcuſſum, promptius caro diſſidens coaleſcit: ſin vetuſtum euaſerit, ſordemq; ſubtus aluerit, ruptio in poſterum cõmitti vnirique nequit. nam etſi labia ſibi mutuò committantur, tamen leuis quæpiam incidens occaſio facilè ea dirimit, vt ſpatium inter ipſa medium alieno aduentitioq; humore impleatur, & continuum quodammodo ecchymoma, primo ex ſanguine conflato perſimile, gignatur. Porrò σπάσμα, quod conuulſum appellant, diſtractis diuulſisq; fibris quibuſdam contingit: eæ ſemel diuulſæ, conglutinari nequeunt: quare ſola auxiliorum mitigatione, quoad dolor ſopiatur, opus habent. Iam exquiſitus ſcirrhus, tumor eſt præter naturam, durus & ſenſus expers. ab exquiſito receſſit, qui mediocriter ſentit. Atqui qui ſenſu caret,

iam

iam ſanari non poteſt. ſiquidem qui impoſita medicamenta non perſentit, ecquæ nam inde auxilij ſpes expectari poteſt? quum qui ſentiunt, eatenus ſpem faciant, quatenus etiam ſenſus ſint participes. Oriuntur omnes è tenaci craſſoq; humore, ita induratis membris infixo, vt ægrè euelli poſſit. Gignuntur principio, nonnunquam ſua ſponte, cùm eiuſmodi aliquis humor, parti cuipiam impactus inſederit: ſæpe tamen medici ob inſcitiam eius auctores fiunt, cùm inflammationes & erysipelata, præter modum refrigerauerint & aſtrinxerint. Strumæ quas χοιράδας vocant, glandulæ ſunt ſcirrho induratæ, quibus collum, axillæ, & inguina potiſſimùm tentantur. Communi ſcirrhorum curationi ſubijciuntur. Dictæ porrò ſunt χοιράδες, quòd ſcrophæ eo malo infeſtari ſoleant, vt fertur: vel quòd prolificæ videantur. ab vni eo quippe tumore, etiam aliæ quandoq; enaſcuntur. Quidam ijs manum operam admoliuntur, veluti poſteà docebimus. non enim nunc inſtitutum eſt, curandi rationes, ijs quibus vitia diſtinguuntur, inſerere. At verò σεάτωμα, & ἀθήρωμα, ac μελικήρις, ſuas ſibi appellationes quodá; ſortitum eſt, ab humorũ qui in tumoribus continentur ſimilitudine. eſt enim eorum quoddam σίαρ, quod eſt ſebo, aliud μέλι, id eſt melli, & tertium ἀθέρα,

©BIUM

hoc eſt pulti adſimile. Vnumquodque autem ex re quam tactus intus contineri iudicat, deprehenditur. nam quæ craßior eſt, ea tactui quoq; magis obnititur. Eſt præter hæc quod πυόειν Græci, noſtri ſauum nominare ſolent, qui humor eſt in cute multis riuulis perforatus, è quibus melleus humor profluit, nomenclaturamq; ex ſimilitudine reperit. Iam ex vlceribus (nam de his quoque poſtremo loco eſt agendum,) quædam ſunt plana, quædam caua, alia in quibus caro ſupra modum excreſcit. nonnulla tenuem ſaniem effundunt. Rurſus alia pus conſiſtentia commoderatum obtinent: & quædam in ambitu nonnihil rubent, & leuiter inflammantur, nonnulla laxiorem tumorem habent. Alia autem carnem humidam mollemq; valde, alia aſperiorem potiſſimùm circa labra gignunt. Denique alia certo loco impacta, nigreſcere, emortuaq;, & nonnulla vicinum quoq; locum depaſcere viſuntur. Plana & rubra, quæq; proxime ad rubedinem accedunt, quòd quæ ſuccreſcit caro reliquæ aßimiletur, poſt paulò ſanitatem pollicentur. ſin verò ſordida caro eſt, & perquam humida, minime fidendum eſt, verùm eam vt dicemus demere, enitiq; vt probam educamus oportet. quod etiam in cauo vlcere faciendum, quemadmodũ poſtea priua-

tim

tim explicabimus. In quibus caro nimis excreſcit, ea detrahi debet. Porrò quæ tenuem ſaniem euomunt, cruditatem notant, & non niſi multo pòſt tempore in priſtinum ſtatum reſtituenda. Quibus moderatum eſt et craſſum pus, ea meliora ſunt, maximè ſi nihil grauis odoris expirant. Quæ verò in ambitu rubent, aut membrum laſſatum eſſe, aut ægrum calidioribus cibis vti, aut quod poſtremum eſt, medicamẽtis plus ſatis calidis irritata eſſe denunciãt. Sic quæ lixo humore exurgunt, malo habitu corripiuntur. Demum nigreſcunt, & emoriuntur, & depaſcunt, aut ob magnitudinem copiámve, quæ eo illapſa à facultate, ab alia quapiam ægritudine debilitata, euinci nequit, quippe eos paulo pòſt morituros iudicamus, ſiquod exiguum vlcus habent, atq; id emoritur, nam cum ea pars magis quàm cæteræ laboret, ſufficientem demonſtrationem ad futuri euentus prænotionem præbet. Atq; ita iam ſermonis de vlceribus finem imponamus: librumq; hunc quòd ſuum habeat magnitudinis modum, præ ea qua vſi ſumus breuitate, hîc concludamus. Reſtat vt ad curandi rationem accedamus, ita nanq; pollicitis vndiq; ſatisfaciemus. Quòd ſi diligentius libellum excutiens, aliquid quod explicatum eſſe oportebat, deſiderari comperies: id aut breuitatem ſuſtuliſſe, aut ex iis quæ

propo

proposuimus, haud difficulter intelligi posse arbitrator. Interdum tamen, (fateor) quædam quæ doceri debebant, in obliuionis gurgite delitescunt: quod id nobis quotidie vsu veniat. Verùm si quid prætermissum est, id mirum videri non debet: quin potius, qui adeò breuibus paucisq; verbis, omnis propemodũ morbi agnitionem causasq; simus cõplexi, id summopere est demirandum. Faxit iam Deus, vt tu libello vti fruiq;, & nos quæ necessaria sunt, docere possimus.

ACTVARII ZACHARIAE METHODI MEDENDI, LIBER TERTIVS.

*

Præfatio.

CVm omnis doctrina, ratioq; docendi ad finem quempiam, quem sibi proponit, contendat ac finis, ijs quæ præunt, facultate, dignitateq; prior esse videatur: haud iniuria, ratio viaq;, quæ sigillatim curationem affectuum docet, potiorem dignit

dignitatis locum tenere censeri posset. Verùm, quia ea rectè & methodice vti non licet, nisi qui curare velit, quo pacto singuli affectus dignoscantur, exquisitè nouerit, anteà se in ijs dijudicandis oportet exercere, atq; ita ex metho do curationem instituere. Quare cùm in duobus superioribus libris vitiorum agnitionem, quibus & vniuersim & particulatim corpus afficitur, addita vniuscuiusq; caussa (non enim tractationem in multas portiunculas, minutis dissecandam esse iudicauimus.) breuiter perstrinximus: nunc curandi rationem tradere, prout tutissimè & succinctissimè fieri poterit, in animo habemus: non ignari, quàm distincta tractandi ratio succinctæ breuitati aduersetur. nanq; illa prolixis verbis obitur, hæc verò multa quoq; quæ necessaria sunt, præscindit. Proinde, si quãdo quàm polliciti sumus, erimus prolixiores, id necessitati cuipiam, quæ vt tuta perspicuaq; sit tractatio, longius sermonẽ protrahi cogit, tribuito. Sin contrà, aliquid desiderari videbitur, id pollicitæ breuitati ascribito. Attamen methodus, quæ omnia pertransit, satis superq; ea quæ necessaria magis, atque ad vsum aptiora sunt, supeditare poterit. Cæterùm quia in medendi methodis, alia vniuersali oratione, alia sigillatim morbis impertita, comprehenditur: atq; eas quædam præcedunt, citra quæ:

quæ curatio ritè institui nequit, quæq; multorum morborum præsidijs adaptantur: de ijs vtiq; primùm est pertractãdum, ac deinde rediqua addenda, vt à methodo, ordineq; sermo orsus, nullam in hac commentatione pariat confusionem. Quapropter, cùm in morbis compluribus venam secemus, & in alijs glandibus ac clysmatis vtamur, cumq; rursus nonnulli purgationibus aut vomitibus sudorémve prolicientibus medicamentis, alij cucurbitulis siccis, aut etiam cum scarificationibus, aliqui hirudinibus, ut alij arteriæ sectione, quidam item ijs quæ in nares indũtur, ἐρρίνα vocantur, aut rubificantibus aut dropacismis, vel balneis, aut frictionibus exercitijs ve: aut alijs id genus opus habeant: si eorum vsus, tempora, ac commoda sigillatim exposuerimus, fiet vt ijs commodè atq; opportune vtaris. Proinde cùm omnis propemodum hæc methodus in plenitudine & vacuatione, atq; alteratione versetur: vacuatione repletis, & repletione eorum quæ conuenientia sunt, vacuatis succurrimus: quomodo sanè alteratione, ea quæ aliqua intemperie infestant, idq; siue refrigerantes & calefacientes, siue siccãtes & humectantes, curamus. Ac de reliquis quidem posteà loquemur, in præsentia verò de ijs quæ repletionem spectant, verba faciamus. Est autem nihil aliud

replet

repletio, siue πλήρωσις Græcè, nisi humorum, qui cauitatibus quibusdam continentur, plenitudo multitudoq;. Atque bilis, aut pituita quæpiã, cibúsve incõcoctus, in stomacho ventriculoq;, πληθώρας, hoc est plenitudinem efficiunt: in intestinis verò, tũ illa iam dicta, tum stercorum abundantes fæces, sic in vesica, humor quispiam crudus, lotiumq;: in viscerum cauis, aduentitij corrupti humores exuberantes, sunt plenitudinis caussa: perinde atq; in venoso genere, sanguis aut quantitate aut qualitate excedens, offendit. Itaq; de venæ sectione primum agendum: ac quibus, & quando, & qua corporis parte, eam moliri decet, docendum, vt inde ad reliqua accedamus.

De venæ sectione. CAP. I.

QUIDEM ergo tundere oportet, in plenitudine & calidiorum humorum putredine: in anni tempore, vere potissimùm, secundo loco, autumno: in ætatibus, à pubescentibus vsq; ad declinationem: in habitibus calidioribus: in regionibus temperie commoderatis. in contrarijs, venæ sectio ceu aliena est fugienda. nam si sanguis vacuatur, cùm neq; copia, neq; humoris exuperat caliditas, refrigeratio cruditas, malusq; habitus succedit. Æstate verò, periculum est de syncope, præcipuè si regionis temperies calida viguerit, ægriq; habitus in

habit

halitum promptè digeritur. At cùm frigus prævalet, è sanguinis inanitione, corpus anni tempori par est consentire. Adhæc simul quoque dispiciendum est, an bene aut secus, æger sanguinis vacuationem tolleret. Vena quoque secanda est, quibus consuetæ excretiones suppressæ fuerint, & æstate febrem expectant: vt contrà à sanguinis missione supersedendum, quibus familiares excretiones immodicè nimis feruntur: quosq; affectus sicciores affligũt, & ventriculi os imbecillum est, alvusq; liquidiora egerit. Quòd si quando contraria in eodem concurrerint, & quædam eius administrationẽ suadeant, & alia dehortentur, quænam præpolleãt, est spectandum, atq; illis opem ferentia admoliendum, ita tamen, vt ne dehortantia quidem negligantur: sed illis quoq; in quantitate aliquid est indulgendum, ac securitatis gratia gratificandum. nam in validioribus ac magnis auxilijs, si aliquid de vacuatione remittitur, securitas ægro conciliatur. Porrò nõ eædem perpetuò sunt tundendæ venæ, sed pro infestãtium vitiorum ratione, alijs aliæ: dum partim reuellere, partim materiam deriuare, prout occasio vsusq; postulat, studemus. Ac reuulsione quidem vtendum est, cùm multitudo infestans est effatu digna, parsq; cui affectus impendet, princeps ac præcipua est,

Deriu-

Deriuatione verò opus eſt quando ex propinquo loco auferre nõ licet. Sic per rectitudinem, quod Græci dicunt κατ' ἴξιν, vacuãdum, cùm calidiores humores in locum aliquem anteà fuerint impacti. Scire nanque licet non ſolùm cùm purus abundat ſanguis, venam ſecandam eſſe, verùm etiam cùm cæteri quoq; humores bilioſi ſeroſi've, aut eiuſmodi alij vnà cum ſanguine, exuperauerint. nam illic, quia id quod inſidet, vacuatur, ſanguinis miſſio conferre viſa fuit: hîc verò communi vacuationis ratione conducit. Siquidem ſanguinis detractio quamlibet tam in venis quàm toto corpore plenitudinem imminuere ſolet. Atque ita cõmodè vena ſecatur, niſi aliud quippiam eius vſum impediat. Venas porrò tundimus, alias oò aliam affectam partem, ſed quoniam magna ex parte quæ cubitum prætergrediuntur, incidimus, de ijs primùm, deinde de reliquis agendum. Itaq; quæ in cubito conſpicitur recta ab humero deſcendit, atq; idcirco humeralem eam nominarunt: ibiq; diſciſſa nonnihil deſcendit, quam mediam nuncupamus. Sunt tamen quibus hanc cum humeraria connecti non placet, ſed ab alio principio produci videtur: alij humerariam ibi deficere opinantur. Poſt has, alia vtraq; humilior permeat, quam aliæ plures minoresq; excipiunt, ſub ipſum iam

Actuarii Joannis filii Zachariae operum - page 177 sur 731

cubitum perreptantes. Verùm quia non omnibus omnes eodem modo apparent, ſed aliquibus omnes, quibus nimirum venoſum genus, iecurq; ante id naturali temperie ac efformatione, calidius ſaniusq; fuit cõformatum: nonnullis autem, complures, quemadmodum alijs paucæ, vel ob naturalem quendam in primâ efformatione errorem aut vaſorũ anguſtiam, vel quòd profundum magis petant, vel carnis copia occultentur, conſpiciuntur, nos de ijs tam quam omnes obiutui occurrant, loquemur, tuum autem erit, loco, quo non apparent propinquiores, ſiquando neceſſitas vrget, ſecare. Proinde humeraria tundenda eſt (nam de hac primo loco tractandum, quòd cæteris ſit ſublimior) in ijs affectibus in quibus caput, aut in tota eius circũſcriptione aut aliqua eius parte, puta oculo aut auribus laborat. Eam verò, quando cõſpicuè deriuatur, in parotidibus et facie, colliq; morbis ſecabis, quæ ſi non apparet ad humerariam redibis: vt ad mediam, et hãc (ſi media non conſpicitur,) in thoracis coſtarumq; vitijs. His demũ inferiorem ſecare oportet, cùm ilia, renes, & partes genitales malè habent: quòd reliquarum ſit humillima. Cæterùm in his venis cautè obſeruandum eſt, vt in ipſis ſectionem meditaris: quòd non mediocris, ſi aberraueris, inde contingãt mala ſiquidem.

dem humerariæ, musculi caput subijcitur, quã nisi securè cauteq; incideris, sed secans ferrum in musculum adegeris, dolores, inflammationemq; excitabis, ac aliquod mẽbro inferes impedimentum. Iam ei quæ inde propagatur, nervus subditur: qui ne pungatur metus est, si minus circũspecta fiat sectio. Neruorũ porrò punctura, velut antea quoq; docuimus, conuulsionem, & si negliguntur, mortem inferunt. Quod si transuersi amputantur, membrum in quod inseruntur, motus sensusve usu spoliatur. Attamen aliquando si quando conuulsionem aut ea etiam deterius quippiã homini metuimus, totius nerui præfectionem eligimus, satius esse rati, cum hominis vita, membri motum esse oblæsum, quàm si membrum incolume asseruare studeremus, mortem repentinam creare. Sub ea quæ has insequitur, arteria percurrit, quæ cùm diuiditur, nihilo leuius accedit periculum, ex sanguinis effreni profluuio. quòd spiritus ei insitus, motusq; præcludi vas ac connìuere non patiantur, sed semper prærumpant, osculumq; referant, vt sanguis qui in arteria continetur, erumpat. Atq; huic succurres, velut pòst de ea pertractantes docebimus: nunc autem ideo eius meminimus, quo cautè qui ministrant, sectionem molliantur. Non est tamen ignorandum, non eodem semper modò

Actuarii Joannis filii Zachariae operum - page 179 sur 731

omnibus neruos arteriasq; venis ſubijci, ſed plurimis illa nonnihil ad latus declinant, licet compluribus vnà permeent, venæq; illis inſideant. Et quoniam nonnunquam qui inconſideratius venam vulnerauit, ſectio recta in neruum arteriamq; fuit adacta, atq; vnà cum vena, illa quoq; diſſecuit, eam ob rem, te illius admonitum voluimus, quò miniſtri leuius, ac in ſuperficie magis ſectionem aggrediantur. Ita ergo cubiti venas incidens, ægris opem feres. Cæterùm deſinunt hæ in prona manus parte, & humeraria rectà ad pollicem defertur, reliquæ verò ad partes carpi humiliores. Quare ſi humeraria in cubito non apparet, eam quæ eſt ad pollicem ſecamus, quemadmodum in lienis iecinoris ve affectibus, vbi opus eſt ſanguinis vacuatione, eam quæ ad annularem digitum propagatur, atque ad minimum magis accedit, incidimus, atque ita laboranti opitulamur. ſic in anginoſis & gurgulionis & glandularum linguæ adhærentium inflammatione affectibus, eas quæ ſunt ſub lingua pertundimus, & quo loco malè affecto propiores ſecuerimus, eo citius auxiliamur. Nonnulli in inueteratis dentium morbis, quando ſuperiores ex æquo acris humoris affluxus infeſtat, venas intra labia & gingiuas inciderunt, ſectis item ijs quæ ſunt in magno oculi an

li angulo, mali impetum fregerunt. Eadem faciei papulis, quas ἐξανθήματα vocari diximus, potissimùm in secundis opem ferunt. Ita & frontis secta vena in vetustis occipitis malis profuit. Sunt qui venas colli incidunt, verisimileq; est eas iuuare, cùm sanguis copiosior ad caput confluit, atq; idcirco veluti inflammationem in cerebro concitat, aut sensus veluti detinet, κατοχὴν nominant: veruntamen plures eas deuitant, quod sanguinis fluxus ægrè compesci inhiberiq; possit. attamen necessitas nihil non vtile efficit, atq; eas ob causas, has quoq; pertundimus. Porrò in pedibus sanguinem mittimus, communi quidem ratione, vt humores qui sursum ad partes præcipuas vergunt, retrahamus reuellamusq; verùm priuatim in fœminis quibus menses supprimuntur, aut minus quam necesse est, purgantur, aut consimilis aliquis affectus sanguinis vacuationem vrget. quare hîc internas magis secare conuenit, sed in coxendicis renumq; dolore, quem sanguinis progignit copia, externas secuisse præstat. Quòd si inflammatio quæpiam genitales partes occupat, in fœminis iuxta ac maribus, cùm reuellere est animus, & ne humores ad affectas partes pertrahantur prospicere, vtilius è cubito sanguinem ducimus: sed si temporis longinquitate

Actuarii Joannis filii Zachariae operum - page 181 sur 731

©BIUM

humores iam sunt impacti, satius videbitur à pedibus sanguinem detrahere. nam dum adhuc oberrãt humores, & incerta sede vagantur, reuellere melius est: at vbi iam sedem fixerunt, & loco cuipiam infixi hærent, ex propinquiori parte euacuare est vtilius.

De arteriæ sectione. CAP. II.

Porrò arteriam secare, interdum conferre videtur; verùm plurimum negocij exhibet. Siquidem sanguinis fluxus qui ægerrimè sisti possit, & arteriæ dilatationes quas ἀνευρισματα Græci nominant, hinc oboriri solent. siquidem cùm arteria perpetuo motu agitetur motus sui perennitate, sectioni obstat cicatricem non patitur. Attamen cùm longè tenuiorem, ac nihilominus calidum contineat sanguinem & spiritum, simul atq; plurimum increuerit, calore tenuitateq; omnia peruadit, iamq; morbosus affectus, caput præcipuè, capitiq; proxima quæque frit tentatq;. nam ob non exiguos & leues vsus plurimus copiosusq; eò confluit, & flammeus, igneúsve fluctus, quòd à copiosiore calore spiritus eius accendatur, venas acutissimè vibrat & concutit, ex quo vehementes capitis dentiumq; dolores, & maximæ lippitudines, & defluxionum ac destillationum magna pars generatur. Atq; aliquando dolor tantum caput amplectit

plectitur, quandoq; in parte aliqua firmatur. quare vbi doloris vicerit vehementia, metus eſt ne ſanguinis eruptio eum creauerit. Proinde aut tranſuerſim eas præſcidimus, laqueis anteà interceptas & fibulis euulſas: aut cauterijs continuatim diuidimus, idq; aut candentibus ferramentis, aut medicamento quod adſimilem vrendi vim obtineat. Atq; ſi dentes ob eas quas paulò antè recẽſuimus cauſſas indoluerint, eas quæ ſub aurem ferũtur, ſecamus, aut adurimus, & tactu prius ſub auriculæ fibrã pulſare deprehendimus. Oculis verò malè habentibus eas quæ in temporibus potiſſimùm quæ oculos adire videtur: ſi quæ in toto capite dolorẽ genuerunt, eas iuxta coronã ſupra muſculos tẽporales adurimus, ne quem ex neruis motui voluntario inſeruiẽtibus oblædamus: & ad os vſq; cauterijs demittimus, vt omnes diſſecemus. atq; inde opem ſentire ægri videntur, quibus caput dolet, vt & illi quorum oculos vetuſta defluxio infeſtauit. Cæterùm præſtat in omnibus ſectionibus cauteria præferre, quod ita minor ſanguinis copia erumpat. nam cùm cruſta non aliter quàm vinculum ei incumbat, minor formido eſt ne ſanguis proruat: quippe quòd tum ſolummodo metũ incutiat, cùm decidit. nã cùm prius quàm arteria probè cicatrice coaluerit, cruſta delabitur, interdum ſanguinis

eruptionis fit cauſſa, quam prŏptius reprimere licet, cùm maior eius portio cicatricem contraxit. At enim maiorum arteriarum ſectiones vſtiones ue ſunt fugiendæ, vt pote quæ difficillimè coërcẽtur. Atq; eo tempore, à copia cibi potuſq;, præcipuè calidioris, à vociferationibus, item venere, omniq; vehemẽtiori motu eſt abſtinendum: nam quauis leui ex occaſione arteriæ diſrumpuntur, metuſq; eſt ne quãdoq; earũ fluxus ſiſti nequeant. Itaq; hoc, ſi rectè victus inſtituitur, conferunt plurimũ: ſin æger aut medicus in aliquo, quod factum oportuit, deliquerit, priori dolore nonnunquam deterius periculum creatur. ſed de arterijs hactenus.

De hirudinum & ſcarificationis vſu.

CAP. III.

ADmouemus hirudines eo loco cui ſanguinem corruptum putremq; ſubeſſe putamus. hæ nanq; eam partem cui applicitæ fuerint, morſu inuadentes, moderatius ſanguinem qui eſt in ambitu, cucurbitularum inſtar exugunt. Sunt tamen continua aqua dulci aſſeruandæ. nam cùm aſſiduè in cœno limoq; degãt, planè ſunt impuræ: & cùm nondum in aqua dulci ſunt verſatæ, imbecillius lentiusq; ſua obeunt munera. Demittimus autem eas per fiſtulas ex quauis materia confectas, aut arundinem, ad loca, quæ accuratius obſeruamus, nec vicinas

vicinas partes attingi volumus. Desinũt porrò sugere, aut saturæ, aut sale adhibito. In affectibus cutaneis qui superficiarij maximè sunt, satis sanguinis profluere sinimus, si ex alto id quod noxiũ est attrahere per morsus cupimus, cucurbitulas affigimus. Vtimur ijs in vetustis papulis, & humoribus calidioribus alicui loco impactis, aut aliunde confluentibus, vel ex ictu quopiam collectis. Eas propemodum cuilibet corporis parti inijcimus, etsi opportunè adhibentur, ægri leuantur. nam cùm cucurbitulam figere, aut venam secare, aut scalpello cutem incidere non licet, hæ impositæ prosunt. quippe in omnibus membris applicantur, in quauis capitis parte, & facie, renibus item, & ipso interdum intestino recto, cùm iampridẽ ora venarũ fuerint occæcata, atq; eapropter negocium facessant. Cæterùm in quibus hirudinibus vti non licet, vel quòd æger recusẽt, aut quòd locus eiusmodi animalia non educet, vel quòd anni tempus non patiatur: ijs scarificationes substituimus, quæ multò quidem moderatius quàm hirudines vacuant, attamen eas quoq; opitulari putandum est. Veruntamen non omnibus ea loca, quibus hirudines admoueri posse, diximus, scalpello concidere licet: sed per quæ insignes superficiariæ venæ, nerui, tendines, aut arteriæ non feruntur. Cauendum enim hîc est,

ne dum vehementius scalpellum adigimus, imprudentes prædictarum partium continuitatem soluamus. Potissimus autem scarificationum vsus est in auribus & malleolis, quibus tamen cucurbitulas quoq; aptamus. Vtimur nihilominus & in multis alijs partibus.

De cucurbitulis. CAP. IIII.

EX ijs quæ celerrimam opem adferũt, cucurbitulæ quoq; esse videntur, si opportune admoueantur namq; noxios humores qui in profundo latent, violentius retrahunt, & facilè educunt. Quare cutem antea scalpello conscindimus ea parte, ex qua sanguinis aliquid detrahere vacuareq; nitimur. At vbi reuellere tantummodo, & spiritum crassiorem fluctuãtem exhaurire discutereq; cupimus, eas citra scarificationem imponimus. Sic cùm stomachus resupinatur, ventriculo impositæ, cum violento suo impetu reuellunt, & in pristinam valetudinem restituũt. atq; intestinis ventriq; aptatæ, crassiores infestantes flatus in halitum dissipare valent. Quinetiam si mammis applicantur, vetustam vteri sanguinis profusionem sistunt: quemadmodum cùm visceribus imponuntur sanguinem qui copiosius è nare fluit, reprimunt, modò visceri quòd è directo nari vnde it sanguis, subditur, inhæserint. Ac ita cucurbitula vi retrahit digeritq;. Cæterùm scire licet,

licet, eum qui hac vti volet, haudquaquam loco corporiæ quod vndiquaq; plenitudine oneratur aptare debere: nè plus quàm vacuetur, materiæ indidem acruetur, atq; ita ægro noxæ auctor fiat, sed vt conuenit, antea est euacuandum, atq; ita demum cucurbitulæ sunt adhibendæ. siquidem qui caute de rebus diiudicat facit vt rectè curatio succedat.

De glandibus & clysmatis.

CAP. V.

GLandibus & clysmatis vtimur, cùm stercora educere volumus. & glandibus quidem, ea quæ in intestino recto continentur explodimus: clysteribus verò, ea quæ in superioribus remanent, eijcimus. Verùm non modo stercus infusis euacuamus, sed etiam si quid infestantis pituitæ intestinis adhæret, id quoq; cedit, & egeritur. Adhæc si caliginosus quispiam spiritus, qui exitum non inueniat, oberrat, & negocium faceßit, etiam is enematis expellitur. Quinetiam clysma remotißimis opitulatur obstructionibus. nam quod retinetur, & loci continuitate progrediens moleßat, si vt deorsum feratur & foræ pellatur, impetū nactum fuerit, leuat, & quod prius pondere grauabatur, melius se habet. Verumenimuero in omnibus consuetudinis ratio est habēda. siquidem alij duobus tribusue aut etiā pluribus interp

interpositis diebus nihil deïciunt : nonnulli nisi semel aut bis desideant, caput ventremq; grauari sibi videntur. Quare pro ratione dum benè valeret, consuetudinis, etiam in morbo clysmata infundere oportet, paulò tamen solito frequentius, nisi quid obstet, quod continuum materiæ ad inferna impetum dissuadeat. cuiusmodi sunt retentricis intestinorum facultatis infirmitas, aut cùm purgatio partium thoracis per superna vrget. nanq; purgationes ab eiusmodi impetus vi retrahuntur, & seditiones excitant, ab externis auxilijs euictæ, hinc anxietas, inquietudo, & varia ægro oboritur tristitia. Atq; idcirco aluo suppressa & obstructa, admodum inido nei sunt vomitus, quod secum materiam ad superna pertrahant : at si immodicè egerit, valde sunt accommodati, quòd naturæ conciliant propensionem & impetum contrarium. Sic aluus soluta & liquida, vomitui subuenire creditur. Quòd si ambo ægrum infestauerint, considerãdum est, ac prospiciendum, ne æger in syncopen incidat: quòd in duabus immoderatis vacuationibus vires resistendo satis non sint. sed vbi omnia sunt mediocria, sustinentur, nec dolor fatigat, Componuntur porrò ablutiones, tum ex acrioribus succis, tum ex molliter lenientibus : vtrisq; enim opus est, vt illis facultas excernẽs irritetur, & his

his emolliantur, si quæ sint fæces duræ quæ exitum veluti operculentur. tanto autem eas valentiores & acriores conficimus, quãto ea quæ affligunt vi indigent vehementiore, ægrotiq; sensus obtusior ac hebetior est. Cæterũ in abrasionibus vulneribusq; intestinorum clysmata non ad vacuandum, sed ad humores mordentes contemperandum, vulneribusq; cicatricem inducendam infundimus, atque ad eum vsum componimus. quare ea contraria penitus facultate constare solent, vt expleant, astringant, & refrigerent plusculum. In vsu quoque sunt consimiles glandes in eiusmodi affectibus.

De iis quæ naribus induntur, & gargarismis. CAP. VI.

CVm muccosi pituitosiq; succi caput infestant, ea quæ naribus imponuntur, ἐρρίνα Græci, nostri quidam nasalia nuncupant, & gargarizationes ad vsum vocamus. atq; illa ex puluisculis, & succis quibusdam acrioribus vt attenuemus, & infarctam materiam auellamus, & sternutamenta cieamus, cõficimus: hæ verò ex acribus & dulcibus quibusdam admixtis, ne gustum plurimũ offendamus, componuntur. quibus gargarizantes, per palatum humores educimus, & ægros à maiora interdum minitantibus vitijs vindicamus. Verùm vniuersam medicamentorũ purgantiũ facult

facultatẽ, quomodo videlicet in nos agant, & quando, ac quæ maximè vsui sint, atq; in quibus ægritudinibus assumẽda, hinc discere licet.

De purgantium Medicamentorum vsu. CAP. VII.

ET'aq; purgantia medicamenta, quæ καθαρτικὰ Græcis nominantur, communi quidẽ generis ratione ex censu sunt eorum quæ perniciem creant, ἀλεξητήρια & nostri venenosa, & mortifera appellant: verùm ab ijs quæ magna sunt corrumpendi vi prædita, dissident, quod hæc eadẽ quantitate, non perinde ac corrumpentia interimant, nam cùm sunt mediocria, prosunt: cùm verò interdũ copiosius assumuntur, quantitate perdũt. Cæterùm ex ijs quæ intrò adhibentur, alia, simplices sunt cibi, ceu panis, caro, & pisces, atq; id genus cætera: quædam sunt cibus & medicamẽta, velut lactuca & atriplex, intubus item, ac ptissanæ succus nonnulla simplicia sunt medicamẽta, vt piper, carũ, rosæ, violæ, & siquid est eiusmodi aliquæ corrumpendi quodammodo vim obtinent, qualis est cicuta, et nerium, ac cætera talia, quæ tamen si commodè commiscentur salutaria quãdantenus esse videntur, vt humores corporis contẽperare, & noxios vacuare possint. Nanq; cùm ex frequentibus peccatis quibus in victu delinquitur, antecedentibus, multi variq; humores

mores in ventriculo & inteſtinis, adhæc in viſceribus totoq; venoſo genere coarcerentur: præterea cùm ad ipſam vſq; profundam carnem, excrementitius alienuſq; humor quãdoque ſe ingerat, ac in ſexcentos ideo affectus, qui ita malè habent incidant: operæprecium vtique fuerit nouiſſe, quomodo, & quando, ac quibus eos purgare oporteat, ne dum inconſideratius medicamenta propinamus, periculum pro medela creemus. Proinde in omnibus ſpectare decet, ecquis ſit qui offendit humor, & quam corporis partem obſirmatus occupet, atq; numquid vniuerſum corpus eo non abundet. Dignoſces autem id ex parte quæ pondere premitur, aut dolet, aut alio aliquo affectu laborat, vtens eã in re præceptore, ægri ſenſu, & tuo, quod ex deprauata patientis locis functione ſumes, iudicio. ſed nec paucæ dignotionis occaſiones prioribus libris explicatæ fuerunt, in quibus ſi teipſum exercueris, non magnopere aliorum, quòd inde ſatis noxios infeſtantesq; humores diſcernere poteris, indigebis. Porrò, vbi tum ſpecies, tum peccantis humoris copiam didiceris, coctúsne is ſit, an crudus inſpiciendum eſt. quod ex ijs quoque quæ olim tibi fuerunt tradita, cognoſcere licebit. Quòd ſi etiamnum crudus fuerit, congruis medicamentis quæ poſtea docebimus, coctione

coctionem moliri oportet. Si autem iam coctus est, & exitum sollicitat, perpendendū est, sursum'ne an deorsum vergat, atq; illac educendus. Cæterùm non tantum vt humores coquantur enitendum est, verùm etiam ex Hippocratis præcepto, partes per quas euacuandi sunt fluidæ fieri debent: quo purgationes melior faciliorq; insequatur tolerantia. siquidem interdum, vbi obstaculum quodpiam occurrit, medicamenti facultas in finem vsq; repellitur retunditurq;. Adhæc anni tempus expendere decet. nam frigus ingens & vehemens humores cogit, atque purgationi inhabiles reddit, quòd ægrè sequãtur. Multus quoq; æstus, quod occultæ perspirationis digestionisq; sit caussa facit vt purgationes minus sint tutæ, nisi vehementer purgatio vrgeat, ægriq; vires sint integræ. Licebit autem & arte corpori cõmoderatas tempestates parare. sed & consuetudo, plurimum in hac re iuuare quibit. quidam enim purgationibus sunt assueti: alijs semel bisue in anno aluus sponte sua erumpẽs, temporis longinquitate collectam noxam explodit. Quòd si quæ excerni solent retinentur, ac ea de re homo ægrotat, iam purgationi locus est, vt procrastinãtis naturæ vices suppleamus. Cæterùm quibus materia turgere videtur, & syncopen, aut fluxum immodicum, aliud'ue aliquod

sympto

ſymptoma prauum metuimus: ij perquam mediocribus medicamentis ſunt purgandi. ferè autem ijs quæ contẽperandi vim obtinent, καταπεπαγμένα Græci nominãt, eſt vtendũ, quo contrarijs cõtraria compeſcamus, & corrigamus. Atqui quoniã, qui, quibus anni tẽporibus, & quibus ætatibus, victuſq; rationibus, & temperamentis humores augentur, didiciſti, nunc quibus ipſorum ſinguli purgentur, audi.

De mediocriter, & acriter purgantibus medicamentis. CAP. VIII.

VErùm quia quædam ipſorum mediocriter admodum, neq; ex alto ducere: & quædam contrà, purgare videntur: primùm de mediocriter purgantibus, deinde de acrioribus eſt agendum. Nec te fugiat medicamentum quodq; proprium ſibi humorem trahere, licet nonnunquam ab eius quod vacuatur impetu vnà cum eo etiam alius quiſpiam, qui in corpore redundare reperitur, educatur: cuius te admonitũ volui, ne ſi ſtriè medicamento quod bilem ducit, exhibito, alium cum eo præterea humorem egredi conſpexeris, te medicamenti pollicitatione deceptum eſſe arbitreris. Sunt & ex ijs quædam quæ facultatis proprietate, duos trés ve purgant humores. Proinde omnia hæc diligenter ſunt inſpicienda, atq; ita vtendum. Aloë ergo, maſtiche, agaricum, terebin-

Actuarii Joannis filii Zachariae operum - page 193 sur 731

©BIUM

thina, ſtyrax, mercurialis, parthenium, & ſi quod eſt eiuſmodi aliud, ſunt ex ijs quæ mediocriter vellut poſtea dilucidius docebimus, purgant. atq; eorum alia bilem ori ventriculi innatantem, alia pituitam, quæ in ventrem inteſtinaq; prouoluitur, vt et quædam ſuccum melancholicum purgãt. Porrò inter acerrima recenſentur, tithymalus ſcammonia, peplium, colocynthis, veratrum, elateriũ, & id genus reliqua. Hæc humores qui in profundo inhærent, expellunt, ægrosq; à maximis affectibus liberant. Cæterùm cùm omnia vim habeãt noſtras facultates corrumpendi, attenuantibus & incidentibus odoratisq; ac roborantibus & contemperantibus medicamentis permiſceri debent, quo ipſorum immoderantia coërceatur, ægerq; libenter ijs vtatur. Iam verò cùm mediocriter mouemur, ad agendũ efficaciora reddũtur: cùm autem quieſcimus & dormimus, imbecilliora. nam quoniam ipſorum robur augetur, quia noſtram facultatem exuperãt, (ita enim ſibi proprios euellere extrahereq; humores queunt,) patet, quòd cùm in ſomno aut quiete facultas noſtra robuſtior fiat, haudquaquam facilè medicamentis contrà nitentibus & principatum tenentibus cedit. Quocirca ne odoratis quidem tunc, vtpote facultatem refocillantibus ac recreantibus eſt vtendum: niſi nimia,

nimia, maior've quàm par eſt imbecillitas, aut animi vrgens deliquium ſuaſerit. Adhæc, nihilo ſecius obſeruandum eſt, ſit'ne æger ad vomitum procliuis, nécne: deinde, num ob humores quoſdã, qui in ore ventriculi redundent, vel peculiarem huius partis infirmitatẽ, aut quòd ſpecies quaſdam auerſetur ac reſpuat, vomere ſoleant. nam ſi vomit promptè, quod humores illic coaceruentur, per ea quæ modicè vomitum cieant, euacuandi exiccandiq; ſunt, ac poſtea os ventriculi roborandum, & inde medicamentum catharticum propinãdum. Si autem vomitus facilis eſt ob ſtomachi debilitatem, ſi quidem cauſſa euidens fuerit, puta intemperies quæpiam, victu medicamentisq; cauſſa infeſtãs amputanda eſt, atq; ita vt decet oris ventriculi robur confirmandum. Veruntamen interim cauere oportet, ne medicamenta ceu tyrannidem exercẽtia, infirmis partibus adhibeamus. Cæterùm ijs qui ob inſuauitatem quampiam, medicamentũ renuunt & reſpuũt, dulcibus & odoratis ipſum quo ori gratius ſit, præparandũ erit: illudq; admiſcebimus vt ſenſum lateat, quod maximè ægris eſt familiare ac conſuetũ. Ac ſiccioribus potiſſimum ore ventriculi, & ægrè vomentibus, humidum liquidumq; medicamentum eſt exhibendum: qui verò contrà ſe habent, quod ex paruis globulis, quæ Græci

Actuarii Joannis filii Zachariae operum - page 195 sur 731

καθαρτήρια, noſtri pilulas appellant, conficitur, dandum. Æquũ eſt autem hoc quoq; aliꝝ ceu puluerũ cupediarumq; forma, facilius aptiusq; medicamentum deuorari. Omnia ergo prius ſunt examinanda, atq; ita quæ conuenientia ſunt eligere ac præferre decet: ita tamen vt in omnibus medicamenti facultati conſulatur. Et quemadmodum à venæ ſectione arcendos eſſe cenſemus pueros impuberes, & eos qui iam conſenuerunt, ac vterum gerentes, niſi maior vrgeat neceſſitas: ita in purgatoriis quoq; eſt agendum, niſi ex eorum numero fuerint quæ alium ſubducãt, aut fæces explodant, illa ἀναλατα, hæc ἐπιπρωτικὰ Græci nominant, iiſq; non niſi inſtante neceſſitate eſt vtendum. Verũ quia quo pacto turgentium humorum tum ſpecies, tum concoctiones probè cognoſcere licet, didiciſti: adiectumq; iam eſt ſermoni, quibus & quando eſt medicamentis vtẽdum: reliquũ nunc eſſet vt de iis quæ ſequuntur pertractaremus, ſed quia illud quoq; nos præterijt, cùm tamen explicatum oportuit, dictis eſt annectendum: nempe quòd etſi eadem in corpore materia turgeat, nihilominus nõ omnibus idem eſt virium robur: quare nec eodem quidem modo tolerant purgantia medicamenta. ſed quidam facilè ſuſtinent vacuationes, aliorũ vires antè exoluuntur, neq; confertam ferre vacuationem valent.

valent. Proinde illis ſemel aut bis exhibenda ſunt medicamenta, bi paulatim ſunt vacuãdi. Atq; in omnibus eorum in purgando facilitatem antè expendere oportet, ne temere ac inconſiderate ijs qui promptè purgantur valida, ijs verò, qui ægrè, debilia præbeamus. illa nãq; ijs quibus exhibita fuerint, ſuperpurgationes imitantur: atq; hæc agitantia ac commouentia, tantum eos qui antea quieſcebant, humores, interdum ad partes principales tranſmittunt, atq; deteriorum affectionum anſam præbent. ſed horum ſatis.

De victu valetudinem confirmante.

CAPVT IX.

QVoniam oratione temporis ſpatio collectam prauitatẽ ægris detraximus, age nunc conuenienti victus ratione, ſalubribuſq; præceptis vires eorum refocillemus, ac qua victus ratione valetudinẽ confirmare recipereq; queant, doceamus. Verùm quia cauſſæ aliæ ſunt externæ, aliæ ex nobis delinquentibus naſcuntur: dicendum primùm eſt de exterioribus, atq; ita ad eas quæ à nobis ortum ducunt, tranſeundum. Itaq; foris ſæpenumero frigus & æſtus, triſtitia et metus, animi deiectio et cura, atq; alia eiuſmodi ob enatas calamitates infeſtant. At verò his animi perturbationibus, ſi intẽperies aliquas non inſequuntur, haud facilè medici

©BIUM

medentur, nisi verbis potius placidis, quæ animum mœrore imbutum demulceant, mitigent ac recreent. Atqui nobis de hac re priuatim conscriptus est liber, qui in quocunq; infortunio, accommodatam consolationem, vt mihi quidem videtur, reperire doceat, vnde tu quoque qua ratione aduersa fortuna oppressos, ac mœrore se conficientes, solari oporteat, & quam ob causſam potißimum dolere deceat, si forte in libellum incideris, edisces. Cæterum cum frigus æstusq; homines, atque eos præcipuè qui negligentiorem sui curam gerunt oppugnant, de ijs vt par est, necessaria proponenda sunt. Cùm ergo repentinum frigus corpori, cui meatus sunt aperti, accedit, refrigeratio comitatur, ac occulti cutis meatus condensantur stipanturq;, hinc consuetus perspiratus inhibetur, tussis & destillatio, etsi caput eadem ratione refrigeretur, grauedo & pituita ac muccus oboriuntur: carnis item ingens dolor, ac intensio, quòd corpus ceu gelu concrescat, prehendit. Quòd si impurum fuerit corpus, & alioqui plusculum per latentem perspiratum difflari assueuerit, primum leuiter incaleſcit, deinde febri corripitur, atq; hic iam maiori opus est subsidio. Sed hæc in proximum librum asseruamus: nunc de ijs quæ mediocriter ob ea quæ foris intusq; occurrant, affligunt,

loquendum, ac quo pacto ijs prospicere oporteat, docendum, quo hic tractatus sit quædam ceu tuendæ valetudini accommodata victus ratio. Atqui de his antea quoque vbi de spiritu animali ageremus, dictum fuit. nam secundus liber totum propemodum quod ad tutandam valetudinem pertinet, negocium complexus est, eaq; inde licet huc aduocare. Verùm ne dum te ad ea quæ ibi fuerunt explicata, ablegamus, ad inopiam victus rationis redigamus, huic etiam libro quæ necessaria sunt impartiemur, vt si fortè illa non adsint, hic quæ vsus postulat habeas, & ei inde quæ te scire conuenit edoctus, acquiescas. Itaq; hoc perpetuò meminisse oportet, quod certum indicium, & tutum frigidorum & calidorum, siccorum & humidorum, nimiorum & paucorum, leuium & grauium, iuuantium & nocentiũ, iudicium ad sensum nostrũ defertur: nisi contraria, & quæ nõ debebat, ob affectum à ratione alienũ ac absurdum, expetat. quod quidem est longè rarissimum. Proinde cùm in extima cutis superficie frigus sentis, noxæ quæ inde impendet, occurrendũ est, & pluribus indumẽtis corpori facilis perspiratio conseruanda. at si frigus antenerit, & meatus, vt minus iam corpus perspiret, obseruauit, ijsdem rursus ad vsum cõparatis opitulaberis. nam etsi calor ad cutem

prorumpens duplicatus ſenſum ſui in condenſata cute producat, attamen copioſiore amictu meatibus reſeratis, nimius calor euaneſcet ac diſcutietur, iq̃; cui corpus aſtrictum ſlipatũq̃; eſt, melius deget. Et vt copioſiora indumenta prodeſſe ſolent, ita & tepor arte accerſitus, prout tẽporis occaſio tulerit, conferet. Porrò ex externo calore laborantibus contraria opem ferent: ſed ſi interior calor ſimul quoq; increuit, & febrem quampiam ſuccendit, externa non ſunt admodum refrigeranda, nec æger omni conatu denſandus, vt ad portionem dominantis qualitatis refrigerantia & humectantia introducantur. Inter ea verò quibus nos noſtra opera ægritudinis auctores euadimus, ſunt cibus, potusq̃; intẽpeſtiuus, & qui in ordinato victu vtentibus ſua quantitate & qualitate nocet. Adhæc æquè obeſſe ſolent exercitia et balnea immoderata, ac quodcunq; aliud vires excedit. Quippe cibus ſua copia onerans, etiamſi boni fuerit ſucci, cruditatem, alui profluuium, & vomitũ generare ſolet: parcior verò quàm neceſsitas exigit, cauſſa eſt cur corpus non alatur, & imbecillum fiat, nec amplius cum priſtina facilitate ſolita obeat munera, quod corpus inane reddatur, neq; ſpiritui ſufficiens ſuppeditet alimentum. Quòd ſi quæ offeruntur, qualitate fuerint aliena, id cacochymiæ genus acerbatur,

natur, quod qualitates præpollẽtes patefaciũt. Iam verò is qui cibi pondere grauatur, eueſtigio illius noxas perſentit: at quæ ex mali ſucci cibis gignuntur, non niſi tempore emergunt. Quare ſiquis cibũ praui ſucci quem aſſumpſit, facilè ſuſtinet, non ob id illius offenſam probè declinaſſe putandum eſt, ſed expectandũ nocumenti indicium quod ſe longo poſt tẽpore prodet. nam aut putridæ ſuccedent febres, aut ad cutem procurrente vitio, ſcabies, & tubercula, & pruriginoſi affectus, aut ſiquid eſt aliud eiuſmodi procreabitur. Quapropter non modò, an quæ offeruntur, quantitate commoderata ſint, verũetiam an qualitate mediocria, ne in poſterum eius noxa patefiat, eſt ſpectandũ, niſi qua adſit occaſio, quæ cibum requirat medicamentoſum: tunc enim eo vti præſtat prõptiusq; ab offenſa vindicatur æger. Cæterùm eiuſmodi qui prauum facultate ſuccum generat, & medicamenti vim obtinet, vſus ratione ab alimentis corpori familiaribus diſtat. nam quicquid in ſanis, ac temperie commoderatis, nec externo quopiam excellente egentibus cognata elementorum cõmoderatione caret, id omne communi ratione, in eorum quæ prauo ſucco cenſentur, claſſem reponimus. Quod verò facultatis ſuæ exceſſu, id quod in temperamẽto aut facultate noſtra deficit, ſubſtituit & æquat: id

cibum medicamentosum nuncupamus. Quare in intempestiuo eius vsu periculum est ne idem & praui succi & cibi medicamentosi nomine censeatur. Verum si distinguere volemus, medicamentosos, vtpote minus malos, cacochymis & praui succi edulij præferemus. Cæterùm de singulorum horũ facultate & alij, & nos priuatim, quinam boni mali' ve succi sint docebimus: quare nunc de balneis, somno, & exercitijs, quantum res postulat, apponamus.

De balneorum vsu. CAP. X.

BAlnea pro vsus ratione refrigerare & calfacere, adhæc siccare & humectare creauntur. Quæ sponte enascuntur, quippe quæ magna ex parte medicamenti rationem obtinent, (nam quædam sulphur, alia nitrum, nonnulla attramentum sutorium, aut similem quampiam qualitatem sapiunt,) semper exiccant calfaciuntq;. Quare ijs qui aqua intercute laborant, aut malo sunt habitu, κακχυμίαν vocant Græci, & in summa quos humor quispiam excrementitius molestat, conferre censentur. Quæ verò à nobis conficiuntur, & plerunq; potari queunt, nec vlla qualitate insigniuntur, (hæc enim est aquæ perfectio,) si moderata exhibentur, meatus aperiunt, & quicquid in ijs est sordis eluunt ac detergent. adhæc quæ indurata sunt emolliũt, cruda cõcoquunt, ac

ac aliquid illis adiiciunt humiditatis: & demũ perſpirabile ac fluxile vniuerſum efficiunt corpus. Quod ſi pluſculum intendantur, demunt aliquid humiditatis, quia amplius diſcutiunt, & addunt calori. quare ſiquis ſtudioſius obnixiusq; ijs vſus fuerit, adeò multum caloris vnà cum euaporatione exhauritur, et humoris exhalat, vt in poſterũ corpus frigidum ſiccumq; relinquatur. Vſque adeò propter intẽpeſtiuum vſum varie nos afficiunt. Porrò cauendum eſt, ne dum aluus copioſius excernit quàm opus eſt, aut præter modum ſupprimitur, balneo vtamur. nam illic cum corpus humectetur, partesq; irrigentur, inteſtina fluidiora reddũtur, ac plus egeri conſpicitur: hic verò cum aluus ſiſtitur, vapores caput petere, idq; replere ac grauare, & vertigines, tumultusq; excitare ſolet. Quin ſi qua parte ſanguis fluit, is balneorum vſu magis fluxilis euadit. Ac quemadmodum in aliis rebus moderatus vſus immoderato anteferendus videtur: ita ſe quoq; habet balneorum ratio: quippe haudquaquam præpropere ijs vti oportet, potiſſimum ſi ex continua cruditate qui lauatur humores coacerũauerit, aut paulo ante cibus ſe expleuerit. ſiquidẽ cibi nondum cocti, humoresq; crudi accumulati, caloris ad cutẽ impetu, vnà & ipſi properant: quò fit vt inde in poſterũ, quòd craſſio-

©BIUM

res facilè ſimul egredi nequeant, obſtructiones ſuccedant. Adhæc in vehementioribus frigoribus, & anni tempore æſtiuo æquè ſunt fugienda. nam hieme diſſoluti qui anteà quieſcebant humores, dum inter digerendum à contrario anni temporis impetu, in incautos validius irruit inuaditq; frigus, in neceſſariam aliquam partẽ impelluntur, ac morbũ ibi creãtes grauiter hominẽ offendũt. Æſtate verò media, cũ iam ardor viget, & calor ad extrema propenſius fertur: balnei vſus reliquum quod eſt caloris diſſipat, ac internas ita facultates debiliores efficit. Quòd ſi locus, ætasq; hominis conſenſerint, multò iam impenſius ſunt vitanda. ſiquidem conuenientem opportunumq; balneorum vſum maximè auxiliari eſt perſuaſum. at contrà obeſſe, prout alieno tempore, cumq; minimè conuenit, vti contigerit. Porrò de frigidis lauacris hoc eſt ſermoni annectendum, ea inſuetis, ceu plus lædentia quàm iuuantia, eſſe fugienda: præcipuè ſi occaſio non ſuaſerit, isq; qui vti volet, gracilis & ſubfrigidus fuerit. nanque in eiuſmodi frigus promptius ad profundiora penetrat, ac ſuccos quodammodo cogit, neruósque ad motionem ineptiores reddit: vt taceam quòd interdum in affectus his deteriores, qui temerè frigida ſe abluunt, incidant. At verò aſſuetis, cùm plurimum poſſit

possit consuetudo, ac leges naturæ fere euincat, atq; abroget, vt pro libito vtantur est concedendum, quanuis non sit consultum nec tutum vt omnes inconsideratius se consuetudini committant. nonnunquam enim duæ trés ve contrariæ conspirantes causſæ, potestate consuetudinem spoliarunt, & sola consuetudine fretum, maioribus periculis obiecerunt.

De exercitiorum vsu. CAP. XI.

QVE exercitationibus hoc dicere licet, non eadem omnibus, sed alijs alias cõgruere videri. nã qui exercitijs magis assueti sunt, ac laboriosam degunt vitam, ijs vehementius conuenit exerceri. qui verò ociosam, mollemq; persequuntur, ijs leniores & remissiores exercitationes sunt aptiores. Cùm ergo plura sint exercitiorum genera, quisq; sibi quod suæ vitæ instituto est accommodatum eligat. Proinde lucta, cursus concitatior, discus, et quod parua pila obitur, ex eorum sunt numero, quæ valentiora sunt. deambulatio autem & equitatio, ac quodcunque mediocriter corpus commouet, ex ijs sunt quæ leuissima habentur. Cæterùm ne ignorata exercitiorũ scopo, quando & quibus corporibus ijs sit vtendum, ambigas, iam repetito breuiter sermone, id omne explicabo. Ac primùm nihil aliud videtur esse exercitatio, quàm natiui insitiq; caloris accensio, qua

noxios

©BIUM

noxios ſuccos alios attenuare, alios propellere poſſit. nam quia cibi nõ pauci, accuratam non aſſequuntur coctionem, atq; aliqui meatus occludunt, vt inde natiuus calor non parum languear & marceſcat: ideo exercitia fuere excogitata, quo motione ſolita concitatiore, reſpiratio denſior euadat, & natiuus noſter calor nacta occaſione exuſcitetur, ac motu vehementiori, non ſecus quàm per fabrorum folles ſolet, ſuccendatur, ſemicoctiq; humores nõnihil coquãtur. Quinetiam à violẽtiori ſpiritus impetu recluſis meatibus, quæ antea ijs inhærebant, diſſlantur ac digeruntur. quo fit vt qui exercetur increſcente calore lenior ac perſpirabilior fieri cernatur. Atq; pro ſua quiſq; vium di ratione exerceatur. Modus verò exercitationis, ac finis ſit, vt qui exercetur, laſſitudinem non ſentiat, rubicundus fiat, reſpiratio ſatis alteretur, ac ſudores iam promanent. nam ſi quis vlterius progreditur, laſſitudo, atq; ita ſiccitas quædam, & neruorum dolor accedit, natiuumq; calor haud mediocriter exhalat. Porrò exercitatione vti debemus, cùm neque valde ſumus repleti, neq; admodũ exinaniti, neque multas eaſq; frequentes cruditates coacerauimus. nam primum interdum ruptura, & fibrarum auulſiones, σπάσματα appellant Græci, et laſſitudines gignit: alterum, naturalium

lum virium robur prõptè exoluit: & tertium, copiam crudi humoris in profundum detrudit. Quòd si paulatim & quasi ex additamento sensim crescente exerceamur, plus opis adferre omnibus est persuasum. nam quemadmodum repentina inanitio aut repletio, periculo non vacat: ita repentè vehementius diutiusq; exerceri, periculosum habetur. Quare oportet à mediocribus magis inchoantem ad validiores exercitationes transire. ita enim natiuum calor sensim confirmatus ac corroboratus, facilè quodcunq; noxium reperit, euincit. Cæterùm vitanda sunt exercitia, & maximè vehementiora ijs qui calido admodum sunt tẽperamento, ijsq; quibus vitale robur ceu exolutum languet, potissimùm si anni tempus ad calidum magis vergit. Iis item qui vitam vrbanam ociosamq; sequuntur. nam his, vtpote minimè assuetis, exigua sola deambulatio sufficiet, reliquæ exercitationes nec vtiles, nec necessariæ sunt. Iam verò & sudoris qui post exercitia erumpit, præcipuè si anni tempus frigidius fuerit, ratio est habenda. nam cùm refrigeratur, ac inde cutis eius qui se exercuit, condensatur, exercitatio ægritudinis ansam præbet. Proinde eo tempore balnea adire præstat, ac quam spiritus, inter exercendum, impetus adapertis probè meatibus ad cutẽ protulit, sordem eluere. ita

re. ita nanq; quæ infestant attenuantur, atque ad superficiem protruduntur, ac viciſsim humiditas quædam quæ corpus humectet, intromittitur. Quòd ſi balneorum non adfuerit cõmoditas ſaltem ſudorem cuti innatantem linteis extergere, ac ne horror refrigeratioq; ob anni temporis dominium prehendat, veſtes commutare, easq; nouas induere conuenit. hoc nanq; facilè tutumq;, nec aliquo pacto eſt deſpiciendum. Atq; exercitijs ita veteris, & tu, et quiſquis ex medicæ artis legum præſcripto vitam ſuam inſtituit. Et quoniam de exercitiorum ac balneorum, & antè ea de purgantium ac reliquorum medicamentorum vſu, ob aliquod in victu anteà cõmiſſum peccatum egimus: age victus rationẽ quæ ad cibos pertinet, quã breuiſsimè licet proponamus. quo quiſque ad has normas vitam ſuam dirigens, et valetudinẽ incolumen tueatur, & de purgantibus ac reliquis medicamentis minorẽ curã habeat.

De alimentis, & victu inſtituendo. CAPVT XII.

NOn eadem ergo omnibus vtilis eſſe videtur victus ratio, quòd non omnibus idem ſit temperamentum, nec vita, habitusq; vel ſi quod eſt aliud quod victũ ac diætam immutare poteſt. Verùm in mille ſpecies, ob temperamẽti quo totum, ac viſcera noſtra contemperantur,

perantur, exceſſus, hominum tẽperies victusq; diſtracta ſunt. huc accedunt quæ extrinſecus ob conſuetudinem occurrunt. His æquipollent vicemq; rependunt alimenti familiaris multiformes varietates, quòd aliud alijs prodeſſe, aut ab eo abhorrere conſpiciatur. hic enim illo, ille hoc victus genere delectatur, ac vnuſquiſq; id quod ſibi vtile eſt, ex ſenſu atq; tolerantiæ facilitate æſtimat. rationes verò experimentum quod circa ea habetur, quodq; ex ſenſu (principio ſanè nihil errante) oritur, aperit ac oſtẽdit. Atq; tractationem quidem de alimentis poteris ex alijs quoque, qui ea explicauerunt, diſcere: attamen & nos priuatim eæ docebimus, illo quo de temperamentis anteà compendio tractauimus. Proinde quæ nunc declarare animus ſit, æquum eſt proponere, quo nulla in re libellus hic deficere videatur. Itaq; ex alimentis (de his enim primo loco eſt agendum) alia ſunt boni ſucci, alia mali. Bono ſucco conſtare dicimus, εὐχυμα Græci nominant, quæ purum generandi ſanguinẽ vim obtinẽt: malo verò, κακόχυμα dicunt, quæ melancholicum humorem, aut flauam bilem gignunt. Sic crudi ſucci (ὠμόχυμα Græcè vocantur,) ea eſſe aſſerimus, quæ ſua natura pituitoſum crudumq; ſuccum creare ſolent. Adhæc ex cibis, alios concoctu faciles, alios difficiles: et hos

Actuarii Joannis filii Zachariae operum - page 209 sur 731

ventriculo idoneos, alios illi ineptos & noxios vocamus. Nonnulli item aluum sistere, & quidam soluere, atq; alij alijs præditi esse facultatibus functionibusq;, quæ naturalibus rationibus innituntur, censentur. Omnes autem cibi prout ad commoderatum atque vndiquaq; temperatum corpus comparãtur, ita eiusmodi iudicantur. Quare siquãdo in censu ciborum, audis concoctu aliquem facilem aut difficilem esse, aut vim habere aluum irritandi, supprimendi'ue, atq; interdum rem ac euentũ haudquaquam orationi respondere conspexeris: nolim id artis ignorationi tribuas, sed eius quod ablatum fuit mutationi, qua aut in toto corpore, aut viscere quopiam à commoderato euariat. nam exiguæ nonnunquam in corpore factæ mutationes, frequenter alias atque alias naturales actiones producunt. Nec solùm ob naturalem aliquam, aut ex errore natam intemperiem, functiones in nobis commutant: verùm exuperans quoq; ac redundans eiusmodi humor, idem præstare potest. Quinetiã anni tempus, ætas, & vitæ quod sequimur studium, non secus quàm illa corpus nostrum immutare, illiq; alium adferre statũ putãtur. Quocirca ne tibi errare contingat, cautio sit, cùm modò hos cibos promptè hominem coquere, modò illos ac illos aluum ducere, hos aliud efficere

conſp.

conſpicies: ſed receſſum, quo à commoderatione euariauit, inſpicere oportet, atq; ita cibum, qui cum excedenti naturali intemperie, eandem: cũ morboſa verò aduerſam tenet ſeriem, ſeligere. nanq; contraria cõtrarijs perimuntur, & ſalutaris rationem retinent: ſimilia verò ſimilibus confirmantur. atq; ita iuxta temperamenta eorum quæ offeruntur, varia videntur eſſe alimenta. Et ſi quid habent ad agendum, aut quolibet modo à nobis patiendum, peculiare quod verbis exprimi nequit, id anteà experimento deprehenditur: licet ratio interdum eius cauſſas adinueniat. Iam verò in omnibus cibis non eadem quantitas, neq; ſemper omnibus conuenit. ſiquidem non exiguum in ætate, & temperamento, necnon conformatione diſcrimen eſſe videtur, neq; omnibus par eſt eandem copiam congruere. nam adoleſcentibus, & ætate florentibus plus eſt dandum: quandoquidem illi, quod nutriantur, & cum ætate increſcant, pluribus opus habent: hos verò, quòd caloris vi polleãt, magisq; exerceantur, æquum eſt non pauciori illis indigere alimento. at quorum ætas iam declinat, atque ad ſenium nutat, prout à vigore recedunt, ita copiæ ſubtrahendum eſt quo ea quæ exhibentur, facilius conficiantur. quippe niſi ita victus ratione inſtituant, quòd calor haudquaquam

Actuarii Joannis filii Zachariae operum - page 211 sur 731

concoquere valeat, crebræ cruditates ſubſequentur, & ſeneſcentes in grauiſſimas noxas incident. Porrò dictum fuit, neq; ſemper, quoniam hyeme plus cibi eſt aſſumendum, deinde vere, æſtate autem mediocriter, animum ad robur caloris adhibentibus. hieme enim calor intro concedit, & cibos conficiendi vim habere creditur: at æſtate vnà cum anni temporis exceſſu per halitum digeritur. Verùm nihilominus naturales quoq; excretiones ſunt inſpiciendæ. nam ſi non eunt pro conſuetudine, de alimentorum quantitate demere pro portione quoq; decet. ſed & illud æquè conſiderare oportet, quod ad multá videlicet nutritionem paucam ve ſpectare videtur: ná quæ carnoſa ſunt, potiſſimùm ſi à grandioribus animalibus ſumuntur, plus cæteris nos nutrire perſuaſum eſt. ſecundo autem loco quæ iuniora, & magnitudine ſunt minora. Deinde minus his nutrimenti ſuppeditant, quæ ſanguinis ſunt expertia, atq; ex his quæ inter plantas recenſentur, quæ ſanè cùm quod ad nutrimenti facultatem ſpectat, nõ paruo inter ſe diſcrimine diſſideãt, longè ſunt viuentibus, & quæ loco mouentur inferiora. Proinde cùm corpus plus deſiderat alimenti, copioſius nutrientibus vtendum eſt: at cùm pauciori opus habet, ea quæ parcius alunt, ſufficient. Quòd ſi quibus appetentia

imp

impensius gliscit, quòd ventriculi calor ea quæ oblata fuerunt absumat, sed reliquum corpus non admodum nutriri postulat: his, nisi aliud quippiam obsliterit, ea quæ paucum præbent alimentum, & moram trahunt, sunt exhibenda. Adhæc expendere quoq; conuenit quomodo cui victus præscribitur, exercetur. nam qui pluribus ac vehemẽtioribus exercitationibus se obijciunt, ijs cibi quoq; valentioris materiæ sunt idonei magis, at qui vitam ignauã transigunt, ijs quæ parcè alunt satis esse videntur. Deniq; nec illud quidem est negligendum, an alvus promptè secedat, aut alioqui homo facilè in halitum dissipetur. etenim hæc quoq; vt efficaciores cibos exhibeamus, efficiunt. Porrò quemadmodum quantitas cibi qualitasq; in singulis corporibus quæ victu reguntur. ita & quando intempestiuum sit eum exhibere, obseruare oportet. nam vbi præcessit coctio, denuò prandere conceditur: at si quis in coctione contigit error, ne in cruditate cibum capiamus est cauendum. nam cùm paulatim ita crudi accumulẽtur succi, vt ij sursum deorsum've sua sponte erumpant, bona opus est fortuna, ravoq; id fieri solet: sed maxima ex parte euenit vt humores in ventre aut visceribus firmentur, & vertigines, & insuauitates, ac tortiones, & omne id quod cum de dignoscendis affe-

©BIUM

ctibus ageremus, propoſuimus, gignitur. Quòd ſi ad membra confluunt, eò facultate ceu propellente, affectus quos fluxiones faciunt, creantur: inter quos reponuntur podagræ, & arthritides, & quodcunq; ex eiuſmodi affectu conflari ſolet. Proinde eum qui victus rationi animum accurate aduertit, neq; ſemel, neq; bis nutriri ſimpliciter eſt permittendum: ſed coctione probè perfecta, ne ſi bis quidem nutriatur, noxa aliqua ſubſequetur: verùm periculum ei qui non rectè concoquit, impendet, vel ſi incautè ſemel nutriatur, hic leuibus puriſq; cibis potius, & ijs qui temperamento ac qualitati magis ſunt familiares vtatur. Nam ignorari non oportet, quòd cùm multi ſint cibi boni ſucci ac concoctu faciles, alij alijs ex quadam proprietate ſimiliaritateq; magis oblectantur. Proinde neque omnibus ijdem ſunt offerendi, vt ne tantillum quidem varient. nanq; appetentia nonnunquam adæquare ſolet eos qui paulum quippiam deficiunt, melioribus, quòd cum oblectamento excipiat. atq; id haud citra rationem euenire conſueuit. Attamen aliquando admodum conuenienti ratione, ijs quæ corpori familiaria ſunt nutriri cum delectatione licet: nam cùm varia in cibis reperiantur temperamenta, ea æquum eſt nos potius præferre, quæ cum qualitate, qua aut nos toti, aut ventriculus

triculus solus temperatur, consentiant. esi tamen quando, si ventriculo succus aliquis innatat, qui appetentiam naturalem decipiat, similia accidere soleant. quæ quomodo sint dignoscenda, iampridem ex nobis didicisti. nam hic solum nouisse decet, quo pacto & qui cibi sint eligendi, ac quo tempore exhibendi, veluti iam antea explicauimus. Cæterùm quia inter cibos, & præcipue quos ex fructibus æstiuis, ὀπώραις Græci nuncupant, atque oleribus sumimus, quædam existunt qualitates, quæ non parum nostras facultates commutare conspiciuntur: ne illæ quidem sunt per negligentiam contemptui habendæ. Atq; particulares vsus, ex libro de alimentorum facultate percipere potes. vniuersales verò rationes qualitatum quibus cibi insigniuntur, in libello de victu spiritus animalis exposuimus: vnde quæ ad præsentem commentationem faciunt, mutuare licet. Porrò fieri nequit vt omnes exquisitam sectentur victus rationem, sed quòd vel à sodalibus vis infratur, aut edulia quæpiam alliciant excitentq; appetentiam, aut fames maior inuitet, repente quibus non decuit, aut ijs quæ qualitate quantitateue, aut vtroque offendunt, repleri contingit: quare spectandum est, qua ratione succurrere possimus.

©BIUM

De victu in vomitu, & alui profluuio, ob nimiam repletionem. CAP. XIII.

TAq; ſi antegrediens aut alui profluuium, aut vomitus, id quod pondere ſuo infeſtabat, exonerauit, quieſcendum eſt, & nec ſtatim nutrire, nec quantum appetit dare, ſed conſuetum quoq; cibi ſumendi tempus vim ſibi inferentem traſmittere oportet, ac ſero tandem exiguum panis, vino tepido madentis aſſumere, atq; ita inſequenti quoq; die manere conuenit. deinde vires cibis boni ſucci concoctuq; facilibus, ſed multo infra commoderatam quantitatem, vſquequo iam confirmatæ, copioſiores facilè conficere ac euincere queant, refocillare oportet. Quòd ſi quemadmodum qui per decliuem locum decurrere volunt, nonnunquam loci ſitu primum mouentis impetum iuuante, inuiti excurrunt, ita aluus quoq; egerat, periculumq; immineat, ne ſpiritus vitalis vnà diſſipetur, iam vino vetuſto, ac conuenientibus antidotis facultatem recreantibus, & præcipuè Andromachi theriace, maiori cum diligentia eſt ſuccurrendum. Sunt præterea calida, ac ventriculi ventriq; robur iuuantia epithemata imponenda, veluti priuatim poſtea docebimus. Vbi malum mitius factum eſt, ſenſim facultas eſt reficiēda. Cæterum nonnullis cibi cruditas præbuit occaſionem vt

acriot

©BIUM

acrior quispiam impactus humor, anteaq; quiescens, commoueretur, commiscereturq; atq; hic quomodo victus institui debeat, obseruandum: nam alias, vbi in nutritionis vasis præcessit refrigeratio, candida & aquea secedunt, atq; æger fomentis quibusdam adhibitis, vires recepit: alias vsta & flaua ac mordentia egeruntur: quæ cùm conspicis, non est inconsideratius calefacientibus nec reprimentibus vtendum, sed si mediocria redduntur, naturæ administrationi acquiescere: sin iam plus iusto exit, ijs quæ nutritionis vasa astringunt, vires refocillare roborareq; oportet: in omnibus namque hæ semper conseruandæ sunt. Siquidem qui vacuantur, quidam maximos etiam motus facile sustinent, alijs vel ex leui motione periculum creatur, ne syncope corripiantur, præcipuè si anni tempus assentitur. Atque hac ratione ij qui antea quæ infestabant excreuerunt, sunt nutriendi.

De victu eorum Quibus stomachus pondere grauatur, aut mordetur. CAP. XIIII.

QVibus autem onerantia aut mordentia ventriculo inhærent, primum percunctandi quot, qualesq; fuerunt ingesti cibi, num copia an qualitate affligant, inquirendum est. Et si quidem quantitate potius nocere videntur, enitendum est, vt quæ recenter fuerunt

©BIUM

assumpta, vomitu denuò expellantur, maximè si dolore os ventriculi conflictetur: sed si à cibo satis multum temporis fuerit elapsum, clysteribus potius alvus iritanda est, & tepidis epithematis mitigandum: sin autem excedens quædam qualitas infestat, puta refrigeratio, & inde dolor excrucians, ex fungorum eo genere, quos κυαθίδας vocant Græci, aut lactucarum, & crustaceorum, testaceorumq; ac mollium nimio quorundam esu, vel calor, quod allium & cepe, salsamentaq; & id genus alia copiosius fuerint ingesta (id enim quibusdam usu venit) conandum vt ij quoq; illa euomãt, & inde contrarijs medicamentis est subueniendum, illis quidem vinis, usq; antidotis quæ ea discutere liquidò constat: his verò frigidæ potione, atq; alys edulys refrigerantibus. Est quando exiguus quispiam mordax humor ori ventriculo impactus, acerbissimos dolores ægro concitat, nec facile contrarijs remedijs cedit, quòd plerunq; cum humore crudo altius infixus, in ventriculi profundo hæreat. Huius præstantissimum est quod noui auxilium, quod ex seminibus quæ in halitum digerere attenuareq;, & ijs quæ sensum acriorem ac multum retundere possunt conficitur: pastillus nimirum, qui è seminibus vocatur, aliiq; complura quæ eadem compositionis ratione constant:

©BIUM

ſtant: quæ ſtomachicis colicisq; doloribus æquè opitulari videntur.

De victu eorum quibus viſcera, aut caput, vel pedes ex repletione onerantur. CAP. XV.

PORRÒ quia in repletionibus interdum vaſa grauantur, & extenduntur: interdum pondus ad pedes delabitur, nonnunquam ad caput prorumpit: & aliquibus ipſa quoq; viſcera infarcit, age de ijs etiam quæ conſentanea ſunt doceamus. Cùm ergo quod ſuperfluũ eſt ad pedes conuertitur, laſſitudines tendentes, & vlceroſæ ſtrontaneæ, quas ſane morbum denunciare ipſe teſtatur Hippocrates, oboriuntur, niſi ſcilicet accommodata victus ratione coerceantur. Tu verò cognita exuberantis humoris, tum quantitate, tum qualitate, cibo pauco, ac ſi expedit, ſanguinis vacuatione: adhæc concoctu facili boniq; ſucci alimento, ea quæ illabuntur, compeſce. quòd ſi calor quiſpiã ſubeſt, à vino calidioribusq; omnibus eſt abſtinendum. Vbi iã laſſitudo moleſtans leuata eſt, excrementitiusq; humor cõcoctus, æger in balneũ demittendus: quo ſi quid in cute reliquum eſt, tenuetur, & in halitum diffletur, ac leuius in poſterũ degat. Si verò ad caput excremẽti impetus ſe conuertit, non iam vt prior, ſed multò tenuius hic eſt nutriẽdus, aluusq; glãdibus & enematis molliẽda, ac niſi aliud quippiã impedierit

dierit, sanguinis quod satis fuerit detrahẽdum, nec prius quam symptomata plane sedentur, quicquam alere aut aliter mouere est tentandum, verùm in tenui victu ac quiete continere oportet. Vbi autem ab ijs quæ affligebant, liber euasit, tum minus calidis cibis est reficiendus. Iam verò si in viscera noxij humores illabuntur, de nutrimẽti quantitate est quippiam auferendum, & tenuantibus, incidentibus, & reserantibus est vtendum medicamẽtis, & alius elysmatis, & fæces deijcientibus ducenda. Hac quoque victus ratione alendi sunt, quibus ex plenitudine humores, alij alio oberrant: & contrarijs semper est certãdum, vbi ob contraria symptomata, in contraria inciderunt ægri.

De victu eorum quibus ex lassitudine, mœrore, sollicitudine, vacuatione, vt fit, vigilia exercitatione, aut alia de causa cutis exaruit. induruitq;. CAP. XVI.

QVi negotiorum vndis immersi, pluribus diebus parum cibi sumpserunt, aut inter exercendum nimium laborauerunt, adhæc qui vigilarunt, & venere abusi sunt, quibusq; vacuationibus plurimũ humiditatis exhaustum est, & qui quapiã ita cogente necessitate, plusquam par est sunt defatigati, atq; idcirco cutis caroq; obduruit, & squalet, quòd humor spiritusq; in halitum sit digestus: eos quieti & somno

somno tradere conuenit, & boni succi coctuq; promptis cibis, & vino quod non admodum caput feriat, nutrire. Post hæc viribus ita recreatis, membra exiccata balneis humectare decet: verùm ijs diutius non est immorandum, sed caput reliquumq; corpus leuiter est perfundendum, & inde in solium descendere, ac ita egredi oportet, frictionibus vnctionibusq; omissis, quòd plusculum humiditatis exhauriant. Atq; eo victus genere hi quoq; sunt regendi. Cæterùm quandoquidem quæ sit alimentorum balneorumq; facultas, & quid exercitia, ac venæ sectio, clysteresq; & purgationes pollent, nouisti: deinde corporis temperamenta, quamq; aëris qui pro tempore & loco immutatur, qualitas cum ijs habet familiaritatem & differentiam, scire potes: adhæc humorum coctiones & cruditates distinguere, vitaleq; robur & patientes locos dignoscere didicisti: iuxta rationes tibi explicatas vnicuiq; ægroto quæ necessaria sunt tribuere, ac grauissimas quasq; & nihil non periculosum minitantes ægritudines propulsare licebit. Atque hæc erit eorum qui nondum in febrem inciderunt, diæta. Verùm quia homines febriunt, nec vnum est febrium genus, neque eosdem omnes obtinent mores, nec ætas, anniq; tempus & locus omnibus est idem: hæc atq; eiusmodi prius

expendentem, victus quoq; rationem pro partione variare, magis minusq; refrigerantem nutrientemq; oportet. Quinetiam si quæ fuerit particula affecta, nec illam quidem, potissimùm si ob eius inflammationem, febris fuerit accensa, negligere oportet.

De ratione victus febrientium.

CAP. XVI.

QVoniam febrium aliæ sunt, vt diximus, diariæ, quæ ex mœrore, aut iracundia, vel cruditate, lassitudine ve, aut vigilia, vel alicuius partis inflammatione gignuntur: quædam verò in plures dies porriguntur, atq; earum nonnullæ sunt continuæ, & aliquæ intermittentes, & continuarum hæ ex sanguinis feruore copiaq;, quemadmodum continentes, quas συνόχους vocant, conflantur: aliæ ex eius reliquorumq; humorum putredine creantur, vt nonnullæ sunt quarum calor in habitum abiit: diarias sanè quæ vt longissimæ interdum quartum diem attingunt, ac magna ex parte eodem soluuntur, vbi primo atq; altero die iam declinare cœperunt, haudquaquam amplius suspectas habemus, sed hominem boni succi nec admodum crasso cibo nutritum ablegamus, ac caussa inspecta, ei aliquid quoq; medelæ adaptamus, quod cũ victu permiscemus. nã si ex refrigeratione, diaria originẽ sumpsit,

ægrum,

ægrum, vt par eſt, calidis fouemus: ſin ſolis ardor eam genuit, refrigeramus. quòd ſi cruditas peperit, cibo modico, eoq; ſtomacho aptiori ac concoctu faciliori vtimur. noxam item ex laſſitudine contractam, quiete, ac moderatis quibuſdam fomentis auerruncamus: eam verò quam vigilia creauit, ſomno ſedamus, at quam mœror excitauit, ſolando compeſcimus. ſic diarÿs quas inguinum tumores, βουβῶνας dicunt Græci, aut vulnera ictus ue commiſerunt ÿs quæ inflammationes leniunt, & medicamentis mitigandi vi præditis, ac dolorem ſedantibus eſt opitulandum. Verùm ne ignorata ciborum facultate, ÿs tempeſtiuè, & vt decet, vti non poßis, nunc paucis, prout maximè dabitur, eos potißimùm qui febricitantibus & à febribus iam liberatis conueniunt, proponã. Ac ſigillatim quenq; quo facultatem eius perſpectam habere poßis, explicabo. Atqui in quàm acutißimis ægritudinibus & principÿs vniuerſi morbi, ægrũ citra cibum potumq; prorſus continere ſtudemus: illic, ne naturam vt pote à maximis affectibus oppugnatã, duobus vacuare permittamus, & hîc, quia ab antea ingeſto vniuerſo cibo etiamnũ repletum ægrum denuò alio onerare inutile iudicamus: quod nõ genus cibi, ſed priuatio potiũ iure vocari poßit. Prima porrò cibi oblatio dicetur, ſiquis modicũ aquæ,

cui

cui saccharis quippiam admixtum fuerit, propinabit. eo nanq; loco antiquorum mulsæ, vt nostri vtimur, quòd non ita, vt hæc, conspicuo calefaciat. Post id tenuis cibus nuncupabitur, amygdalarum expressarum succus, & ptissanæ cremor, etsi quis malo punico, aut cotoneo, vel appio commanducato, succum tantum deglutierit. Inde sequuntur integri fructus æstiui deuorati, & hordeum decorticatum atq; accuratè excoctum, & ex oleribus portulaca & atriplex, etsi quod euidenter non excalfacit, & ciceris cocti cremor. His verò plenior cibus est, panis purus, & pisces saxatiles, atq; ex ijs magis qui duriori sunt carne. Post hos collocant pulli gallinacei & agni extrema. Cæteri cibi validi iam sunt, atq; exquisite sanis præcipuè accommodati. Porrò ex prædictis cibis vinum maximè calfacit, eoq; impensius, quo fuerit coloratius: nam quæ aquosa sunt, & parum dilui sustinent, (ὑγιγοφόρα nominant Græci,) sunt ignaua: quæ sanè cum eo quem postremo loco recensuimus, cibo æquiparari possint. Verùm quia ex enumeratis cibis, alij ad succi bonitatem magis, alij minus declinare videntur: morbi corporaq; erunt spectanda. nam si copiosiorem adesse cacochymiam significabunt, probioris succi alimentis erunt reficienda: sin morbus qualitate calidus magis erit, reliqui cibi

sunt

sunt præponẽdi. Sed enim quoniam explicatæ sunt alimentorum facultates, quot qualesq; ægris satis esse censentur: ea etiamnũ, quæ quibus morbis magis congruere putantur, sunt subdiuidenda. Quare vbi quæ morbis supersunt, vires exposuerimus de accommodato eorum singulis cibo loquemur: vt in vnoquoq; ea quæ debent exequi, valeas.

De victu febrium continuarum.

CAPVT XVIII.

ITaq; ij qui febre continua corripiuntur, alij morbis qui acutißimè mouentur, conflictantur, alij ijs qui tardiori motu cientur, ac in plures dies protenduntur. Qui acuti admodum sunt, ad quartum vsq; pertingunt, qualis est angina, & pulmonis inflammatio, quam περιπνευμονίαν appellant, ac febres vehementes, quos in inedia potius tenere oportet aut modicum tantum aquæ concedere. Qui minus sunt acuti, vsq; ad septimum perueniunt, cuiusmodi sunt febres ardentes, & pleuritis acutior. in quibus hordei decorticati coctiq; et amygdalarum cremorem ægros assumere permittere licet. Simpliciter acuti dicuntur, qui decimumquartum diem attingũt, quos ijsdem etiam nutrire oportet. & si vltra progrediuntur, poterit aliquid ex ijs qui ordine succedunt exhiberi. Attamen qui ad vigesimum aut vi-

geſimumſeptimum accedunt, ita minimè cibabimus, ſed cibos poſt illos facultate valẽtiores, præbebimus In omnibus enim virium modus, & noxij humoris copia inſpicienda primùm eſt, et coctionis ſigna, ac morbi acumen, vt addentibus vel dementibus nobis victus illis proportione reſpondeat. nã ſi acute mouetur morbus, coctioq; apparet, & vires ſic ſatis valide, vt ſpes ſit ilico ſolutum iri, æger pleniori cibo non eſt onerandus, verùm modicè ac pro portione roboris morbi nutrientem, futurum iudicium operiri oportet. quod vbi aduenit, ac fidè, & vt decet iudicauit, iam vires ſunt reficiendæ, ad validiores cibos paulatim tranſeuntibus, non autẽ cueſligio, ne ijs ægrum aggrauans, alterius morbi auctor euadas. Sin autem ægritudo tardè mouetur, necdum coctionis indicia exiſtunt, neque magnopere cum tenui victu vſq; ad perfectum iudicium ſufficere poſſe conſtat, paulo valentiori cibo viribus eſt ſuccurrendum, ſiquidem in morbis omnibus in quibus vires dominantur, quæ praua malignaq; ſunt euincere haud ſolent. Porrò iamdudum didiciſti, quomodo virium menſura explo ratur, & humorum coctiones cognoſcũtur, & morbi motiones diſcernuntur: quare tibi cum hæc omnia edocto, ſeduloq; præmeditanti, proportione ciborum familiarium genera illis reſpond

ſpondentia erunt præſcribenda. Atq; hac ratione victus eſt imperandus, niſi recēs aliquod infeſtās ſymptoma obſtiterit. nam ſi quoddam repentinum alui profluuium, aut ſanguinis fluxus, vel perpetuus ſudor vires defatigauerit, ut periculum ſit ne iam æger in ſyncopen labetur, eum pro ſymptomatis portione reficere oportet. & ſi pulſus fuerit exiguus aut ablatus, aut æger etiam refrixerit, vinum ac reliqua calida ſunt exhibenda: quippe hæc ſymptomata, totū victus modum ad ſe trahunt. Porrò acceſſionum ſignificationes ſi apparuerint, hic non ſecus quàm in intermittētibus, obſeruare decet: adhæc iudicia, ſi qua fere ſuſpicamur, animaduertenda ſunt, nec quicquam dandum: ſed vires, decertantes iam, ac ceu excitatas opem aliquam ægro ferre nitētes, ab omni externo pondere liberas, ſine re oportet. vbi iam eius tēpus conſpicuò præterijt, eas defeſſas recreare conuenit, ita tamen vt neq; alimentorum vim, nec quantitatem antè perfectum iudicium augeamus. quod vbi adeſt manifeſtum, intrepide iam nutrire poſſumus. Verùm vbi morbus citra rationem leuatur, neque inconſiderate alere, nec ita vt antea tenuiter victum inſtituere: ſed nonnihil cibi quantitati adijcere, ac vires reuocantem reficiendémque, morbi recidiuam expectare decet: vtique ſi antea neque va-

©BIUM

cuatione fueris opitulatus, nec validum satis victum præbueris. nam si prius liberalius nutriueris, ac si opus fuit, purgaſti: fortaſſis ab altera morbi inuaſione liberaueris. Nam quemadmodum ex ingenti ſuccenſo igne, vbi flãma emarcuit, ac contabuit, quædam in cinere ſcintillæ relinquuntur, quæ ſi denuò nutrimentum nactæ fuerint, magnum rurſus excitant incendium: verùm ſi quis eas arte exemerit, is quominus ſecundò accendatur, impedit: ita ſanè ijs quoq; qui nõ ex ratione iudicantur vſu venit. Nec ignorari oportet, quando, & quibus cibis ſit vtendum. quinetiam dies quibus morbus exacerbatur, hîc cauere oportet, ne aduentante ſignificationum tempore, cibus aliquis in ventriculo reperiatur. ita nanq; morbus viget magis, ac malignior euadit. Adhæc vena tunden da eſt, ſanguiſq; quando, & quãtum, & vnde oportet, ceu iam anteà docuimus, pro plenitudinis portione, ac febris modo, eſt extrahẽdus. Præterea aluus anteà enematis injectis abluenda eſt. expedit enim in omnibus febribus vt aluus ſecedat maximè, niſi æger puris aliquid eduxerit, velut in pleuritide ac peripneumonia & tabe contingit. tunc etenim non eſt laudabile, vt pluſculum egerat. nam eo deterius iſthuc cẽſetur, quo plus excreuerit, veluti priuatim capite de lateris inflammatione dicemus.

mus. Insuper refrigerantibus potionibus æstus magnitudo minuenda est, cuiusmodi sunt, quæ ex violis, ex floribus nymphæa parantur, præcipuè si calor caput obsidet, ægerq; insomnis degat. sic si in ore ventriculi, aut visceribus cæteris, mordicacior quispiam humor obfirmatus hæret, quæ ex aceto & sacchare, quæ item ex acidorum malorum punicorum succo potio conficitur, est accommodata. Atque alia alijs magis conueniunt, quemadmodum de ijs sigillatim posteà agemus. Cæterùm ei qui ciborum facultates nouit, & morborum discrimina dignoscit, esse obscurum nequit, qui quibus congruant. Oportet tamen febrientibus semper exhibere, quæ refrigerãdo pro portione respondent, neq; minus, inutile est enim, neque plus quàm par est refrigerare, nocet etenim: sed in animo habere, num os ventriculi promptè à frigidis, nerui've, aut alia quæpiam pars læda tur. quinetiam, num thorax aduentitij cuiuspiam humoris pondere oneretur, & an pus sanguinémve æger reijciat. tunc enim frigida sunt fugienda, & maximè, quæ tactu talia persentiuntur. Nam verisimile est, quoddam quod potentia sit frigidum, etiam febris magnitudini posse auxiliari, præcipuè nisi manifesta quæpiam offendens qualitas fuerit coniuncta. Quod tactu egelidum sentitur, ijs partibus quæ

Actuarii Joannis filii Zachariae operum - page 229 sur 731

©BIUM

frigidis non indigent, quodammodo innoxium nec molestiam inferre videri possit. Cæterùm, quia solo decocti hordei cremore par est ægros minimè acquiescere, sed nimio febris incendio ardentes, aliis quoq; refrigerantibus quibusdam indigere: dãda est, nisi aliqua, vt dictum fuit, caussa præpedierit, etsi anni tempus largietur, lactuca, & potissimum si squalidi vigilesq; fuerint. præterea crudi cucumeres sunt cõcedendi, atq; ex ijs magis qui teneri sunt & copioso semine abundant. nã exterior pars quæ asperiuscula est, crudum succum gignit. quinetiam punica dulcia acidis admista, nisi aliud obstiterit, ac mala dulcia & vuas exhibebimus, quæ vinosa non sunt. his enim vtimur, cũ temporis spatio multã suam humiditatẽ exuerint, ac calor earum nimius in halitum abierit. Intubum quoq; domesticum, (quod ὄξυπον Græcis dicitur,) si quod aliud, vtiq; in calidioribus iocinoris affectibus idoneũ est: cùm alioqui id olus sit stomacho gratum. nonnulli vel solius succi eius vsu plus profuerunt: quod refrigerando ac meatus infarctu liberando satis sit. Verumenimuero non omnia omnibus sunt exhibenda, sed qui alui profluuio tentantur, et os ventriculi imbecillum est, assiduèq; vomũt, danda quæ nonnihil astringunt. At ea quibus aluus est astricta, & aliquid, quodcunq; tandem

dem illud ſit, è thorace educunt, vitanda ſunt: & ijs dulciuſcula potius conueniunt, quòd lenitorem quendam obtineãt. Acida verò quibus impacti ſunt humores, ceu incidendi vim habentia, ſunt præbenda: vt & ijs quibus aluus ſupprimitur, modò natura ſunt biliosi. nam in ijs qui non ſunt eiuſmodi, ea ſupprimendi vim habere videntur. Atq; hac ratione qui continua febri conflictantur, ſunt nutriendi: ſecus verò quibus febris intermittit. quoniam neq; eodem modo incendit, neq; intermittentes ſibi mutuo ſunt ſimiles.

De victu febrium intermittentium, & primum de tertiana. CAP. XIX.

TErtianæ itaq;, ſiue ſimplex, ſiue duplex fuerit, cùm vehementer mouetur, ægriq; vires robuſtæ ſunt, ptiſſanæ cremor pro victu conuenit: potiſſimum ſi copioſæ in acceſſionibus euacuationes vires non exoluerint, vt idcirco cibo opus ſit valentiori. Verùm ſi mediocri motu cietur, atq; ad decimumquartum duratura putatur, oleribus & ſaxatilibus piſcibus eſt vtendum: ijs præcipuè diebus, quibus febris intermittit. Aluus quoq; ſi ſua ſponte non ſecedit, clyſmatis eſt excitanda, & niſi quid impedierit, ſanguis eſt detrahendus. etenim in omnibus propemodum febribus ſanguinẽ mittere, niſi adſit quod interpellet, præſtat. nam

Actuarii Joannis filii Zachariae operum - page 231 sur 731

©BIUM

cùm is poſt ſpiritum primũ feruorem excipiat, & totum corpus afficiat, ſi eius quippiam effluxerit, multum caloris vnà detrahitur. Et quanquam à flaua nonnũquam bile febris per totũ corpus diducitur: attamen hic, quippe qui promptè ſuccenditur, ei materiã ſubminiſtrat: ac cùm vniuerſum permeet corpus, vniuerſum quoq; calfacit. quare ſi quid eius euacuatur, multa quoq; febris portio vnà diſſlatur. nam ſi ex latentibus & materiæ expertibus perſpirationibus febrientes opem ſentire eſt perſuaſum, febrẽq; aſtricta ac denſata cute vehementius accendi conſtat: an non, quæſo, multo melius ægri degent, ſi humoris qui eam in vniuerſum corpus diſtribuit, ſenſibilis fiet euacuatio? Quare cùm neq; ætas, nec anni tempus, neque alia quæpiam obſtat vacuatio, nec mulier vterum geſtat, in omnibus febribus cũ vires patiuntur, ad venæ ſectionem eſt profugiendũ: ac bis tẽrve pro febris magnitudine ſanguis detrahendus, atq; interdum, cùm multus ardensq; ſanguis ægrum aggrauat, ad animi vſq; deliquium vacuandus: adeo febrientibus vtilis eſt ſanguinis miſſio. Cæterùm nec aluus quidẽ eſt negligenda, ſed glandibus clyſteribusq; eſt iritanda, atq; eius cura habenda ne ſupprimatur. febre iam leuiori facta, modicè quoq; purgantibus refrigerantia ac humectantia medi-

camenta permiſcentem, quo purgantia quæ magna ex parte calida ſunt, & turbandi vim obtinent, minus offendant, vacuare oportet. Ea tamen in morborũ incrementis fugienda ſunt, & maximè ſi materia ſurſum vergit, & cruditas adeſſe videtur. Quòd ſi materia turget, ea, habita prius ægri virium ratione, eſt vacuanda. Porrò altera poſt eam quæ de purgantibus pertractat, methodus eſt, diæta, quæ medicamentis contemperantibus vtitur. nam in quibus ob aliquem interturbantẽ ſcopum confertas vacuationes moliri formidamus, ijs temperantia medicamenta ſufficimus, partim coquentes, partim refrigerantes, aut detergentes, vel exobſtruentes, vel omnia ſimul iuxta humores ægrum lædentes, ceu priuatim poſt explicabitur molientes. Itaq; tertiana ſimplex & duplex, eo quo dictum fuit modo, eſt curanda. Si verò non ſecundum rationem ſoluitur, aut decimumquartum diem trãſit, atq; ita in eam abeat, quæ ſpuria nuncupatur, hæc quoq; purgantibus eſt, tenuatis prius humoribus, & meatibus obſtructione vindicatis, confodienda ac perimenda. Victusq; eò ſpectet, vt ſit boni ſucci, & ſubfrigidus. nam quæ impensè frigida ſunt, materiam cogere, ac meatus fere obſtruere ſolent: & calida, eum qui antea delitescebat, calorem excitant ac euocant. Atque

©BIUM

hoc propè pacto, victus ratio & curatio in tertiana exquisita & spuria se habet.

De cura quotidianæ & quartanæ.

CAPVT XX.

QVotidianam, quæ à pituita ortum duxit, neq; venæ sectione, nisi aliud vrget, nec refrigerantibus medicamentis compescere oportet: sed aluum astrictam glandibus & clysmatis manire præstat. Victus boni succi nec crassum æger sumat. Permiscenda autem cibo sunt, quæ incidere, tenuare, & meatus obstructionibus asserere possunt, non tamen admodum calida esse creduntur. Vino potandus est tenuiori, & pauciffro, in morbi quidem principio: at vbi iam tenuior humor dissipatus est, etiam ruffiore, ac, si licet, tota victus ratio in calidiorem migret. Tunc pastillis quoque, qui amarus nuncupatur, vsus probatur, & si quid aliud hic opem ferre censetur. sed de ijs priuatim suo loco dicetur. siquidē medicamenta methodis admiscere, nec ea ceu exempli loco inserere, eorum est qui nullum in tractando ordinē obseruant. Porrò eodem victu quartana laborantes sunt continendi, nisi quòd humor qui hic infestat, crassior sit ac terrestrior, atq; hic idcirco callidioribus quodam modo ac incidentibus magis opus habeat: cuiusmodi sunt, quæ ex reliquis acribus conficiuntur. Cæterùm in

Actuarii Joannis filii Zachariae operum - page 234 sur 731

©BIUM

omnibus acceſsionum ſignificationibus ne aliquis in ventriculo ſit cibus, qui mali pondus ingeminet, ſtudendum eſt. nam cùm natura, tempore acceſsionis, ad propellendum ea quæ affligunt exurgat, ſi quis intempeſtiuè nutriēs illi obſtiterit, dubio procul quo minus validè noxios humores adoriatur, præpedit. Verùm quia humorum ſpecies quæ variarum acceſsionum ſunt cauſſæ, ac ciborum medicamentorumq;, & reliquorum quæ ad diætam pertinent, diſcrimina, prout alia antè explicata fuerunt, & alia poſtea docebuntur, non ignoras: iam ægri vires, & anni temporis dominium, adhæc locum, ætatem, & conſuetudinem inſpicere: atq; ita ex omnibus commoderatam atq; in eadem ægritudinis ſerie collocatā cibi quantitatem qualitatemq; colligere & coniecturæ oportet. Nanq; ipſam perquam exquiſitam diſtinctamq; rationem in corporibus quæ ita temerè mouentur, haud quiſquam vnquam, (quòd ſenſum noſtrum, artemq; ea lateat,) aſſequatur. Atqui ad id quod fieri debet quàm proximè accedere, eorum eſt, qui omnia accuratè ac diligenter expendunt. Porrò ex iam dictis, in cōplicatis quoq; intermittentibus febribus medicamenta, cibum, & reliquā vniuerſam diætam coniectura conſequi, eaq; pro portione inter ſe cōmiſcere licet. nam qui literarū

ſyllab

©BIUM

syllabas probè colligere didicit, is & versus totos, et integras paginas perlegere valet. Quare in simplicioribus & facilibus exerceri primum oportet, deinde ad complicata properare.

De febre hectica. CAP. XXI.

IAm ordine eæ febriũ species succedunt, quæ hectice sunt, quas, quòd solidas partes attigerunt, omnemq; vitalem humorem epotarunt, ac in marcorem coniecerunt, haud facile est curare. attamen præuenientem antè quàm solida occupent, subuenire conãdum est. Itaq; eiusmodi ægri perquam tenui victus ratione, quomodo eos qui continua febre conflictabantur, habebamus, non sunt curandi, quoniam nullum hic iudicium expectatur, neque putrium humorum materia subest, sed nec pleno quidem victu opus est, quòd is concoqui nequit, atq; insuper febris inde increscat. Quare medius, ceu optimus est præferendus, qui modicè refrigeret, cibusq; boni succi ac concoctu facilis dandus, cuiusmodi sunt pisces qui in saxis stabulantur, puta galei, & globi, & id genus alij, quiq; ex minoribus duriori sunt carne, quales sunt scorpij, phiomelæ: aut friabili, quali mullus cõstare videtur. Ex carnib⁹ verò domesticarum gallinarum pulli, & quadrupedum pedunculi. Quòd si vires conuellantur, vinum quoq; tenue, album, & quod parum

dilui

dilui postulat, est exhibẽdum. Cæterũ familiaria ac accommodata ijs potio fuerit, quæ ex fructibus æstiuis, & floribus refrigerantibus cum sacchare paratur, quemadmodum libro de medicamentorum compositione docebimus. Balnea porrò ijs sunt idonea, quæ corporis squalorem humectent: verùm tepida esse decet, nec vllam recipere qualitatem. Nec tempus in ijs trahere conuenit, sed vbi modicè fuerint immorati egredi, ne quod ex natiuo humore superest euanescat & exhalet: egresso sorbitio quæpiam refrigerans dabitur. Non est vestium copia excalfaciendus æger, ne copiosius diffletur. Posthæc conuenienti cibo reficiendus. Quòd si soliũ exeuntẽ, melino, aut rosaceo, aut omphacino saltem oleo inunxeris, & meatus præcludes, & ne maior fiat diffiatio, prohibebis, ac anteà ex irrigatione inductam humiditatem, intrò compesces, atq; hoc quoq; pacto opem homini tulisse videberis. Somnus conciliandus est à cibo, ac quærenda animi oblectamenta & relaxationes, ac quodcunq; tandem cum refrigeratione humectare putatur. Deniq; hecticas refrigerationes, quæ & ipsæ plerunq; non carent siccitate, & veluti ex morbo senium esse videntur, contrarijs curare oportet, calfacientia & humectantia dantes, idq; boni succi & coctu facilibus cibis, exercitationibus mediocribus

cribus & vinis odoratis, ac subsuluis, atque in summa omnibus calefacientibus, sed non exiccantibus procurantes. Atq; vt vno verbo complectar, in omni habitu affectioneq; morboſa, contrarijs est pugnandum, hoc interim examinantibus, qua proportione ac interuallo, corpora quæ nutriuntur, quæq; offeruntur medicamenta, à commoderata temperie abscedunt. Habes & qua victus norma fabricitantes corriguntur. Et quoniam victus qui affectui totum corpus occupanti cõpetit, explicatus est: superest iam, vt ea quæ sigillatim in affectibus, tam internis quàm externis, accommodantur, in sequentibus proponamus. Quare cum liber suam habeat magnitudinis molem, hic iam claudatur.

*

ACTVARII ZACHARIAE DE AFFECTIbus qui singulis partibus incidunt, medendi ratione, Liber IIII.

*

Præfatio.

TEstudinis caro, vt est in prouerbio, aut deuoranda est, aut non gustanda. Equidem nonnihil prouerbium intorquens, dixerim, varijs multiplicibúsque pollicitationibus aut non esse admouendas manus, aut si manus admoliaris, eas necessario quoq; esse absoluendas. nam neq; vrbs, nisi vndiquaq; probè mœnibus fuerit munita, ciues qui se illius custodiæ commiserunt, tutari poterit: neq; artis aut scientiæ, quæcunq; illa fuerit, methodus, lectorem sua præcepta omni ex parte edocebit, nisi omnem eius diuisionẽ percurrerit. Quare quoniam artis medicæ propositam methodum, nondum quanuis tribus iam confectis libris, vniuersam sumus coplexi, idq; concisè eius documentis, atq; ita vt imperitioribus haudquaquam competant, explicatis: in

pra

©BIUM

præsentia quartum præcitis annectimus, quo hoc totum instituti argumentum comprehendamus. Atq; duobus primis libris de caussis ac dignotione affectuum, tum vniuersi corporis, tum singularum eius partium egimus: insequẽti vero, qui totius tractationis fuit tertius rationem curandi morbos in toto corpore oborientes & potissimum omnem febris speciem, exposuimus: nunc propositum est à capite, tanquam ab arce exorsos, ad omnes affectus quibus singulæ corporis partes, tam internæ quàm externæ tentantur, sigillatim progredi, ac conuenientes & methodicas, vnicuiq; curationes proponere. Attamen haudquaquam vniuersa medicamentorum accõmodata compositio hîc edetur, quòd ita necesse esset orationis mediocritatem transilire. Deniq; ijs qui in hunc librum incident, quòd satis sit in methodis occasiones componendi præbuisse, superuacaneum esse videbatur, omnia quæ opem ferre possunt medicamenta, in vnum libellum congerere. Quapropter sigillatim potius de simplicium mistorumq; medicaminum compositione conscribẽdum esse duximus, ac qua ratione ea dijudicare oporteat, & quibus & quæ oblata sedulò prodesse censentur, indicandum. non enim omnia quæ ijsdem affectibus auxilium fronte pollicẽtur, ex æquo cõducunt. satis enim

superq;

superq; est, si non obsunt. Quod usu venire videtur, tum ob egrorum sensus acrimoniam aut difficultatem, tum variam eorum temperiem, tum vim medicamentorum vegetam aut vietam ac caducam, eorumdem ve quantitatem, aut anni tempus, aut cõsuetudinem, atq; ipsorum deniq; affectionem ac dispositionem. Hæc nanq; atque eiusmodi alia, haud mediocriter in suis promissis medicamenta vacillare variareq; efficiunt. Attamen qui iuxta propositas methodos, omnia discernere accurarè didicerit, is quæ quibus anteferenda quoq; sint nouerit. Itaq; iam medicamentorum rationes, quæ vnaquæq; curatio postulat, trademus: posteà eadem denuò singulatim explicaturi. Cæterùm quia vitia quæ intus consistunt, vehementius affligere solent, eaq; impensius medicamentorum desiderant præsidia, antea de internis quibus caput cæteraq; viscera tentantur, agendum est: deinde ad ea quæ in externa cutis superficie hærent, transeundum.

De capitis dolore. CAP. I.

ITaque caput, aut primario affectu cerebrum cerebróve propinquas partes, puta tunicas & membranas, quas μήνιγγας appellant, aut aliam quampiam eiusmodi obsidente, laborat: vel intemperie aliqua, aut exuberante humore infestatur. Si simplex qua-

Actuarii Joannis filii Zachariae operum - page 241 sur 731

litas affligit, consentientia symptomata illam patefacient, sin est composita, hæc quoq; componentur. Atq; cũ calor interturbat, sensus eum iudicabit: quòd caput haudquaquam multa indumenta ferat: contrà quàm accidit si frigus nocuit. atq; illi à quouis interno externóve calore offenduntur ac exacerbãtur: hi verò quibus caput perfixit, inde iuuantur. Porrò siccitatis symptoma, est vigilia, & si dormire cupierint, vigilant, ut quibus somnus non accedit: humiditatis autem, somni soporosi quiq; haud facilè excutiuntur. Quòd si consimiles aliqui humores negocium faceſſunt, calidi excedentes quidem, inflammationem, ignemq; sacrum gignunt: mediocres verò pondus, acutosq; dolores procreant, & faciem rubore, & oculos pallore cruore ve, pro vigentis scilicet humoris colore suffundunt. Frigidi porrò onus potius quàm dolores conciliant, ac facie turgidulos & ex pallido albicantes efficiunt, potissimùm si humiditas fuerit coniuncta. Quòd si sicci fuerint, facies squalet, & vigilia, ac iumultuosæ quædam imaginationes, non sine animi deiectione vrgẽt: præcipuè si humor fuerit melancholicus. cui si flaua bilis connectitur, amaritudine aut fœditate non carebit. Atq; hac ratione, ceu anteà docuimus, affectus qui ex intẽperie aliqua aut consimili humore quopiam

conflantur, dignoſces. Et quoniam ſuprà ſatis eam rem explicauimus, nunc quomodo curationem obire decet, dicetur: ſi hoc prius fueris præmonitus, conſimilibus vitijs ob conſenſum & conſortium cum ore ventriculi, reliquiſq; viſceribus cerebrum tentari, quod ſimilium humorum indidem impactorum exhalationes excipiat. Proinde primùm anni tempus, regio, ægri ætas, victus item, conſuetudo, & quæ ſunt propinquiora, ipſa nimirum comitantia ſymptomata, atq; excretiones ſunt expẽdendæ. deinde ita ex omnibus præpollentem intemperiem ſi ea ſola infeſtat, ac humorem vigentem, ſicubi is dominari videbitur, ratiocinatione colligere. Demum affectus probè, vt nihil iam hæſites, cognito, eius curationem aggredi, & contrarijs dominantem humorem compeſcere oportet. Itaq; ſi nuda eſt intemperies quæ maleſtat, mediocria quoq; auxilia adhibentur. nam ſi calor eſt, cibus refrigerans, & aquæ potio, & roſaceum violaceum ve oleum foris illitum prodeſt, niſi anni tempus, aut aliud quippiam hunc ſcopum interuerterit. noſtri porrò refrigerantem cibum euincenti calori pro portione adaptare, vt eorum diferimina diſtinguere, ac ſua quenq; menſura metiri poſſis. Sin frigus affligit intrò, niſi quid obſtiterit, calidiores cibi exhibẽdi, quibus piper, cinnamomum,

Actuarii Joannis filii Zachariae operum - page 243 sur 731

Zinziber, & ſi quod eſt aliud quod calfacere putatur, fuerit admixtum. & odoratis magis ac vinis fuluis, ſi nihil præpedit, eſt vtendum. foris autem ea quæ refrigerationi excedenti pro portione ſatisfaciant, ſunt inungenda. & ſiquidē mediocris fuerit, chamæmelino & anethino ad caput vtendum eſt. ſin eſt intenſior, euphorbij & caſtorij aliquid, niſi quid eorum vſum excluſerit, admiſcebitur. etenim interdū cùm aliæ partes alijs indigeant, ob ſuam quam nactæ ſunt intemperiem, fit vt aliæ quæpiam obſtent, quæ ob ſuas curationem exigentibus aduerſantes intemperies, ab eiuſmodi medicamentis axagitantur. ſiquidem nōnulli, quibus frigidum eſt caput, calidum ſortiti ſunt iecur: alij contra. Ac quidam ob iocinoris intemperiem frigido egentes, eius vſu, quòd os ventris frigida laboret intemperie, offendūtur. Quare in eiuſmodi maximopere eſt animaduertendum, ne dum alteri ſuccurrimus, reliquæ noxam creemus: atq; imperitioribus ponderum præfectis ſimiles eſſe videamur, qui cùm inconſideratè ea lancibus imponūt, hæ modò in hoc, modò in illud latus propendent ac commutāt. Quam ob rem cauere oportet, vt commoderatiorem aſſiduè obſeruemus, & reliquorū membrorum offenſam deuitemus. Adhæc, externis inunxionibus ac epithematis, ob partes quaſpiam

©BIUM

piam renitentes, ſecurius ſuccurrimus. Quòd ſi offendit ſiccitas humectans cibus accõmodatus eſt, & caput egelida potabili aqua fouendum, ac pinguedine oleoq; ſalis experte inungendum, & ſomnus quiesq; concilianda. Sin humida intemperies dominari videtur, contrarijs pugnandum eſt. Atq; ea ratione his intemperiebus medeberis: ac conſimili, reliquis membris opem feres, ſemper cõtrarijs cõtraria exhibens. attamen nõ eueſtigio ſemper & repentè, ſed ex additamento ſenſim creſcente, & paulatim: ne quando partẽ prius cogas ac condẽſes, atq; inde alterius noxæ auctor fias. Quòd ſi interdũ ea quæ rectè dijudicaſti, auxilijs nõ promptè cedunt, non idcirco ad alia prioribus reiectis eſt tranſeundum, ſed ijſdem & adſimilibus tum victui, tum medicamentis eſt inſiſtendum, tanquam per ea curationem ſis conſecuturus. Atq; ita capitis ex intemperie vitia emendabis.

De reliquis cerebri & neruorum affectibus. CAPVT II.

PRorrò inflammationes, ignes ſacri, ſiderationes, & phrenitides, quæ ob calidiores eo confluentes humores oboriuntur, maiora auxilia exigunt, quippè quæ extremum minitantur periculum. Aut ergo ea bilis flaua ſyncera, aut ſanguis nimius & perquàm effer

Actuarii Joannis filii Zachariae operum - page 245 sur 731

©BIUM

neſcens, aut vtrunq; excitauit. Atq; exuberantes humores quot qualesq; natura ſint, & qui quos morbos procreent, ex ijs quæ iam duobus primis libris expoſuimus ſcire potes: quare nunc de eorum victu, ac curandi ratione eſt tractandũ. Omnes igitur qui eiuſmodi malis conflictantur, inſtar eorum qui exquiſitè febriunt, tenui victu ſunt gubernandi. Didiciſti autem ex ſuperiori libro, quis victus febricitantibus cõueniat, vt eadem in præſentia non ſint repetenda. Cæterùm ſi plenitudo adeſſe videbitur, viresq; ægri valent, abluta nimirum inſuſis aluo, ſi non facilè ſecedit ſanguini quod ſatis eſt demendum, idq; è pedibus potiſſimùm, quo materia reuellatur. Quòd ſi vires è longinquo auxilia ſuſtinere nequeunt, venæ in cubito quæ peculiari quadã ratione ſubueniunt, erunt tundendæ, vt ſatis eat ſanguinis. At ſi confertas vacuationes æger non ferat, bis terq; & ſæpius idipſum tentantes ſi commodum videbitur detrahere oportet. quo id quod offendit, ſimul & onerat, continuis vacuationibus educatur, & vires earum interpolatione reficiantur. Quin nec ex auribus, aut nare, ac fronte, maximè ſi in occipite onus premit, & etiamnum, antea reuulſa vel deriuata infeſtante materia, offenſa remanet, educere verendum eſt. Cæterùm vbi ea ſatis vacuata

eſſe

esse videbitur, iam refrigerantes humectátesq; inunctiones capiti adhibeto, quale est ὀξυρόδινον, quod aceto & rosaceo constat. commiscetur enim rosaceo acetum, quòd sit refrigerans ac tenuium partium medicamentum, & facilè penetrans, ac quasi deducens, si quæ illi crassarum partiũ, atq; ob id sola, sua natura haud promptè permeantia, fuerint admixta. Tu porrò cui alia refrigerantia medicamenta sunt perspecta, facilè eiusmodi quosdam illitus compones. Cæterùm non solùm ex comitantibus symptomatis, qualis quantaq; sit caput torquens caliditas: verùm etiam propria eius naturalis temperies, atq; ad patiendum habilitas est consideranda. Anni item tempus, regionem, & ætatem, velut antea docuimus, inspicere oportet, atq; ita demum medicamẽta commiscere, potionesq; reperire ac componere, quæ refrigerent, & propè in corpus distribuantur, qualis est quæ ex nymphæa paratur. Atqui vbi symptomata assidentia se remiserunt, bono animo esse oportet: ac febre iam finiente, ægrum conuenienti victu reficere: verùm vino plus cæteris est abstinendum, quòd facile caput petat, ac promptè, si quid vitij adhuc reliquum est, accendat. Si malum eiusmodi medendi ratione non lenatur, necesse est vt deteriora insequantur, quorum discrimina cùm iamdudum

Actuarii Joannis filii Zachariae operum - page 247 sur 731

didiceris, non eſt opus ea hîc denuò repetere, atq; inde futurum ægro euentum poteris præſagire. Quòd ſi capitis temperamentum eſt frigidius, illa ſymptomata ſequuntur quæ iam antea tradidimus, victusq; ratio calfaciens illi competit, per ea quæ adhibentur calida, tum cibos, tum medicamenta, necnon inunctiones fieri tales dandæ cum oleo, cui pyrethrum, aut caſtorium, vel euphorbium, aut eiuſmodi aliquid quod ſatis calfacere conſtat, ſit admixtum: quod verò cõtraria ſint vitanda, id nemini non liquet. Atq; humiditates hæc quoq; exiccare conſueuerunt: fortaſſis quòd ipſorum plurimis ſiccis quoq; eſſe contigit. Sic paucus potus, vigilia, & maiores exercitationes idem præſtant. Quemadmodum cerebri ſqualores, frigidæ fotus, & requies, ac ſomnus longior & vinum quod caput non admodum tentat, ac demum omnis humidior victus, humectat. Si frigida cum humiditate capiti negocium faceſſunt, cùm mediocria, ac quadantenus edomita ſunt, raucedo, grauedoq; oboritur, ſimul atque iam noxius humor effluere incipit: caput verò põdere vrgetur, & ſonitus perſtreperi ac ſonori infeſtant, frons & cerebri membranæ cum dolore diſtenduntur, quandiu humor non euacuatur. Hos parciori cibo & victu ad moderate calidum ſiccumq; declinante curabis: ac medi-

camentis

camentis quæ in nares inijciuntur, muccos in meatibus qui à colando κὸμοειδῆς Græcis, & noſtris colatorij vocantur, impactos educes. Sunt autem eiuſmodi mediocria quæ ex melle & betæ ſucco, atq; id genus alijs conficiuntur. vehementiora verò quæ piper, euphorbium, veratrum album, cucumeris agreſtis ſuccum, atq; id genus alia quæ inhærentes humores explodere queunt, recipiũt. Verùm horum quoq; compoſitio priuatim tradetur. Cæterùm ſi humores prædicti ita cerebrum obſederint, vt carus, ſopor, veternus, & morbus comitialis prehendat, validioribus iam auxilijs, maioriq; cura opus habẽt. Quare vniuerſus in cibo victus calidior ſit, niſi quæpiam ex humorum putredine lenta ſegnisq; febricula coniungatur, parũ cibi ſumere, eumq; probè concoquere expedit. Quinetiã enemate aluus bis térue eluenda eſt, quo facile eat, nihilq; inhæreat quod ad caput euaporans, malum augeat. Poſt hæc ſi quæpiam acceſſit febris, & anni tempus, ætasq; permittit, nec aliud quippiam diſſuadet, exiguum etiam ſanguinis eſt detrahendum, quo expeditus eius in vaſis ſit excurſus. Dehinc cùm humores vigentes, prout fieri poteſt, attenuati, ac ſolitis medicamentis quæ ſigillatim poſtea tradentur, fuerint concocti, tentanda eſt per ſoluentia, à mediocribus orſis, vacuatio, vt

Actuarii Joannis filii Zachariae operum - page 249 sur 731

humores fiant ad fluxum habiliores, atq; ita demum in validioribus subsistendum & desinendum, veluti de ijs quoq; agemus. Porrò si herbæ tenuium partiũ: cuiusmodi est satureia, puleium, nepeta, & cætera id genus ferbuerint in aceto, earumq; halitus naribus excipiatur: humores satis incidere, meatusq; reserare existimantur. In caput verò, vbi vsus postulat, danda rubificantia, quos σαλαβιτικοὺς nominant, medicamentaq; satis siccantia, quæ ex nitro parantur. Iam verò melancholicorum affectuum species omnes propemodum eodem victus genere tractantur. nam cibus boni succi coctuq; procliuis, & odorata quæq; quæ caput non repleant neque feriant: adhæc animi oblectamenta, mediocris inambulatio, relaxatio, & quodcunq; gratum volupeq; est, conueniunt. Si furor præualet, sanguinis missio magis expedire videtur: sin atrà bilis, μελαγχολίαν vocant, purgantia ei sunt præferenda medicamenta. Cæterùm non est ignorandum, quòd sibi communione quadam mutuo consentiant, & sibi inuicem furor, ac melancholia permisceantur: atque idcirco sanguinis humorumq; vacuatione opus habent. sed vt eæ commiscentur, sic sanè & atræ bilis species cum inclinãt, vt aut segniores aut acriores sint, quemadmodum antea monuimus, pituitosum biliosum'ue

humor

humorem melancholico immixtum esse denunciant. Quæ vbi ijs quæ iamdudum doctus es, dignoueris, pro anni, temporis, ætatis, temperamenti, victus antecedentis, ac ægri virium portione, tum venæ sectione, tum medicamentorum contemperatione vteris, veluti priuatim de purgantibus explicabitur. His porrò, tum Logadij Memphitæ, tum Galeni sacra vocata antidotus, perquam commoda est, ac velocissimè opitulatur, si maior eius copia eáq; vigentior exhibeatur: paulatim verò vitium absumit, si mediocrior paretur, & parua portio præbeatur. Quin nec à potabilis aquæ balneis, quæ humectant ea quæ ab humoris siccitate exaruerunt, obdurueruntq;, & meatus recludunt, ac noxia discutiunt, est abstinendum. Cæterùm quæ propter consortium eueniunt, leuantur & tolluntur, si primario affectu laborantibus partibus, eas vacuando, roborando, ac vndecunq; victu, vt pristinam natiuamq; recipiant valetudinem curando, subuenerimus. Porrò tremor, neruorum conuulsio, eorumq; distensio ac resolutio, necnon sensuum instrumentorum labefactatæ functiones, ex cerebro & dorsi medulla, neruisq; inde exortis proueniunt, idq; vel ex intemperie quapiam, vel ex aliquo impacto humore. Quæ vbi distinxeris, noueris quoque quo tempore purgandum,

©BIUM

ac quando foris inungendũ, & quibus quôtue medicamentis potius vtendum erit. Atqui ex eiuſmodi vitijs illa quæ ſiccitas committit, tardiorem difficilioremq; opem admittunt : quòd earum partium quibus inſident, natiuus humor ſit exhauſtus, vt non amplius oblata humiditas agglutinari queat. Enitendum tamen eſt, vt iuxta methodum iam propoſitam, membra quæ exaruerunt, irrigentur & humeant. Si humiditas quædam excrementitia, aut ſuccus quiſpiam ſymptomata procreat, haud difficile eſt redundantia euacuanti, & diſcutiẽtia, emollientiaq;, quale eſt irinum, & quod ex muſto γλύκινον appellatur, atq; eiuſmodi alia exhibenti, opitulari. Diſces autẽ etiã hæc, cùm de ſimplicibus miſtisq; medicamẽtis loquemur

De affectuum cordis curatione.

CAP. III.

CEterum ſanè paucioribus quàm prædicta, non tamen quod ad malitiam pertinet, inferioribus vitijs obnoxium eſſe ſolet. nam febres & refrigerationes, quæ ab habitu hectica vocantur, adhæc ſyncope & palpitatio, ſunt ipſius cordis morbi. Sic mæror præter rationẽ, ira, animi dejectio, metus, quæ malitia quidem ſunt ſecunda, tamen corde conſentiente, potius adueniunt. Atq; hecticas refrigerationes aut calores, eo quo antè dictum fuit modo, cùm de

febrium

febrium victu tractaremus, profligare conabere. In syncope verò, vires resocillando vino, calidioribusq; medicamẽtis animum restitues. Quòd si is defecerit, quia nimis multa per luxum, ac incontinentiam fuerint ingurgitata, (hoc enim subinde vsu venit,) ea educenda sunt. Si sudor copiosior eius defectum attulit, cutis summa, vt calor intus cõtineatur, astringenda, refrigerãdaq; est. ac quod in his est magis moderatum, est indumentorum detractio & spiritus flabellatio, ac frigidiorum ædium habitatio. Hoc autem validius est, ex hydreleo frigido fotus, & myrtei, rosaceiue illitus. atque hæc & eiusmodi alia, meatus occludere, ac occultum perspiratum, quo calor dissipatur, compescere satis valent. Quòd si immoderatus alui fluxus, aut vomitus syncopen minatur, astringentibus calfacientibusq; ventriculi os, ipseq; venter, ac intestina sunt fouenda, quo immodicum profluuiũ coërceatur, atq; vnà ne calor dissipetur, prohibeatur. præstant hoc œnanthe, iuncus odoratus, & aromata, quæ cum astrictione conspicuò calfaciunt, iuncus quadratus, item & cupressi semen, si in vino decocta imponantur, aliaq; simili facultate prædita. Cæterùm omnium præstãtissimum est auxilium, vinum vetustius exhibitum, et Andromachi antidotus theriace, ac siquid aliud eodem

eodem modo calfacere creditur: atq; ita in ſyncopē incidentibus ſuccurres. Porrò mœror abſq; ratione ira, animi deiectio, metus, & palpitatio ex humoribus biliosis melancholicisq; ad cor euaporantibus oboriri ſolent. Victum hîc ægro, qui excedentibus humoribus, quos ex comitantibus ſymptomatis, materia redundante, temperamento, ac victu coniectura colliges, proportione reſpondeat, imperabis. Iam metus, animi abiectio, & mœror, ſunt melancholici humoris ſoboles: ira verò & ſtupor, quē παλμὸν appellant, à bile flaua gignuntur. quare amaritudo oris magna ex parte, ac interdum capitis grauitas doloriq; ſuccedit. Odorata cordis robur recreantia ac confirmantia, vtriſq; conferunt. Deniq; quācunq; in partem humor, & reliquus ægri affectus inclinat, ibi cum odoratis refrigerantia aut calfacientia ſunt opponenda, vt humoris vis contemperetur, ac tumultus morſusq; eius retundatur. Quòd ſi humores ſunt commiſti, medicamenta quoq; proportione erunt miſcenda. Sin autem vigent, & plures ſint quàm vires, purgandi vi praeditis vacuantor. ſed hæc particulatim explicabimus. nunc enim ſolam methodum delineamus, ac deſcribimus. Porrò palpitatio, quam plerunq; ſanguinis nimius feruor, copiaq; gignit, venæ ſectione ocyſsimè ſoluitur. quando

nimis

nimirum ex eius feruore origo est. nam vapores quoq; qui sursum exhalant, eam quandaq; procreant. sed causse suis differentijs distinguuntur. nam in illa quam sanguis generat, pulsus est inæqualis: at quam vapores excitãt, nullam par est adesse inæqualitatem. Cæterùm quia alia quoq; ratione sanguinis multitudinem, humorumq; abundantiam potes cognoscere, vbi prius ratiocinatione quinam exuperent, conferis, venæ sectione, aut exuberantis humoris purgatione, vel saltem, quod secundum est, præpollentium qualitatum per contraria medicamenta contemperatione, humoribus qualitatibusq; suam commoderationem restitues. Ita quippe infixantes causas coniectans secure victus formulam propones. Attamen id in omnibus scire licet, quòd quò medicamentorum quæ exhibentur temperies vergit, eò reliquus quoq; omnis victus inclinare debet. nam si quis recte diudicauerit, hũc morbum ad sui curationẽ frigidis, exempli gratia, aut calidis indigere, & medicamentis reliquus cibus victusq; non responderit, quî quæso morbum, si cibus medicamento fortè aduersatur, propulsabit? Quare si frigida conferunt, eò etiã reliquum alimentum deflectito, cæmantea quoque didicisti: sin calida expediunt, cibus etiam consentiat. Quòd si quædam fuerint partes,

quæ

quæ tactu frigida non ferunt, ea quæ conducunt frigida calfacito, atq; ita admoueto: & siue intubus fuerit domestica, siue lactuca, eam coquito. Quòd si ita victum pro portione alternaueris ac euariaueris, haud vnquam quominus optimè cures frustraberis.

De pulmonis & cæteris thoracis vitiis. CAP. IIII.

PRorsùs iam æquum est, vt de reliquis loquamur. Et quoniam pulmo cor complectitur, & hunc thorax continet, de his primùm verba facere præstat, ac deinde ad vasa nutritionis accedere. Itaq; dominanti intemperiei, contrarijs prorsus medeberis: humores verò noxios, si quibus conuenit sustuleris atq; eduxeris, profligabis. Cùm igitur confertus inspiratus aër tussim concitat, frigidam quampiam intemperiem negotium facessere dicimus. quæ nonnunquam si respiratio aliquandiu cõtinetur, emendatur. nam quia viscus ita incalescit, intemperies plerunq; sedatur. Quòd si hoc solum non suffecerit, reliquus victus paulò calidior id quod deficit suppleto. Verùm calida intemperiei nota est, si æger frigida appetit, & potissimum aërem quem inspirat: adhæc si eum confertim attrahere cupit, atq; ita leuius degit. Et quemadmodum sitis & lingua squalida siccitatis indicium est, ita humiditatem notat,

notat, si tussiculæ exiles, quòd tenuis quædam humiditas aduentitia adspergatur, & ductæ spiritui occurrat, si imulant hi nihil memoratu dignum expuunt, & à sicciori cibo opem sentiunt. Quòd si quidam fuerint humores similibus qualitatibus præditi, si frigidi sunt & humidi, supernè defluunt, & difficilem, ac non nisi erecta ceruice eductam respirationem generãt. Hinc destillationes quoq;, ac raucedines ortum ducunt, & quæcunq; ad thoracem confluentia, eum aggrauant. Ac raucedinem nimia humiditas faucibus imbuta gignit: quare lenientia, ac mediocriter abstergentia sunt accommodatissima. nam humores, qui ibi sunt obstaculo, eiusmodi medicamentis discutiũtur. sed de ijs postea priuatim trademus. Verùm difficilis, & quæ recta ceruice trahitur respiratio, à conferto humore oritur. Quare cùm ea inde impensius præpediatur, enitendum est vt humorum confluxus præripiatur. Quinetiam capiti opitulari decet, ne facilè eiusmodi humoribus repleatur, eosq; prompte ad thoracem demittat. Itaq; foris frictione & calidiori illutu, qui ad siccitatem etiam magis nutet, caput incalescat. adhæc humor medicamentis quæ naribus inseruntur, reuellendus est. Postremò, si hæc non prosunt, vertex inurendus est. Intus exhibendæ sunt antidoti quæ calfaciant

Actuarii Joannis filii Zachariae operum - page 257 sur 731

exiccentq; modicè, eaq; omnia quæ tenues fluxiones coire, ac vt educantur aptiores faciunt: cuiusmodi est, quæ ex pæonia cõficitur, & Andromachi, & Philonis, & aliæ quæpiam, de quibus in sequenti libro agemus. Verùm si humores ad thoracem pulmonemq; profluxerunt ij medicamentis quæ attenuandi, incidendi, mediocriter calfaciendi, educendi, & concoquendi vi pollent, omni conatu sunt expellendi. talia sunt quæ ex vrticæ semine, scilla, styrace, & dulcis radiculæ succo, atq; eiusmodi alijs paramus. hæc enim atq; id genus, si ritè decenterq; conficiantur, incidũt, humoresq; qui thoraci infiguntur, educunt, ac ægrum exonerant. Quòd si vetustescente vitio, quæ ægrè ducuntur, ad ventrem medicamentis quibusdam purgantibus ad aluum, aut ad vrinam deriuabis, vtilius feceris, ægrumq; non parum leueris. Huic enim soli ex omnibus pulmonis thoracisq; affectibus, medicamentis aluum soluentibus, ac vrinam cientibus succurritur: quippe reliqui omnes, si ita arte aut natura tractentur, in deterius prolabuntur. quare sudores quoq; ijs auxiliantur. Attamen vniuersus victus eò spectet, vt parum cibi potusq; sumat: ac quicquid pituitosum & crudum succum gignit, ablegetur. Animalia agrestia, & omne quod manifestò siccare censetur, præferuntur: sed

ſed ſicca & aſtringentia improbantur. Vinum detur ſubfuſcum, & modice dulce. Inambulatio mediocris ante cibum non eſt inutilis, & ſomnus moderatus, ſed qui non ſtatim à cibo accerſatur. nam is cerebrum humectat, quod ilico pulmoni ſuam humiditatem impertit. Atq; hac ratione eos qui difficulter reſpirant, & ægre ex pectore reijciunt, quos ἀναφορικοὺς vocant Græci, curabis: quos nimirum pituita exercet, quæ pulmonis cauernulas obſidet. Cæterùm inflammatio, & ignis ſacer, quæ in pulmone, & ſepto tranſuerſo, & muſculis coſtas interſepientibus oboriuntur, peius hominem afficiunt, ac celerius auxilium poſtulant. nam cùm partes adeo neceſſariæ, adeoq; cordi vicinæ, à tam ingenti calore infeſtantur, repentina pericula, niſi eueſtigio ægro ſuccurratur, ſuccedunt. Primùm itaq; omnium vena ſecanda eſt, & bis terq;, ſi conſultum iudicabitur, & nihil erit quod hanc actionem neceſſariò impediat, ſanguis detrahendus. Præterea ſi aluus non ſecedit, glandes ſolas ſubdere, eamq; iritare oportet.

Quòd ſi dolor in latere obſirmetur, atque ad clauiculam & humerum pertineat vitium, id à loco patiente πλευρίτις Græcis nominatur, venam in cubito ſecare conuenit, & ſanguinẽ ſi opus fuerit, iterato detrahere: ne dum inflam-

Actuarii Joannis filii Zachariae operum - page 259 sur 731

matio, atq; dolor quem ipsa excitat, copiosiorem attrahunt materiam, maximus simul & aegrè curabilis abscessus oboriatur. quippe maiores affectus, difficiliorem semper curationem admittunt. Vbi satis sanguinis fluxisse tibi videbitur, tunc loco succurrendum erit, exterius quidem concoquentibus ac emollientibus, cuiusmodi sunt quæ adipe anserino, & gallinaceo, vel id genus alio, & oleo constăt. Interius autem ijs quæ ex oleo amydalino, & quod vocatur sacchare, ac reliquis quæ leniunt, promptéq; humores educunt, componũtur. Cæterùm hæc pinguia & dulcia esse debent, ita tamen, vt neq; manifesto excalfaciant, neq; refrigerẽt, & magna ex parte morsu careant: à reliquis verò alia qualitate notatis, medicamentis abstinere oportet. Quæ offeruntur omnia tactu sint calida. nã quæ nõ sunt talia, & si alioqui expedire videantur, attamen sua in contactu frigiditate, ea quæ educi expuiq; postulant, quasi conspant. Iam victus cunctis cùm acutè admodum ægritudo mouetur, sit extremè tenuis. quod si ad plures dies extensam iri metus sit, & hordei decorticati atq; accuratè excocti & amygdalarum cremore: adhæc fructibus æstiuis dulcibus, & qui nullam acredinem nec astrictionem habeant, erit vtendum. sed omnia egelida exhibeto. Symptomata quæ insequunt

quuntur, ſunt, lateris dolor, ſpiritus difficultas, febris (atq; hæc inflammationis magnitudini pro portione reſpondent) tuſſiculæ ſtimulantes, & facici rubor. Porro in melius aut deterius morbum inclinare arbitramur, prout in hanc illam've partem ſymptomata comitãtia propendere conſpicimus. nam ſi virium robur obnititur, & in ijs quæ expuuntur, coctio apparet, febriſq; & reſpirationis difficultas remittuntur, meliora: contra, vbi aliter ſe habent, eſt expectãdum. Olim autem in vniuerſum quæ ad iudicia attinent, didiciſti, quare inde occaſiones corrade, atq; ita quæ de pleuriticis coniectaris, pronuncia. Cæterùm ſi inflammatione ſacroq; igne pulmo & reliqua viſcera tentantur, haudquaquam idem vnaquaq; victus, qui pleuriticis accommodatur, conuenit, ſed communes omnibus ſunt, tum venæ ſectio, tum tenuis victus. verum in lateris dolore, peculiaria ſunt dulcia, pinguia, & tactu tepida, quo humor promptius expellatur. nam cùm hic inflamatio in abſceſſum migrat, & pus colligitur, eſt vt ejiciatur habenda cura, ne in pulmonis cauis accumulatum, eaq; obſepiens, ac ſpiritus iter intercludens, ægro ſuffocationis periculum creet. At illic cum inflammatio nõ ſuppuret, & ignis ſacer vrgeat, non minus facultate quàm tactu frigidis eſt

Actuarii Joannis filii Zachariae operum - page 261 sur 731

pugnandum: quo ea quæ feruent, extinguantur, & quæ confluunt, repellantur. atque ea propter non modo his contenti sumus, verùm interdum quoq; maiora auxilia aduocamus, ac quo inflammatio feruens sedetur, foris refrigerantia quæpiam ex rosaceo & aceto, aut rosarum stillatitio liquore, aut semperuiui solaniq; succo, vel eiusmodi aliud imponimus. Verùm quia quòd vas disruptum, aut erosum, vel eius etiam osculum adapertum sit, sanguis nonnunquam per pulmonem reiicitur: eius quoq; causæ sunt expendendæ, & ijs conueniens adaptanda curatio. Atque cum sanguis tussi reiectatur, communis omnibus est curandi ratio, nempe sanguinem extemplo vacuare, nisi aliud quippiam aduersatur: idq; si necesse visum fuerit, iterare, quo id quod eò proruit, aliò deriuetur, nec multitudine vasa oppressa ruptionem intentent. Quod ceteris auxilijs vtilius est magisq; necessarium, ne pars affecta inflammatione tentetur, & suppuret, atq; æger idcirco difficilius curetur. Victus si febris adest, erit is qui febrientibus confert: sin ea abest, is qui conualescentibus competit. Omnes à vino, nisi aliud impedit, acriq; quouis edulio sunt continendi, atq; in omnibus sit modus quispiam. Quòd si ob copiam vasorum oscilla reserantur, ex pedibus primùm sanguis

est

eſt detrahendus, vt effatu dignior ſit euacuatio & reuulſio: deinde è cubito quoq; ſi opus fuerit, demendus. Aſtringentibus præterea ac citra morſum ſiccantibus eſt vtendum, vt rupto vaſi cicatrix obducatur. Vitanda eſt contentio omnis, vociferatio, omniq; motus concitatior. hæc enim, atq; eiuſmodi alia, ictus & rupturas laceſſunt. Cibi paucum ſeppeditent nutrimentum. Si violentia aliqua de cauſſa vas diſruptum eſt, etiam tunc ſanguis mittendus eſt, ne pondere grauatum intendatur, ac difficilius cicatricem admittat. poſtea medicamenta, quæ quoniam ſanguinem ſiſtendi vim habent, ἀιμοστατικὰ appellantur, danda, qualia ſunt quæ ex ſuccis herbæ ſanguinalis, quam Græci πολύγονον vocant, plantaginis, & hypociſtidis, ſigillo item Lemnio ac ſpodio, atq; eiuſmodi, quæ cicatricem inducere, ac citra morſum ſiccare perſuaſum eſt, conficiuntur. Qui verò ob eroſionem ſanguis è pulmone redditur, principio modicus eſſe videtur: at temporis progreſſu, interdum, ſi negligitur, ægros in grauiorem affectum quàm ſuperiora conijcit. nam à capite, aut alijs quibuſdam vicinis partibus, humor erodens corrumpensq; in pulmonem illabens, atq; in adeo teneris partibus immorans viſceriq; ſuam malitiam impertiens, ſua mordaci erodentiq; facul-

Actuarii Joannis filii Zachariae operum - page 263 sur 731

©BIUM

tate ea quibus inhæret, putrefacit ac erodit, indeq; vlcus, quod quasi pascendo serpit, in pulmone progignitur. Sanguinem tussicula stimulans, quæ nihil quod memoratu dignum sit educit, præcedit, atq; insuauitas quæpiam vboritur. dehinc aut paucus, aut multus, pro portione partis quæ corroditur, aut vasis adiacentis, sanguis erumpit, educiturq;. Itaq; antea, ac prius quàm sanguis prorũpat, initium vnde fluxiones in pulmonem decumbunt, contrahere ac coërcere oportet. simul verò atque fluere cœpit, educere & tenuare emittendum est, atq; omni conatu absumere. Quòd si quis prædominans in toto corpore erodens biliosus, nitrosus've humor, aut sanguis corruptus reperietur, eum quoq; medicamentis contemperare at purgare decet, & cibis boni succi, leuibusq;, vires reficillare. Iam verò si qua corporis parte vas antea fuerit erosum, & sanguis ea de caussa reijcitur, (quod ex eo quod nulla magni momenti externa caussa antecesßit, & ægri constitutione, ac victu præeunte cognosces) primùm hîc quoq; venæ sectio accersenda est, atq; ita reliqua iam dicta curandi ratione æger, citra confertas purgationes, continendus est. deinde mediocriter lenientibus medicamentis, ea quæ sine morsu exiccant & astringunt, miscebo: quo vulnus cicatrice coëat. Cæterùm hoc

deter

deterius erit, si febris corripit: inde enim vlcus increscere, ac vicina quæq; depopulari incipit: ac pus iam prorumpit, & progrediens affectus, ægrum in tabem detrudit, vnde febris hectica emergit. ex quo iam male, adeò graui & ægrè curabili, vix aliquem euadere consueuimus. est tamen omni studio incumbendum, vt leuibus & boni succi edulijs vires reficias, vulnusq; superne educentibus & lenientibus medicamentis, quæ siccantibus citra morsum non careãt detergas: de quibus sigillatim tradetur: Verumenimuero quoniam alia quoq; thoracis parte, abscessus qui pulmonis essentiam non attingant, proueniunt, de ijs etiam quæ necessaria sunt, proponantur. Proinde quia ceu antea docuimus, vitia quæ indidem consistunt, tussi vt plurimum purgantur, (raro enim per vrinam aut aliam rectam curationem inueniunt, aut ea parte explodũtur, licet hoc quandoque eueniat) idcirco istlhæc semper tussi, vt expellantur, idq; lenientibus & extergentibus incidentibusq; ac educentibus moliri oportet. In ijs autem tunc detergentia excedent, quando nimirum pus crassum multum, ac vetustum fuerit: rursus incidentia excellent, cùm quæ educuntur lenta glutinosaq; sunt. vt si vasorum fuerit asperitudo, lenientia conferãt. Est etiam quando laborantia loca, omnibus

Actuarii Joannis filii Zachariae operum - page 265 sur 731

©BIUM

indigeant. Quare opus est vt cuncta symptomata, temperamentum, & ægri affectum dispositionemq; percurras, atque ita demum proportione medicamenta commisceas. nam etsi in posterum quæ mediocria sunt, & commista eiusmodi vitijs opitulari solent, tradentur, tamen si quæ quibus potißimùm conferant, aut quæ addenda vel demëda potius sint, vt ægro opem feras, discernere nequis: frustra id volumen, ceu nihil vtilitatis reportaturus adibis. sed si in hoc studueris, vt simplicia compositaq; & quam quodq; facultatem obtineat, pernoscas: deinde morborum propria & eorum discrimina, adhæc ægri temperamentum ac vires calleas: haud difficile erit ea inter se componere, ac singulis conuenientia accommodare. Itaque cùm cuipiam abscessum in thorace enatum conspiciemus, quem maximæ respirationes, & tusses, quæ plerunq; hominem lacessunt prodent: & locum quem obsidet, tum pondus, tum dolor, si quis concomitabitur, veluti antea explicuimus, indicabunt: primùm ijs quæ tenuant, incidunt, & cum hoc modicè leniunt, est vtendum, quò membrana quæ pus amplectitur, attenuetur. vbi verò ea disrupta est, & pus iam erumpit, quo celerius promptiusq; id educatur, detergentia sunt potiora: quale est quod ex marrubio, vtpote satis

atten

attenuans, & quod ex eruo quod detergat magis, constat: atque alia quæ ex subsequenti de medicamentis volumine, congruere videbuntur. Cùm iam pus reiici desiit, quæ sine morsu siccant illis erunt admiscenda, simul ne inde pulmo humescat, ac putredinẽ quampiam contrahat: simul ne locus affectus sua natura siccior, in posterum ab eo de more confluente materia leui negotio inficiatur. Atq; hoc pacto puri & sanguinis, quæ in pulmone thoracẽq; coguntur, ac per tussim eiiciuntur, medebere. Verùm quia cùm thorax ex vulnere, casu ve afficitur, vt venulæ quæpiam disrumpantur, aut succum suum effundant, ἐκχύμωσις hoc Græcis vocatur, sanguis quoq; tussi redditur: de eo etiam hoc asserere licet, quod venæ sectionem postulat, eamq; secundo ac tertio, vt symptomatis pro portione respondeat ac ne effusus sanguis coactus in pus commigret, et difficiliorem sui curationem faciat, tepida emollientiaq; sunt adhibenda medicamenta. Adhæc mediocriter nutrire, et nisi febris accesserit, vini quoque tenuis aliquid, lenato iam malo, præbere, atq; ita lauare decet: quod semper vitia quæ thoraci adueniũt, iis quæ pulmo experitur, sint longè minus periculosa, & mediocria magis.

De stomachi affectibus. CAP. V.

Posth

©BIUM

Postibæc de affectibus, qui ſtomachum, ventrem, & inteſtina tentant, eſt nunc tractandum: quin potius de eorum victu. antèà enim qua ratione morbi, qui vnamquamque nutritionis partem obſtaent, dignoſcantur tradidimus. proinde tibi, ceu qui laborantes partes agnoſcas, in præſentia curandi rationem explicabimus. Atq; illud in primis non ignoraſſe decet, primùm omniũ exploranduꝫ eſſe, quodnam ſit ei membri quod expenditur, cùm homo bene valeret, temperamentum: atq; vtrum ſua natura ad calidiorẽ qualitatem, quàm quæ commoderata eſt, an ad frigidiorem, aut ad ſiccioꝛem & humidiorem, vel commoderatam inclinaret. Præterea num reliqua viſcera eadem conſtent temperie, an aliqua alia excellãt: & an magis eius quod expenditur temperiei aduerſentur, an minus: & num omnia, an nonnulla, deniq; ſint ne à loco facultateq; viciniora, necne, nam vbi hæc atq; eiuſmodi alia examinaueris, erunt tibi proportione medicamenta componenda, curatióque ſuccedet. Itaq; ſi fortè tibi curandus proponetur, cui os ventriculi calida intemperie tentatur, inſpiciendum eſt, num ad calidius id abſceſſit, quam cùm integra eſſet valetudine, & an adiacentia viſcera ſint multo quàm decet, & commoderato calidiora. nam ſi ita id eſſe

temp

temperatum repereris, intrepidè frigidis vteris ac celerius, cùm nullum eſt membrum quod temperamento obnititur, opem ægro feres. Sin quod curatur frigidius erat temperato, iamq; aliqua de cauſſa calidius affectum eſt, haud-quaquam æquè ſecurè eſt refrigerandum: ſed à moderatè refrigerantibus ordiri, atq; inde ſi ex vſu eſt, ad frigidiora progredi oportet. Quòd ſi adiacentia viſcera minus quoq; ſunt quàm commoderatum calida: multò magis multus frigidorum vſus ſuſpectus vitandusq; eſt. non enim ea tantum, cui medemur, pars ſtudium noſtrum poſtulat: verùm etiam illæ quæ vicinæ ſunt, ne impenſiori cura, quam adhibemus ei quæ curatur, offendantur, poſtulant. Contrà verò agendum eſt in ijs quarum contraria eſt conſtitutio. Proinde ſi frigida intemperies infeſtat, nullaq; alia eſt pars cuius contraria intemperies eſt obſtaculo, vino fuluo vetuſtoq; vtendum eſt, & piper, Zinziber, ac ſi quod aliud ciuſmodi euidenter calfacit, dandum, & vniuerſus victus ſit calidior. Vtile eſt & antidotos præbere quæ calefacere poſſunt, quasq; priuatim poſtea explicabimus. Videntur præterea etiam exercitationes, quòd natiuum calorem excitent, nonnihil prodeſſe. Atqui cùm intemperies ad calidius deflectit, potio ſit aqua, niſi aliud præpedierit. tũc enim

tenui,

tenui, aquoso, & pauciſero vino vtimur. Offeruntur & piſces qui in ſaxis ſtabulantur elixi, frigidi ex aceto: ac potiſſimum animalium trunculi. quinetiam olera, lactuca, & intubus ſatiua, & ſi quod ex alimentis ad frigidum tendit. ſi verò humiditas præualet, parcior potus, & agreſtia potius animalia, eaq; aſſa magis quàm elixa cõueniunt. Vehementius quoque exercendum eſt, vt calor roboratus excrementitios humores abſumat. Poſtremò quibus os ventriculi ſiccius eſt, elixa edulia & exiguo ſale condita aptiora ſunt. potus item copioſior, & olera, ac mediocris tantùm inambulatio, animiq; plerunq; remiſſio, ne motu incitatiori humor exhalet. Atq; cùm intemperies ſunt nudæ, hac victus ratione ægri inſtituendi ſunt: ſed ſi humor quiſpiam exuberat, eum quoq; demoriri oportet. Proinde ſi bilis amara affligit, victus ſit frigidiuſculus, ceu in calida dictum etiam eſt intemperie. ſed addenda ſunt detergentia, ac bilem explodentia. ſi quidem fuerit vetuſta, & imo ventriculi fundo inſidẽs eam catapotijs ex aloë detergemus: ſin verò recens fuerit, & quodammodo efferueſcens, refrigerantibus & humectantibus, ac quadantenus attenuantibus, obſtructionesq; tollentibus contemperanda eſt. cuiuſmodi ſunt quæ ex violis et aceto, & ſemine cucumeris, & portu-

lica,

ſuca, atq; eiuſmodi, ſacchare conficimus, ceu de his quoq; dicemus. Si multa eſt bilis, quæ iam ægrũ onerat, vbi anteà tenuauerimus, ac meatus infarctu liberauerimus, aliquid quod flauam bilem validè purget prædictis eſt admiſcendum, quo citius à noxa liberetur. Deinde vires refici debent lenibus boniq; ſucci edulijs. Quòd ſi redundantes humores frigidi ſunt & crudi, communis quidem victus calidior ſit, ſed medicamenta exhibeantur quæ tenuent, incidant, & meatus repurgent. talia ſunt quæ aromatis, & radicibus, ſeminibuſq; calidis conſtant, quæ ſigillatim recenſendi nunc mihi locus eſſe minime videtur. Atqui ſi alioqui corruptelam ſentiunt, aut putruerunt humores, ſimplici calido frigidoue victu vtendum non eſt, verùm hunc quoq; pro qualitatũ dominio variare conuenit. nam quòd putruerint, mediocris caloris ſenſus accedit: quòd verò magna ex parte ſint pituitoſi, frigoris ſunt participes: præterea quòd craſſi ſint, ac ægrè ſecentur, calida incidentiaq; medicamenta exigunt. Quocirca pro euincente qualitate, & medicamenta, & reliquũ vniuerſum victum cõtemperare oportet, ſed ita vt ſemper extremas qualitates deuitemus. Si vigentes humores ſunt inter ſe commiſti, ex bile videlicet & pituita, victum ſimul & medicamẽta quæ adhibentur, vtrãq;

qualit

qualitatem obtinere neceſſe eſt, vt tamen magis indulgeamus illis, quibus aduerſus præpollentem humorem pugnamus. Hos haudquaquam hortabimur, vt balneis, aut exercitationibus acrioribus vtantur, prius quàm attenuatis humoribus, & infarctu meatibus vindicatis. demum ſi vſus flagitauerit, purgantibus quoque medicamentis eos eiecerimus, ac deinde vires recreauerimus. Verùm quia nonnulli facta ex ſola ſiti coniectura, ſæpenumero noxam loco opis adferunt, quòd ſitis cauſſam ſemper in bilem referant: ſcire de hoc quoque licet, quòd cùm pituita ſalſa nonnunquam in ventriculo cogitur, quæ tenuem linguæ humiditatem, corrupta vaporũ qualitate abſumat, ſitis quidem ſenſus linguam vrget: verùm qui ibi continetur ſtagnans humor, turget, & educi potius deſiderat. Quo fit, vt dum multi, qui adpetentiæ rationis expers imponit, bibunt, humorem augeant, & nihilo ſecus paulo pòſt rurſum ſitiant: quòd potione quæ ſitim extinguere ſe poſſe perſuadent, ea increſcat. Quare enitendũ eſt ijs, ſi quibus alijs, vt à potu abſtineant, ſitimq; ſuſtineant. nam ſi nonnihil obnititur, æger ſitire deſinit, & ſi amplius reſiſtit, minus etiam in poſtrum ſiti vexatur, quò humor ita deficiat, ac ſicceſcat. Cæterùm ijs quibus in ventriculi ore humor aliquis coacerna-

tur,

tur, vt vomitum moueant ſtudendum eſt: ita nanq; promptius æger extricatur. Quod ſi ſua ſponte humoris non ceſſerit, medicamentis ſupra infráve explodēdus eſt. inde nimirum, quò ſua natura repit, vbi tamen eum antea concoxeris, tenuaris, ac meatus repurgaris. nam niſi humores ad eum ſtatum reduxeris, exhibito medicamento plus offenderis, quod obſiſtentes cōmoueris ita, non autem expuleris: ipſi nanq;, niſi anteà tenuati, ac conuenientibus fuerint medicamentis concocti, haudquaquam promptè ſequuntur. Atq; intemperies nudas, humoresq; in ore ventriculi, aut in vētre redundantes, eiuſmodi victus curationiſque ratione tractabis: quibus verò medicamentis ſit vtendum, in ſequenti volumine tradetur. De vomitu verò id in præſentia dicere ſubit, non quòd æger vomat, ſed quid vomitu reiciat, & quomodo ac quando contueri oportet. Proinde ſi os ventriculi refrigeratum cibos non complectitur, nec cōtinet, aut fouet coquitq;, exiguum quantitate, & qualitate qualidum, tum cibi tum potionis dandum eſt. adhæc, medicamenta quæ ex aromatis conſtant, exibenda, foriſq; emplaſtra quæ calfaciant imponenda. quin et exercitatione mediocri, quæ calorem ſuccendat, eſt opus. Nec edulia alia ſunt offerenda, aut prioribus accumulada, antequam illa pro-

Actuarii Joannis filii Zachariae operum - page 273 sur 731

bè fuerint excocta: atque à cibo est quiescendum. & ita progredi decet, nihil nimis aut onerantibus, aut refrigerantibus. Quòd si quispiam fuerit humor mordax, qui vomitum lacessat, is omni conatu contrarijs medicamentis est cõtemperandus, ac mollibus quibusdam, & quæ vires minimè cõuellant, expurgandus, vt interim aliqua quæ os ventriculi firment, commisceantur. Vino vtendum est aquoso, cibisq; leuiter refrigerantibus: nimius enim frigidorum vsus prorsus inutilis est: quippe quibus ob continuum vomitum vitale robur debilitatur, promptè à frigidorum abusu euincitur. Verùm quia nonnulli statis certisq; quibusdam, aut etiam incertis temporum circuitibus, varios humores, aliqui sanguinem quoq; vomitu extendunt, de his etiam necessaria sunt tradenda. Proinde qui humores euomere consueuerunt, id illis ob meatus quosdam obcæcatos & occlusos vsu venire solet. idq; quod inferior exitus ob intemperiem, aut carnis quampiam excrescentiam, vel naturalem interdum efformationem coarctatus sit: qua de re cùm quia iam exuberant humores in angustum cogantur locum, per superiorem ventrem egrediuntur: eosq; simulatq; viam illam sibi fecerint familiarem, haud facile est alio deducere. Atque quibus ex naturæ conformatione meatus, quo

bilem

bilem deorſum ducit occluſus eſt, nulla ratione, quātumuis nitaris, curare licet, quòd locus laborans ob obtutum non cadit, vt manus alia quam admittat operam, nec medicamenta applicari ei poſſint. At quæ ob vteri aliquod vitium, eiuſmodi vomitu humores reiiciunt, omni conatu curandæ ſunt, prius quàm conſuetudo habitui naturali præualuerit, & curam difficiliorem effecerit. Quare ex iis quæ vomitu expelluntur, ſpecies copiaq; humoris ſpectanda eſt: quinetiam, an dolor quiſpiam ante vomitum, locum aliquem, puta dextra aut ſiniſtra præcordia, vel ipſum ſolum ventriculi os obfirmatus obſidet, animaduertendum. Fit enim nonnunquam vt cùm lienis meatus, qui humorem melancholicum excipit, eumq; dimittit, fuerit obſtructus: is humor ſurſum ferri cogatur, qui colore ſuo, & qualitate ſeipſum prodit: eſt enim niger, & acerbus acidusq;. Idem flauæ pallidæq; bili accidit, ſi veſica quæ ab excipienda bile, χολοδόχος, & fellea noſtris nominatur, patitur. Quæ verò porracea eſt & æruginoſa, in ore ſæpius ventriculi gigni conſpicitur, illacq; reiicitur, ſi recta deorſum illi nō patet exitus, ac facilius illi affectui quàm reliquis medemur. Porrò hi omnes humores amari ſunt, tantoq; magis, quanto minus aliis commiſcentur. Omnes igitur eiuſmodi ſtatim

Actuarii Joannis filii Zachariae operum - page 275 sur 731

ab initio, vbi antea tenuantibus, incidentibusq; , tamen non admodum vehementibus, sed moderatis præparauerimus, medicamentis non efficacibus neque validi sunt purgandi. progressu verò temporis, ea quæ meatus dilatentur, sunt intendenda, vt curationem imitar cerebrorum fabrilium instituas. ea nanque cuspides acutas, quo promptè adigantur, habent: posteà in latum semper magis magisq; assurgunt, vt maiora fiant foramina. Sic vbi incidentibus magis magisque vsus fueris, & meatus quodammodo iam patent, non dissimili ratione à mitioribus purgatibus exorsus, ad validiora progredieris. ita nanque sensim procedens, prauam consuetudinem immutabis, eamq; in pristinum ac naturalem habitum restitues. Verùm quia interdum frigidi accidiq; humores redundant, & nonnunquam bilioſi, ac quandoque omnes simul vigent: medicamenta quoque, vt ad frigidum aut calidum pro portione inclinent, erunt commiscenda: atque ita deinde omnis reliquus adornandus victus, vt nihil sit quod non humorum excessum atque immoderantiam emendet, coërceáque. Cæterùm in omnibus, vires ob insequentia symptomata laborantes reficere decet. ijs nanque defatigatis ac succumbentibus, nulla amplius auxilia sufficere merito

meritò creduntur. Atq; hac via eos qui varios alienosq; humores euomere consueuerunt, curabis. Quòd si sanguis vomitu redditur, id omnium est deterrimum. quare antea in id studendũ, vt eum venæ sectione, si vires ægri constant, deriuemus. deinde medicamentis accommodatis, cuiusmodi sunt quæ consueto nomine sanguinem sistentia, & Græcis αἱμοστατικὰ vocantur, partes imbecillas roboremus, & desemus. Adhæc vẽtriculus diu ieiunus inanisq; minimè relinquatur, sed assiduè cibus leuis, & qui suo lentore adhærens obstruat, mediocriterq; astringat, detur: ita nanq; meatibus paulatim infarctis, ac paulatim fluxione repressa, eaq; detractionibus sensim aliò auocata, praua consuetudo amputatur. quippe cuncta si opem admolimur, in melius: vt contra, si negligimus, in peius prolabuntur. Atq; de his hactenus.

De ventris, & inteſtinorum vitiis.

CAP. VI.

VBi aluus, ob supprimentia, quæ ἐφεκτικὰ nominantur, & vrinam mouentia sistitur, iis sublatis, exiguis quibusdam auxilijs pristinã suam functionem recipit. erunt autem ea, clysteres cibiq; qui aluum molliunt. Quòd si ex vulnere in inteſtinis inflammatio præcesserit, hæc difficilius curationem admittit: tentanda tamen est per ea quæ emolliunt, & vulne-

Actuarii Joannis filii Zachariae operum - page 277 sur 731

ribus induntur, ἔμμοτα nominant, vtique si crassiora intestina fuerint affecta. ea nanque interdum curãtur, cùm interim tenuia omnem curandi rationem respuant. Quòd si alicuius momenti obstructio incidit, aut humores quidam in intestina fuerint illapsi, vbi causse præcesserũt, assiduis clysteribus aluus est emolliẽda, qui primũ mollientia, vt inflãmatio remittatur, accipere debent, cuiusmodi sunt, qui oleo chamæmelino & lilino, & pinguitudinibus, quales sunt anserinæ, gallinaceæ et suillæ, atque herbis molliendi vi præditis probè sedulo; excoctis, constant. ea enim omnia inflammationes coquunt, intensa laxant, ac ægri dolorem mitigant. Deinde leuato iam affectu, acrioribus quoq; est vtendum, quo irritata intestina, eas quæ iam obduruerunt, fæces dimittat, & si quis crudus pituitosusq; humor fuerit admixtus, vnà explodatur. Posthæc patefacto iam itinere, supernè etiam modicè purgatorijs aluum ducere oportet. Cibus sint gallinaceorum & piscium saxatilium, & ciceris iuscula: atque ab omni duro, quódque ægrè conficitur potest, edulio, abstineatur. Vinum detur aquosum & egelidum. Sed si ob humorum & potissimum calidiorum influxum, intestina inflãmatione tentãtur, à venæ sectione ordiri, et in iam enumeratis clysmatis desinere

conuenit

conuenit. Victus ratio sit qualis superioribus præscripta est, nisi quòd in id propendere debeat, vt mediocriter refrigeret, & parcius nutriat. Quæ per os dantur medicamenta, sint tenuium partium, & incidendi molliendiq; vim obtineant: quibus ea quæ stomachum iuuant, ἐνστόμαχα vocantur, adiuciantur, quo ipse confirmatus, haud facilè ab eiusmodi desidendi necessitate subueniatur. hæc autem subsequenti volumine tradentur. Porrò fluctuationes & inflationes, affectus quidem sunt mediocres, attamen & ipsi negocium ægris exhibent. mitiores autem reddũtur, tum enematis iniectis, tum siccis ex milio, aut furfure fomentis. Quòd si his infestans spiritus non cedit, siccam quoq; cucurbitulam loco dolenti affigimus. Præterea vsui sunt antidota, quæ ex seminibus quæ flatum discutiunt, ἄφυσα appellant Græci, conficiuntur. Iuuantur etiam ilico victu modicè calido, & parco ac contracto. Balnea item, & moderata inambulatio non inutilis censetur. Cùm laxius intestinum, quod κῶλον appellatur, dolet, plurimæ molestiæ comitantur. Ac primùm incipiente morbo, ægrum cibo penitus interdicere oportet, & sola simplici sorbitione, qualis est, quæ ex cicere, piscibusq; saxatilibus, cui olei quippiam tenuium partium, & anisum, fœniculum, anethum, atq; eiusmodi alia

Actuarii Joannis filii Zachariae operum - page 279 sur 731

admixta ſint, paratur. Infuſis adhæc ex mercuriali herba & beta, centaurio item & cucumere agreſti, atq; oleo chamæmelino anethinoq;, & cæteris id genus, aluus eſt ſollicitanda. Antidoti quoq; aſſumendæ quæ colicæ nuncupantur. Vbi dolor mitior euaſit, catapotijs ex colocynthide, ex aloë, & aliis quæ ægro conferre exiſtimabis, vtendum. Vbi iam malum leuatur, ius pulli gallinacei exhibeatur, & balneum æger adeat. Quòd ſi ad coxam aut veſicam infeſtans humor commigrat, hîc vrinæ difficultatem, illic coxēdicis dolorem, quem ἰσχιάδα à loco nominant Græci, generat. Ac de vrinæ difficultate poſtea agemus, nunc de coxendice tractemus. Coxendicis dolor acriora infuſa deſiderat, item emplaſtra quæ calfaciant, humoresq; diſſipent, & purgantia, quæ eiuſmodi expellant. Victus ad calidum inclinet. In balneum aſſiduè introducatur æger, vt humores exhalent. Quòd ſi ceu à parte validiore, rectà ad pedes humor detruditur, aut ad manus diſpergitur, pedum manuumq; dolores quos ποδάγρας & χειράγρας nominant, committunt. Proinde quis ſit qui affligit humor, adhæc, ſimplex'ne ſit an commiſtus, expendere decet. Principio cibum potumq; ſubtrahere, & aluum ſi opus ſit abluere, atq; dolentem locum ceratis ex oleis & adipibus illi-

nere

nere aportet. Vbi iam inualeſcit affectus, balneum ingredi conuenit. Et quoniam materia eò propendens, facilè confluit, ipſa eſt antea reprimenda, ac retro compellenda accommodato victu: ac humorem magis vrgentem conuenienti medicamento purgare, & opportuno victu corrigere, corpusq; abundè exercere & lauare decet. Vitare omnem cruditatem, edulumq; quod prauum ſuccum generat, oportet: vt ſemper à menſa exurgat, antè quàm ſe ſaturum eſſe ſentiat, ita nanq; promptè aſſumptos cibos euincet concoctio, & eger fluxiones quas cruditates gignunt, declinabit. Poſterius autem ea quæ locis dolentibus illita iuuant, & quibus humores purgare debemus, explicabuntur: quare nunc ad ea quæ per aluum ſecedunt, accedamus. Ea quæ aluus reddit, aut ob copiam, aut quòd varia multiformiaq; ſunt, praua cenſentur. Ob copiam quidem, quando plura, quàm quæ oblatis pro portione reſpondent, excernuntur. quod aut propter medicamentoſam qualitatem ingeſtorum, aut ob internum affectum accidit. Si ob qualitatem medicamentoſam promptè: modo eger ab eiuſmodi abſtineat, & conuenientem cibum aſſumat, curatur. Cùm verò ob internum affectum copioſiora ſecedunt, id aut quòd animal ali deſinat, aut quòd humor quiſpiã laceſſat, euenit.

Actuarii Joannis filii Zachariae operum - page 281 sur 731

Corpus porrò non alitur, & in ἀπορίαν incidit, ob ſiccitatem, aut præcluſionem, aut obſtructionem meatuum, vnde alimentum in corpus diducitur. Itaque illis primùm eſt adhibenda cura, ea quam propoſuimus curandi ratione: nempe, partim irrigantibus & humectantibus, partim attenuantibus, & congrua medicamentorum compoſitione meatus repurgantibus. Sic laceſſentes atq; mordentes humores, ijs quæ contemperandi vim obtinent, retundere oportet. Noſti porrò, id antea edoctus, qua victus formula id præſtandum ſit: verùm quia vbi natura aſſueuit aliquò fluxionem tranſmittere, haudquaquam ſua ſponte retinet ſe, haud aliter quàm qui per decliuem quempiam locum decurrunt, interdum vel inuiti, primo impetu loci ſitum iuuante, prorſum progrediũtur: hîc quoq; in omnibus affectibus quos fluxiones generant, aliò earum impetus detorquere oportet: vt interim non obliuiſcamur, relaxatis ex diutina influxione locis, robur addere, eaq; commiſtis quibuſdam medicamentis confirmare. Etenim ſi in ventrem, exempli gratia, inteſtinaq; humorum fluxio illabitur, eam omnino per vrinam abducere diriuareq; oportet. quare ijs quæ vrinam pellunt vtendum erit. Verum quia ex continua fluxione antea relaxata loca firmare decet, via cum

vrinam

vrinam mouentibus astringentia, quæ ea quibus admouentur contrahere & robur adūcere est persuasum, sunt admiscenda. Et quoniam qui fluunt humores, modò acriores sunt, modò lenti ac subfrigidi, pro eorum excessu medicamentorum quæ exhibētur, facultates quoq; ac qualitates commiscere decet, illisq; has vicissim opponere, quo per eiusmodi frigidorum calidorum ve complexum, id quod deficit supplere queamus, ita nanq; medicamentis ex aduerso morbum oppugnantibus id quod commoderatum est, & salutare, & elementorum missioni respondens, comparabitur. Cæterùm non tantum medicamenta ea ratione sunt permiscenda, sed victus quoq; si vsus flagitat, ita euariandus est, epithemataq; astringētia, quæ vnà refrigerent aut calfaciant, pro prævalentium affectuū portione superimponēda. Verùm quia cum affectibus quos fluxiones committunt, & potissimùm ijs qui ex acrioribus humoribus oriuntur, vulnera quæ intestina depascant, ob humorum erosionem connectuntur, & malum ingeminatur, quòd semper humor noxius confluat, semperq; affectus iam vulnerati intestini increscat: primùm victu ac medicamentis noxij humoris qualitatem contemperabis, deinde alio vetustescentem auocare conaberis: ac laboranti loco, tum foris, tum intus robur

per

per ea quæ astringere ac refrigerare possunt conciliabis. Porrò quoniam quæ exhibentur, nō nisi temporis spatio ad affectum locum deferuntur, ac plurimum suæ facultatis, quòd cum multis anteà alijs conuersentur, extinguatur: adhæc quæ foris dantur, ob id quòd multa alia mẽbra permeent, haud prōptè opem ferant: satius est ea clysteribus abluere, quibus astringentia, suoq; lentore adhærentia, & quæ sanguinis cursui occurrere censentur, fuerint permixta. quo ex omnibus cicatrix partibus antea sauciatis ac vulneratis inducatur. Quin si quid ita suaserit, ne ab acrioribus quidem ac validioribus est abstinendum: cuiusmodi sunt, quæ pastillum Andronis, aut Polyidæ sigillum accipiunt, ac cum liquore aliquo conuenienti infunduntur. Sint autem omnia modicè tepida: ne suo contactu offendant. Quod si vitium cum febre cōstiterit, circa principia, cùm adhuc humores vigent, tenuis victus ex vsu est. Verùm temporis progressu, vbi iam aluus satis liquida fluxit: ac febris quieuit, ad pleniorem victum est transeundum, non tamen perinde atq; illis qui simpliciter febriunt, victus est proponendus, sed aliquid hìc & copiæ, & qualitati est adjciendum. nam quod cum euacuationibus simul quoq; naturalis calor exhalauit, vitaleq; robur exolutum est, enitendum est, vt

vires

vires victu crassiore reficiantur. Si verò cum ijs quæ excernuntur cruenta quæpiam ramenta exeunt, edulijs ac fructibus quæ lentore suo infarciant astringantq;, est vtendum. Cibi rationem obtinebit ferculum quod ex amygdalarum cremore ac amylo conficitur. Quod si cum succo rhois culinarij paretur, in præpollente affectu, validius erit ferculum. Æque confert & portulaca, si abiecta sæpius aqua excoquatur. ita enim sistit, si cum aceto, aut vuarum immaturarū acidorum ve punicorum aut similium succo exhibeatur. His succedit commodus quoq; cibus inclinata iam febre, milium assum, quod cum cremore rhois culinarij paratur, & oryza frixa. Posthæc sequuntur animalium extrema, quæ ex aceto, & astringente eiusmodi offeruntur. A vino prorsus arcendi sunt ægri, nisi ob immodicam vacuationem, caloris q; dissipationem, metus ingruat, ne animus deficiat. Vtendum autem est potionis vice ijs quæ ex succo cotoneorum, aut myrtorum, aut rosarum conficiuntur. Atq; tu, qui reliqua suppramenta medicamenta calles, talibus affectibus idoneas potiones componere poteris: ac nos quoq; de ijs in sequenti volumine tractabimus. Clysteres ex stillatitio rosarum liquore, & hordei cremore, cui antea succus rhois opsoniorum fuerit commistus, infundētur, quo

quo sordes eluantur, & mordax acrimonia retundatur. Deinc ijs sigillam Lemnium, bolum Armeniacum, & sanguineus qui vocatur draconis, amylum, & ceruſſam, & quodcunq; iuxta vitij exceſſum competere duces, admiſcebis. Succum item plantaginis, ac ſanguinalis herbæ, vt omnium præſidio ac ope inteſtinis vulneratis manus minimè fruſtra admoliaris. Sorba præterea, & meſpila, myrti item, & oxyacanthæ fructus, punica acida, & mala aſtringentia, pyra, & quodcunq; eſt eiuſmodi edulium, inteſtinorum difficultati opportunum habetur medicamentum. Iam vero horum, ac prædictarum herbarum, & ſi quod aliud aſtringere ſuaptè natura ſolet, ſucci, vnà cum farina cocti, vel per ſe abdomini impoſiti, inteſtinis robur quodpiam addere ſolent. Iuuant & cocti ſi vti datur, aſparagi, cùm ſucco alicui aſtringenti intinguntur, quòd eorum ope fluxionem quodammodo ad vrinam aucrtimus. eſt quippe hoc quoque ex ijs quæ nequaquam neglectui haberi debent. Quare integrum erit tibi per explicatam methodum, quid præſtet expendere, atq; id facilitando exequi. Cæterùm quia tineſmi ex mordacibus ſalſiſq; humoribus inteſtino recto impactis oriuntur, num ij in toto corpore abundent, expendemus, ac mediocriter purgantibus educentes, ægrum

ab aßidua aſſurgendi moleſtia liberabimus. Ad hæc tum diſcutientibus, tum modicè aſtringentibus laborantem ſedem fouentes, nihilo ſecius ægro opem tulerimus. Eodem modo, quibus ob fluxionem quampiam in venas quæ ad anum pertingunt, (αἱμορροΐδας quòd ſæpe ſanguinem fundant, vocant Græci,) illabentem, eæ intenduntur, ac dolent, partim diſcutientes, partim repellentes fouemus. His nonnunquam ex intima cubiti vena ſanguinem detrahimus, quando nimirum ex ſanguinis copia, aut naturæ conſuetudine, id prouenire arbitramur. nam ſiquando exuberantem ſanguinem vacuare ſolitæ, ſupprimuntur, intumeſcunt, ac inflammantur, rectumq; interdum inteſtinum euertunt. Quare primùm, ceu diximus, venæ in cubito ſectione is reuellendus eſt: deinde diſcutientibus, aſtringentibusq; medicamentis, patientis loci dolor mitigandus. Quòd ſi obſirmata fluxio neq; reuulſionibus cedit, nec epithematis lenitur, metuſq; eſt ne temporis ſpatio in abſceſſum abeat, hominemq; in aliud morbi genus deducat: hirudines cacis hæmorrhoidibus admouendæ. Vbi enim ita ſufficiens ierit ſanguis, æger melius deget. Poſtquam iam pars in abſceſſum diſceſſit, curatio quæ vulneribus, impoſitis linamentis accommodatur, ἕλκωσιν vocant,

adhib

adhibenda eſt, aduocata antea manuum opera, ſi ſuapte vi abſceſſus non diſrumpitur, & medicamentis morſus expertibus eum extergemus, carnemq; alemus, & loco laboranti cicatricem inducemus. quorum omnium materia ſigillatim conſcribetur. Quòd ſi ex acri erodenteq; quopiam illapſo humore fiſtula oboritur, principio huic per exiccantia citra morſum, cicatricem addere ſtudendum eſt. Quòd ſi vitium medicamentis non ceſſerit, ſpecillo demiſſo, & altitudine antea explorata, ferramentum quodpiam leue & flexile per fiſtulam impellemus, deinde eo viciſsim per rectum inteſtinum educto, ac podice quaſi extracto, carnem quæ inter fiſtulam & internam recti inteſtini ſuperficiem interceſit, incidimus, vt vnus eorum quæ deſcenduntur pateat exitus. Si multum inter fiſtulam & rectum inteſtinum carnis interponitur, aut cùm fiſtula pertentatur, perquam altè peruenire videtur, ſecandum minimè eſt. nam dum ſectio incautius obitur, interdum ſimul quoq; muſculos inteſtinum rectum conſtringentes, præſcindimus, nequitq; in poſterum æger delabentem fæcem continere, ſed inuitus, quòd claudentes inteſtinum rectum muſculi iunt affecti, egerere cogitur. Cùm vero fiſtula in altum penetrat, ſi eam apprehendere neque diſſecare facile licet,

ne

ne tentanda quidem eſt manus opera. Attamen vbi manus fuerimus admoliti, eadem quæ in aliis curatione vti oportet, linamentis plagæ inditis (ne ſua ſponte cicatrice obducta coeat, eademq; denuò fiſtulam efficiat,) eius oſcula diducentes, & dilatantes. Sed enim laborantis partis affectuum communione, imprudentes ab ordine diuertimus, & ad particularia magisq; mediocria eius vitia prius peruenimus, quã ea quæ ſunt maioris momenti omnia explicuimus. Quare redeundum eſt, ac ea quæ deſunt proponenda Itaq; cùm dolor inteſtinorum, ac ramenta cruenta, biliſq; variæ ſpecies apparent, inteſtinorum difficultatem denunciant. Atque de iis quantum neceſſe eſt, diximus. Verùm cùm dolor abeſt, neq; adeò continuum deſidendi eſt deſiderium ac tineſmus, qui mediocriter vacuet: ſed confertim aliquid lotioni nuper mactatæ carnis adſimile, effluit, & ſecus intumeſcit, aut grauitas dolórve comitatur: quidam id Δυσεντερίαν ὑπαιτιῶνται, noſtri quoq; à ſecnore fluxum hepaticum dixerunt. Victus ſuperiori ſimilis conuenit, nempe is qui aſtringentibus & infarcientibus, refrigerantibusq; medicamentis & cibis conſtat. Verùm hoc intereſt, quòd neq; clyſmatis, aut fomentis, (nihil enim inteſtina mali ſentiunt) neq; vrinam cientibus, quod pars quæ primum illa

excipit, sit affecta, æger opus habeat. sed satius est, quæ refrigerent & astringant foris iecinori superimponere. ita nanq; recepto pristino robore, quod propter infirmitatem amiserat, subsistet & supprimetur. Si quid mordax aut iritans infestant, id victu lenietur, & contemperabitur. Cæterùm quia sermo nos ad iecur deduxit, de eius quoq;, ac lienis vitijs, & de vniuerso eorum victu, quantum opus est, iam pertractare licet, vt in ijs etiam corporis quæd im sequela seruetur.

De iecinoris lienisq; affectibus.

CAPVT VII.

Itaq; cùm calor vrget quo contemperatio insequatur, & minus calor temperiem inueniat, frigida sunt accõmodata. quare in cibum intubus domestica, cucumis crudus, lactuca, & animaliũ extrema dabuntur, eaq; præstabit aceto condire. ex piscibus verò saxatiles, raiæ, passeres, crustacea, & mollia omnia sunt idonea. Vino aut penitus abstinẽdum est, aut tenui, albo & aquoso vtendum. Sanguini præterea, si res exigit, demere, ac medicamenta consimilia exhibere conuenit, nempe quæ ex intubo erratico, & portulacæ, cucumeriq; semine, & quod vocatur santalo constãt. adhæc quæ ex violis, rosis, nymphæa, & si quid est aliud quod refrigerare censetur, conficiuntur: de

de quibus nos postea priuatim dilucidius verba faciemus. Contrarijs verò certabimus, si in prædictis partibus perfrictionem quampiam adesse iudicabimus. nã fercula ad calidius declinabunt, & vinum vetus ac fuluum exhibebimus, antidotosq; quæ ex aromatis flatũq; dissutientibus parantur seminibus. Balneum expedit moderatũ, exercitatioq; quæ satis sit, sed concitatior esse debet, vt calor natiuus accendatur. Quòd si hæ partes fuerint inflammatæ aut refrigeratæ, victus & medicamẽta quæ conueniunt, erunt intendenda. Verùm quo pacto eiusmodi membrorum inflammatio ac potissimum iecinoris, sit tractanda, diligenter animum aduertere oportet. nam cùm eiusmodi quædam incidit suspicio, primum bis tér ve sanguinis quod satis est si æger admittit, detrahe, & ventrẽ ablue. & tenui victu vtere: deinde epithematis, quæ super laborante loco dantur, refrigerantibus commiscenda sunt, quæ astringant, & modice emolliant, discutiantq;: qualia ex succo semperuiui, & solani, rosisq; & earum stillatitio liquore, item rosaceo & melino oleo concinnamus, nonnunquam absinthium quoq; oleo incoquentes imponimus. Vtroque enim opus est. nã si emollientia sola & concoquentia adhibentur, iecinoris robur relaxant, & parti imbecillitatem quampiam inferunt,

Actuarii Joannis filii Zachariae operum - page 291 sur 731

metuq; eſt ne ſyncope ſuccedat: & refrigerantia ſola, humorem ſi quis in membro contineatur, cogunt, atq; euaneſcente & intabeſcente calore durities inſequitur, quam σκίῤῥον appellant: præcipue ſi ſanguinis redundantia antea non fuerit euacuata. Porrò vbi membrum hoc ſcirrhũ contraxit, haud promptè curationem admittit: & non ita multo pòſt, tum alij affectus, tum mors accedit. Atqui ſunt quidẽ longè moderatiores, qui à liene oboriuntur, attamen hi quoq; temporis ſpatio ad ſummam malitiam progrediuntur. Deteriores multo ſunt, velocinsq; periculum, qui ab indurato iecinore gignuntur procreant. hinc nanq; macies illa extrema, quam ἐκτροφίαν vocant, ac peſtimum aquæ intercutis genus proueniunt. nam quòd viſcus pro nativo rubore functiones ſuas non obeat, alimentum ægrè in corpus deducitur, & quod diſtribui debet, haud ritè in ſanguinem commutatur: quo fit vt aquoſus ſit ſanguis, nec adhærere poſſit. Cumq; non agglutinatur, huc & illuc diffluit & inſunditur, cutemq; intendit, ac tumorem aqueum turgentemq; committit. Scirrhus itaq; iecinoris deterrimus eſt: eui malitiæ eſt ſecundus, lienis: qui & ipſe iecinori, ſi negligatur, ſuum imprimit vitium, & in conſenſum trahit: ac in conſimilem iam dictæ conſtitutionem deducit. Quapro

propter simul atq; iecur aut lienem alicui indu-
ratum esse consp exerimus, exterius emol-
lientia & concoquentia adhibere oportet, quo
scirrhus mollior fiat, & relaxetur. Verùm ne-
que nimis calidis est opus, neque rursus frigi-
dis, maximè in iecinore, sed cum manifesta ſic-
citate commoderatis, quibus astringentia sunt
commiscenda, ne ab emollientibus membri ro-
bur infirmetur ac exoluatur. Sin autem quæ
super liene dantur, vehementiora, & magis
calefaciant emolliantq;, ac minus astringant,
quòd id membrum eiusmodi toleret & sustli-
neat. Adhæc attenuantibus, infarctu vindi-
cantibus, & vrinam mouentibus vtendū est,
quo meatus mediocriter pateant, et scirrhi re-
liquiæ expellantur. Sint autem & hic quæ
lieni admouentur valentiora calidioraq;: quæ
verò iecinori applicantur, commoderata ac
remissa. Vtrisque tamen etiam concoquentia
commisceantur, vt scirrhus emolliatur. Victus
detur tenuans, cum non euidenti calore, &
boni succi, quiq; nihil crassi gignat. Sunt nāq;
hic edulia quæ crassum succum creāt & mea-
tus infarciunt, fugienda. Vinum sit tenue &
aquosum. Asparagi item, capparis, apium, fœ-
niculum, & ciceris iusculum conueniunt. pisces
quoq; saxatiles, & pulli gallinacei accommo-
dantur. Balneum denig; commoderatum &

quod qualitate non exiccet, haud est inutile.
Atqui quemadmodum ex inflammatione antecedente, quam scirrhus insequitur, aquæ quædam affusiones oriuntur: ita si frigiditas præcessit, frigidiq; humores exuberant, & meatus infarciuntur, malus habitus, ac deinde, si æger neglectius habetur, aquæ intercutes succedunt. Quare vniuersa victus ratio ad caliditatem spectet, vimq; habeat tenuandi. Medicamenta quoq; eodem modo sunt paranda, quibus vrinam mouentia, quo collectus humor illac etiam excernatur, perniscantur. Exercitationes & balnea cõueniunt. Si quis fuerit in visceribus tumor, quæ calfaciant, molliant, & in halitum dissipent, sunt mangenda: vt ex omnibus in victu securitas tibi paretur. Atq; hac ratione prius quàm aqua intercus fuerit omnino collecta, victus est instituendus. Vbi iam affectus constitit, vrinã ducentibus vtendum est: potissimum valentioribus, nisi ex inflammatione aut scirrho vitij fuerit origo. tũc enim clementiora sunt præponenda. ijs adhæc quæ aluum ducunt, & aquam detrahunt sensim æger est vacuandus, ne ex confertis vacuationibus virtus fatigetur, & tamen paulatim laborans leuetur. Vtendum nihilo secius & inunctionibus in abdomine quæ discutiant & exiccent. Nonnihil malleolos scalpello incidentes

tes humorem paulatim effluere sinunt. est enim summopere animaduertendum, ne affatim excernatur. nam cùm confertis vacuationibus spiritus vicissim attrahatur, quo nihil sit vacui, si quid est spiritus vitalis, simul cum vacuitate attrahitur: quo fit vt de repente animi deliquium morsq; superueniat. Quare tũ in hydropico morbo, tum maximis abscessibus semper repentinas & cumulatas euacuationes vitare oportet, quod maxima ex parte mortẽ inferant. Victus sit siccior: quare & animalia agrestia præferuntur, & assa elixis. Vinum sit vetustum, & meracius, nisi & scirrhus & iecinoris inflãmatio cõmiserit. Potio sit exigua, conueniunt balnea sponte nata, quæ nitrũ & atramentum sutorium & sulphur sapiant. Atq; hoc victu eæ hydropis species, quas ἀσκίτας & ἀνασάρκας appellant Græci, curãtur. Verùm tympaniæ præter reliquum victum, cibo, potioni, & inunctionibus semina quæ flatum discutiunt, sunt permiscenda. quòd vt plurimũ crassus caliginosusq; sit spiritus qui infestet. At verò quia ob immodicas euacuationes, ceu in venarum sedis fluxu inueterato, & profluuio muliebri, atq; vetustescente affectu cœliaco: adhæc propter suppressas solitas excretiones, veluti in vetustis hæmorrhoidibus retẽtis menstruisq; mulierũ purgationibus cohibitis,

ne in hydropen incidant, periclitantur homines, quòd ex immoderata vacuatione iecur refrigeretur, & sanguis aqueam naturam contrahat, atq; idcirco vtpote dissimilaris non agglutinetur, sed temerè innatans, aqueas affusiones constituat: ob astrictiones verò coacerue-tur & calor extinguatur, propterea quòd spiritus vitalis loci angustia coarctatus non aspiret, atq; ideo iecur suffocetur, cæteraq; eiusmodi patiatur, ac imbecillum fiat, & aqueum in posterum sanguinem gignat, primæ causſæ expendendæ sunt. Atq; retentiones quidem, puta in hæmorrhoidibus ora vasorũ reserantibus atq; iritantibus medicamentis dissoluere conuenit. in menstruis verò, siquidem simpliciter sistuntur, hic quoq; reserantibus opus est: sin scirrhus quispiam, siue inflammatio, siue in latus cõuersio, seu ex siccitate præclusio, ea supprimit, primùm causſæ mollientibus, humectantibus, ac laxantibus, quemadmodum denuo postea docebimus, sunt tollendæ: deinde vasorum ora patefaciendi & trahendi vi præditis vtẽdum. siquidem consuetis vacuationibus reuocatis, ægri in sanitatem pristinam restituitur. Expedit tamen vt ijs ex pedibus sanguis dematur, & hirudines admoueantur, atq; scalpello cutis incidatur: quo vasa onere leuentur, locaq; quæ curantur, leniora iam facta facilè medicamẽtis

cong

concedant. Edulia porrò hîc quoq; quæ parum alant, bonumq; generent succum, quibus attenuantia vrinasq; mouentia fuerint admixta, sunt offerẽda. In morbi principio, balnea exercitiaq; non accommodantur: at vbi sanguis semel iteratoq; missus fuerit, humoresq; conuenienti medicamento fuerint repurgati, mediocris exercitatio balneumq; conuenit. nam dum corpus adhuc repletum est, spiritusq; in arctũ cogitur, confertis non est motibus corpus concutiendum, quòd humores ita exagitentur, & calor naturalis suffocetur, neq; quicquam effatu dignum discutiatur. Cæterum si ob immodicos fluxus hydropes insequuntur, vasa relaxata patentiaq; claudentibus & densantibus sunt contrahenda. Vires cibis boni succi coctuq; facilibus, & qui satis nutriant reficiantur. Vinum sit vetus. Dentur & antidoti quæ calfaciant & reprimant, ceu priuatim de omnibus tradetur. Balnea & exercitia sint mediocria prorsus, vt hæc calorem excuscitare, illa meatus reserare, atq; aliquid excrementitiæ humiditatis discutere valeant. Exhibenda sunt & quæ vrinam cieant, & modicè aquam ducant, & paulatim vires recreent. Atq; hac ratione hydropis species tum dignosces, tum curabis. Porrò quemadmodum ob lienis iecinoris q; imbecillitatem aqueæ affu-

Actuarii Joannis filii Zachariae operum - page 297 sur 731

siones conflantur, ita ab ijsdem visceribus, ob alias tamen causſas, à iecinore quidem arquatus oboritur, à liene verò qui gignitur, nomine caret. Atq; arquatus à bile quæ è vesica fellea regurgitat diffunditurq;, prouenit: alter verò ab humore qui in liene cogitur, procreatur. Proinde ijs qui arquato corripiuntur, si quidem febris adest, tenuem victum imperare, puta intubum tum satiuam, tum eraticam: aluum enemate eluere, & nisi aliud obstat, sanguinem modicum educere conuenit. Deinde vbi desijt febris, victu medioeriter tenuante, boniq; succi, & parcè nutrienti vires reficillare decet. Quin & medicamenta quæ vrinam moueant, nec euidenter calfaciant, parare, atq; ea diluculo ieiuno exhibere. Vinum sit aqueum, vbi meatus sunt repurgati, & obstructionibus vindicati, medicamentis bilem purgantibus, veluti posteà dicemus, expurgandi. Interdicantur balnea & exercitationes antequàm omnino æger valetudinem receperit. Simul verò atq; interna fuerint repurgata, si quid quod nondum planè sit discussum, pallidi ad superficiem defertur: id balneis, & sudorem mouentibus est euacuandum. Cæterùm si lien eodem vitio afficiatur, idem quoq; victus competit, sed qui hoc tantum à superiori differt, vt eò minus sit frigidus, tenuandiq; magis

vi

ri sit præditus, quo pars est frigidior, & crassiori succo alitur. Quare cùm calor in hoc viscere persentitur, tenui modicéq; refrigerante victu est opus: cui si calor leuetur, non est diutius immorandum. facilè nanq; humores indidem infarciuntur, coeuntq;, quo fit vt vrinam mouentia & tenuantia accommodentur, deinde purgans, quale res postulat aduocetur. Vena non expedit secare, nisi aliud admodum vrgere conspicitur. Balnea & exercitia sint moderata, nisi febris dehortetur. Potus sit vinum, tenue quidem, sed non valde aqueum. Atque hac ratione arquato, & ei qui è liene natus, nomine caret, medeberis. Porrò diabetes iecinoris, renumq; est affectus, qui nihil aliud est quàm profluuium quoddam per vrinam. Quare vt in alui profluuio, fluxionem per vrinam crentia deriuamus, & aluum reprimentibus ipsam sistimus: ita hîc viceuersa est instituēda curatio, & suo lentore infarcientibus, astringentibusq;, & refrigerantibus fluxum cohibere, ac modicè emollientibus ventrem laxare decet. Quapropter amylū, oryza, similago, & id genus alia illinentia ac emplastica, quæ citra manifestū calorem crassum succum gignunt, cōducere censentur, nisi febris adsit, et omnia quæ tenuibus partibus cōstant ac vrinā mouēt, auerruncāda. Sed nec balnea, nec exercitatio

©BIUM

citationes ſunt opportuna. Non alienũ eſt quæ refrigerẽt iecinori renibuſq; ſuperimponere, vt deſinente febre, ſimul quoq; humiditatum attractio deficiat. Qui ob renum debilitatem aſſi duè meiunt, hi ſi emplaſtris roborãtibus iuuantur, & parci bibunt, atq; aqueum humidumq; victum deuitant, valetudinem recipiunt. Cæterùm quia ad renes vſq; oratione peruenimus, age victum vitiorum quibus vaſa vrinaria infeſtantur, quantum res exigit, tradamus.

De vitiis quibus vrinaria vaſa, partesq; naturales tentantur. CAP. VIII.

CRuor ergo, & pus, & humor quiſpiam lentus, ramentaq; & calculi varia ratione, prout varijs quoq; de cauſsis renes veſicáve laborant, meiendo reddũtur. Quare cum cruorem à renibus aut veſica, ex ijs notis quæ id diſcernere docent ire ſuſpicabimur: ſiquidem id ob multitudinem, & rarefactionem, ac imbecillitatem renum euenire coniectabimus, venas nephriticas, quæ per cubitũ ferũtur, ſecabimus, ac ſecundo ſanguini dememus, quo ſatis vacuemus, copiamq; minuamus, ac ſanguinis fluxum inde retrahamus. Loco deinde laboranti ea medicamẽta quæ robur addunt, quibus nihil quod apertè iam calefaciat, admiſtum ſit, imponemus. Dabimus tamen ea quoque quæ ſuo lentore meatus infarciunt, & aſtring

astringũt, commiscentes quæpiam quæ mediocriter vrinam mouent, vt videlicet hæc emplastricis illis ac astringentibus viam sternant: siquidem vrinam mouentia sola hoc casu, quòd magna ex parte stimulent, non sunt accommodata. Quòd si vena aliqua fuerit disrupta, deterius quidem est malum, attamẽ eandem exigit curandi rationem. Hic ea quæ sanguinem sistentia nuncupantur, sunt permiscenda, & paulatim sanguini detrahendum, nẽpe vt eam ob rem venam secemus, quo sanguinis cursus reuellatur. Vita in otio & quiete est traducenda, vt ab omni motu valentiori, omniq; re acri ceu mordente ac irritante, abstineatur. Balnea sint pauca & rara, vt ea quæ indurata sunt, si ita vsus postulat, tantummodo humectentur. Quæ rarefaciunt, et ora venarum aperiunt, sunt inutilia, minimeq; sanguinis profluuio idonea. Quòd si pus promanauerit, nõ iam amplius venam tundimus, atq; ab omni re mordente abstinemus, usq; vtimur, quæ mitigandi vim obtinent, ac modice detergent, nec cum morsu exiccant. cuiusmodi sunt, quæ gummi et tragacantham, cucumerum item semen, amylum, ac cætera id genus accipiũt. Vbi iam pus fuerit expurgatũ, ea quæ magis exiccant, & citra morsum restringũt, quo vulnus cicatricem induat, aduocamus. Si arenulæ solæ

vrgent,

vrgẽt, quæ in matula subsident, humoris cas̄i gnentis speciem ex colore agnoscemus, eumq; exuberantẽ victu conueniẽti, et si res flagitat, purgatione emendabimus ac cõpescemus. Verùm satius est sanguinẽ mittere, quo vasa pondere exonerentur. Vsui erunt quæ modicè tenuant, meatus infarctus liberant, & vrinam proliciunt. qua de re asparagi, ciceris iusculum & caricæ conferre putãtur. Exercitatio ac balneum sint admodum exigua: vino vtendum aquoso, albo, & tenui. Vitanda omnia quæ manifesto calefaciũt, vt & vehementior exercitatio: inde nanq; quòd humores nimium assantur, eiusmodi ramenta conflantur: quæ temporis spatio coëuntia, ac admisto lẽto quopiam humore compacta, in tofos ac calculos abeunt, & aut renes vrgent, aut in vesicam delabuntur. His ea quæ vrinam mouendi incidendiq; vi pollent. magis conueniunt, quorum copiosa materia in libro de simplicibus medicamentis proponitur, indeq; quæ vsui sunt corradere licet, sed et nos seorsum de ijs agemus. Reliquus vniuersus victus sit boni succi, & attenuans. Balneis vtendum est, quibus meatus fiant ad fluxum habiliores. Quòd si lapides angulares fuerint, vt loca vulnerent, & sanguis profluat, aut pus emanet, victus ac medicamenta mista esse debent. Est autem hoc admodum malum,

quòd

quòd alterum reliquo contraria postulet: attamen enitendum est, vt aliquid opis adferamus & vtriusque curam habeamus, ita tamen vt eius quòd magis vrget potiores sint partes. Cæterùm non est ignorandum, nonnunquam in æterna penis parte exiguũ tuberculum oboriri, quod dum disrumpitur, sanguinem aut exiguum puris effundit. quare quidam arbitrantur ex profundo ea prodire, citraq; rationem metuere cœperunt. Verùm res ex penis dolore deprehenditur. Venæ autem sectione sola, victuq; frigidiusculo ægrum à molestia vindicauimus. Quòd si vitium moram traxerit, & vulnus altius peruenerit, enemata morsus expertia, qualibus in lippitudine vtimur, infundimus. Balneo ac omni mordẽti, euidenterq; calefaciente, tum cibo, tum potione abstinemus: ita nanq; promptius æger valetudinem recipit. Porrò de vrinæ stillicidio tantum in præsentia dixerim, quòd cùm acris quispiam mordensq; humor illabens, musculum collum vesicæ constringentem ad excretionem lacessit, considerandum est, num is corpus totum inficit, an eo tantùm loco defigitur: nam si in toto redundat idoneis medicamẽtis est vacuandus. sin minus, solo victu, refrigerantibúsque medicamentis mordentia sunt contemperanda. Cæterum si lenti crassiq; humores immersi fuerint, & qui haud

haud facilè extricatur. fucus quidam fit egris, perinde quasi calculus infestet, tum quòd dolor sit vehemens, tũ quòd lotium vt plurimum guttatim reddatur. Quare victum attenuantem postulant, & reliqua medicamenta quæ tenuare, meatusq; infarctu liberare queũt, vbi anteà humorem si exuberare videbitur, medicamento quod pituitam ducit, purgauerimus. Balne liberaliter vtendum, quæ tensa relaxent, humoremq; tenuent, & digerant. Atq; de his hactenus. nam si quid in hac commentatione desideratur, potes ex ijs quæ docuimus arrepta occasione, conficere, & medicamenta necessaria concinnare. Verùm quia vasa vrinaria eadem sunt generantia, ratioq; curandi, prout per ea lotium profluit, vitia sunt explicata. nunc ijs prout sunt genitali, quod opus est, annectere oportet. Ac primum ea quæ maribus sunt peculiaria, deinde quæ fœminis propria sunt tradentur. Proinde quale vitium sit priapismus; & qua ratione dignoscatur, quamq; ob caussam oboriatur: dictum sunt antea: nunc quo pacto ei medendum sit, est quoq; docendum. Si igitur rationi curandi id muneris incumbit, vt affectuum caussæ e medio tollantur: cùm spiritus calidus sit qui penem arrigat, hanc continentem caussam, ijs quæ flatum discutiunt, exiccant, ac refrigerant, coer-

cere

cere decet: idq; tum per ea quæ eduntur, tum quæ bibuntur medicamenta est procurandum. Cibus item qui singulis diebus offertur, eò spectet. Sunt qui tenues dodrãtales, paulo ve maiores laminas plumbeas parãt, ac renibus admouent, ægroq; ita opem adferunt. Vitetur vel ad aspectum vsq; fœminarum commercium, ac narrationes amatoriæ, & qui quid ansam pruriendi & inflammandi præbet. Potus sit aqua, cibus lactucæ, coriandrum, & ruta. Lectus ægro ex vitice sternatur in quo decũbat. Vigilet, nec balneum ingrediatur, sed exercitatio sit vehementior, & nisi aliud obstat, in frigidam se demittat, ac desideat. Quibus penis resaluitur, ij contrariam postulant curationem, potißmum si id ob ictum antecedentem non aduenit: nanq; id curatu difficile est, præcipuè si quod seminarium vas, aut nervus extẽdens fuerit præcisus, alioqui promptè curatur. Atq; in vniuersum victus ad caliditatem humiditatemq; vergat. priuatim verò quæ flatuosa sunt conferunt: cuiusmodi sunt cicer, & nuces iuglans, & quæcunq; in libris de simplicibus medicamentis, venerem concitantia, ἀφροδισιαγικὰ Græci dicunt, nuncupantur. Verùm ignorari haud decet, sanguinem interdum aut putuitam vasa seminaria obstipare, atq; idcirco genituræ ac spiritui transitum haud facilem

esse: quemadmodum per quàm obesis pinguedo meatum obstruere solet. Verùm illa venæ sectione, purgatione, & acrioribus clysmatis sedantur: hæc verò, victu tenuante, inter quem matutina ieiunis obambulatio, salsamenta, acres acidiq; tum cibi, tum potiones reponuntur. vigilia item cibumq; parcior, & magna ex parte is qui parũ nutriat: hæc enim atq; eiusmodi alia gracilitatem satis conciliant. Condimentum ciborum optimum est sinapi, cui acetum salq; sit adiectum, & alia quæ iuxta hãc formulam cõficies, modo in omnibus ægri temperamentum tibi ob oculos ponas. nam si quibus viscus est natura calidum, id totũ victum subuertit. Verùm tibi alia ad eam rem non deerit materia, ex qua iuxta methodum medicamenta commisceas, quæ nihil obsistentibus temperie visceribus, quòd ad vniuersam spectat victus rationem, noceant. Seminis prosilium, quod γονόρριαν dicunt, & ipsum posset vt renibus imponantur emplastra, quæ robur addant, & minimè calefaciant. Conuenit adhæc reliqua victus ratio quæ ad siccitatem declinet, sed non sit calidior, verùm frigida. Insuper nutriendus æger est, viresq; modicè reficiendæ nãq; ob continuam excretionem languet corpus & imbecillum est. Quies apta est, & balnea quæ humectent tantum, alioqui

non

non ſunt idonea. Animalia agreſtia, quæ refrigerantibus exiccantibuſq; condiantur, ſunt accommodata, & vinum pauculum tenueq;. Cæterùm adipoſum aqueumq; ramicem, partim copioſo mollientium digerentiumq; empla ſtrorum vſu diſcutimus: partim ſcroto, ac ſi res exigit, tunica erythroide ſecta, humorem euacuamus, ac deinde curatione quæ vulneribus cõpetit, ægro medemur. Ramicẽ verò quo inteſtina omentumve prouoluitur, quidã ſolis epithematis foris impoſitis curare nituntur, ac interdum, cùm malũ leuius eſt, ſuccedit: verùm complures manuum operam accerſunt. Verùm enimuero quòd graue malum ſit, & pleriſque ſubinde periculum creet, non ſecus quàm quibus calculus excinditur, quàm plurimi pro ambigua ancipitiq; valetudine, deformiorem, ſed ſecurã vitam degere malunt. Quare nos quoq; in hac rei incertitudine, volenti & ſecare & ſecari concedemus, ac ad reliqua progrediemur. Fœminæ peculiaribus vteri vitijs mares exuperant. atque ei intemperies, obſtructio, inflammatio, abſceſſus quiſpiam, fluxus item muliebris, & vteri præfocatio, ac mola incidens, varias curationes exigit. Quorum cauſſas ac agnitiones aliunde colliges, hic verò curandi ratio proponetur. Ea autem erit, vt contrarijs pugnetur, tum victu in vniuerſo cor-

pore, si eadem erit totius & vteri intemperies, tum in parte affecta. nanq; pessis & fomentis tam aridis quàm humidis alia atque alia commiscentes medicamenta, intemperiebus opitulamur. nam calidis mediocriter refrigerantia applicamus, et frigidis calida, quemadmodum siccis humida, & humidis sicca admolimur. Non est tamen ignorandum, quòd vterus cùm neruea sit pars, acrisq; sensus, ac semper calori assueta, simpliciter frigida, præcipuè si tactu talia fuerint, non tolerat, sed promptè conuellitur ac dolet. qua de re, si quãdo calido corripitur affectu, haud quaquã impense frigida, sed egelida omnia sunt admouenda, siue ea infundantur, siue sotu, aut incessu aptè adhiberi possint. Verùm quia immodica vacuatio, & obstructio, vitiorum vteri caussa continens magis esse solet: obstructionem quã præclusio siccitasq; genuit, humectantibus, pinguedinem obducẽtibus, ac vasa reserantibus curabimus. cuiusmodi sunt, quæ ex oleis sale expertibus & adipibus commistis, quibus herbæ quædam modicè acres additæ sint, conficiuntur: vt pinguetudinibus atq; emollientibus iam humectata vasa pateant. Quòd si inflammatio aut scirrhus naturalem excretionem fuerint remorata, ijs quoq; per medicamenta est occurrendum. Atque inflammationi quidem medebe-

ris, si

ris, si emollientibus ac concoquentibus, quibus aliquid frigidorum inflammatione etiamnum turgente admiscueris, pugnabis. Quòd si ea remittit, & discutitur, vsdem est insistendum: sin ad abscessum properat, augenda sunt concoquentia & emollientia, atq; à frigidis abstinendum. Vbi iam abscessus disruptus est, & pus promanat, mollientibus coquentibusq; ea quæ mediocriter detergent admiscere conuenit, ac clysmatis pessoq; eiusmodi sordentem vterum repurgare. Demum abscessu purgato, cùm pus ire desyt, locus affectus per siccantia sine morsu, ac modicè adstringentia, cicatrice obducendus est. Porrò horũ materias ex libro de simplicium medicamentorum facultate, at qua ratione vniri sibiq; mutuò commisceri debent, ex libello de medicamentorum compositione petes. Verùm si inflammatio in scirrhum abit, quæ in duritiem occaluerunt, vs quæ magis concoquunt & emolliunt relaxare nitendum est, nimirum si emollientibus adipibus et oleis, liquores quoque concreti valentiores admiscebuntur: qualis est galbanum, bdellium, & eiusmodi. Cæterùm molam vtero innatantem, vbi validioribus reserantibus matricis os patefecerimus, attrahentibus depellere conabimur, vt eam mulier quasi pariens deponat, discátque præpropere parere, ac impostu-

quæ detinetur agnoſcere. Scire tamen licet, omnibus attrahendi, oráq; vaſorum reſerandi vi præditis, mordacem erodentemq; vt plurimum facultatem ineſſe: quare ſi quis temere iis fuerit abuſus, vicinum locum exedere ac erodere, atque prius quàm qui præſens eſt curari deſierit, alium affectum oboriri. Quocirca validioribus iis non modò emollientia ac lenientia ſunt permiſcenda, verùm peſſos quoq; molli linteo obductos nonnullis quæ mitigent atque humectent extrinſecus inungimus: ſed foris linum propendeat, ne ſi peſſus vacua ſubierit, nos imperitiæ conuincat, & ægræ moleſtiam adferat. Atq; hac ratione menſtrua ſuppreſſa reuocabis, inflammationes lenies, & ea quæ offendunt, euacuabis. Contrarijs verò immodicos eorum fluxus ſiſtes, ac coërcebis. hîc enim curſus, tum albus, tum ruber oboritur: idq; aut ob turgentium humorum, primùm eò prorumpentium copiam, aut ob mordacem quempiam humorem eò illapſum ac ſtimulantem. Porrò vbi natura ſemel aſſueuit, ad ea loca quæ redundantia moleſtantiaq; excernere ſolent, tranſmittere: illuc veluti à materiæ exuperantis impetu coacta, & quæ non decet, & quando non conuenit detrudit: quo fit vt ex alba, pallida, turgidulaq; fiat ægrotans, & in-

Actuarii Joannis filii Zachariae operum - page 310 sur 731

ac repentina morte nonnunquam intereat. Quare ægram nactus ab initio, dum nondum affectus prænaluit, & vires etiamnum reniuntur, si sanguis abundare videtur, sensim è cubito eum detrahes, vt fluxus reuellatur: deinde aluus per ea quæ subiiciuntur, vacuanda est, ac si vires sustinent, validioribus quoq; catharticis nimius ac stimulans humor purgandus, quo tum causſa morbosa extrudatur, tum humor ad proxima deflectat ac deriuetur. Adhæc ad ea quæ supprimendi vim habent accedendum: & potiones ac epithemata, clysteres item, & pessos, insessusq; quæ eandem facultatem obtineant, paranda. Copiosa autem horum materia in libris de simplicibus missisq; medicamentis recensetur, vnde quæ vsui esse possunt deligere licet. Est tamen cucurbitula sub mamillu defixa, quòd fluxiones retrahit, præstantissimum auxilium, eoq; solo nonnullas subinde curaui. Circuncidatur in cibo & potione quicquid sua natura mordax est & stimulat, omnisq; motus vehementior, ac balneorum vsus: hæc enim atq; eiusmodi alia, solitas excretiones reuocare solent. Cæterùm in primis est vitalis facultatis habenda cura, eaq;, vt par est, reficienda. nam si hæc non fauet, frustrà morbis manum admolimur. Atque hac ratione ac via muliebris fluxus est

tractandus. Porrò procidentia vteri, recursus, & in latus conuersio, alia sunt à prædictis vitia. Atq; cùm vulua procidit, ea sursum retorquenda est, & ligamentis datis aptè vinciendа, ac pars vt roboretur astringentibus fouenda. quinetiam renibus astringentia, ac roborantia imponens ægram complicatis pedibus supinam ita collocabis, vt pedes reliquo corpore sint sublimiores, atq; ita plures dies, quousq; ad se vulua redeat, dimittes. Cum verò ad iecur aut lienem, ad septum item transuersum, & ad cor recta recurrit, vteri facit præfocationem, tanto deteriora inferens symptomata, quanto ad partes præstantiores eam regredi contingit. Et quoniam sterilibus ac viduis id vitium potissimum oboritur, prima ac suauissima ijs curatio erit, si cum viro congrediantur: sed si hoc facere, horrãte ita pudicitia ac continentia, renuunt, subsequenti victus ratione, vt par est, vtantur. Atq; omnis in summa earum victus ad calidum inclinet: quare balneum & moderata obambulatio conferre censetur. Primatim verò odorati calidiq; pessi subijciuntur, & eiusmodi insessibus vtatur: naribus verò fœtida subdantur. Quòd si moderatè purgãbis, opitulaberis: verum semper id animo prospicias, ne menstrua subsistant: ita nanq; vteri suffocationem, vitium graue, & quod aliquando

pericul

periculum adfert, propulsabis. Quòd si vulua ad ilia aut ad podicem conuertitur, aut in vesicam prolabitur, obstetrix digito eam dirigat, & odoratis pessis retrahat. solet enim hoc membrum odoratis vbi imponuntur cedere ac insequi: fœtida verò & graueolentia fugere ac auersari. Quare etiam cùm procidit, suffitu cuiuspiam quod grauiter olet, eam in suam sedem reuerti cogimus. studendū ergo est, vt cum viro concumbant & pariat: ita siquidem symptomata citius leuantur: quod si non persuadentur, ea qua dictum est curatione vtendum, quòd hæc post viri coitū proximo loco succurrere possint. Atq; his ita finis imponatur. quæ etsi sunt mediocria, attamen ijs qui recto iudicio pollent, satis ad curandi methodum conferent. Ac tractionē de internis affectibus, quæq; ijs competit, medendi rationem iam explicatā habes. nunc instat, vt de exterioribus agamus. Quare quemadmodum, quomodo ij discerni queunt, à capite exorsi, per reliqua omnia membra sermone percurrimus, ita & nūc faciemus.

De externis capitis vitiis. CAP. IX.

PRoinde cùm pili defluunt, si quidem ab raritate id prouenit, moderatè astringentibus simul & modice calefacientibus meatus sunt roborādi: cuiusmodi est quod vino & ladano, & iunci odorati flore, & calamo aro-

matico, atq; id genus aliis constat. Sin ob erodentem humorem delabuntur, si totum corpus eo abundare videbitur, euacuandus est, ac victu contemperandus: sin autem solum caput obsidet, iis quæ in nares induntur, gargarizationibusq; est euocandus. Deinde caput abradatur, nitrumq; inducatur: postea adipibus tenuium partium, atq; id genus medicamentis illinatur, ita nanq; prompte ac seeurè pili repullulabunt. Quòd si causa fuerit siccitas, calidis dulcibus aquis mediocriter fouemus, caputq; pinguedine ac adipe salis experte, oleoq; aliquo quod sit tenuium partium oblinimus, satisq; iuuare solemus: si ea intenditur, meatus constringuntur, & conniuent præcluduntur q; nec amplius pilos enasci sinunt. Quare promptius ophiasin, & alopeciam, ac caluitium curaueris, nam illud malum siccitas vt plurimum procreat, hoc verò humores, qui corrupti capitis cutem vrgent, committunt. Verum quia iam antea tradidimus, quo pacto iis quibus ob humorem vitiatum capitis pili defluunt, victus sit præscribendus, inde quæ ad alopeciæ, ophiasisq; ab humoribus excrementitijs genitæ curationem pertinent, oportet assumere. Si ea valentiora medicamenta postulabunt, liber de medicamentis istihæc quæ necessaria sunt, suppeditabit. Inde & quæ ad pustulas illas,

quas

quas ξανθήματα vocari diximus, valent sunt petenda. Quibus faui, ac manantia capitis vlcera, & sycomata & porrigo annectantur, atque eorum species dignotionesq; iam antea edoctus, paulò pòst etiam medicamenta disces. nam nunc vt ea quæ de aurium vitijs dictu necessaria sunt, doceamus tempus est.

De aurium affectibus. CAP. X.

SI ergo quæ intemperies exuperet cognoueris, contrarijs est obstandum. Et si quidem calor infestat, vena, nisi aliud impedit, humeraria est secanda, deinde rosaceum gutta tim immittendum. Præcidatur dehinc omne acre edulium, & vinum sit aqueum: sin frigus torquet, contrarijs est certandum. Æris frigidi commercium vitari, totusq; victus ad caliditatem propendere debet: adhæc anethinum, & rutaceum, aut ex calidioribus aliud, si res ita exigit, auribus instillari. Si humores acres ac bilioſi affligunt, tunc oxyrhodinum, cui terræ inteſtina incocta fuerint, opitulari creditur: ac humor si in toto corpore redundare videtur, purgandus est. Vinum vitari & balneum, omneq; calidum eduliũ oportet. Quòd si frigidi humores offendunt, oleum rhaphaninum ac amygdalinum amarum, præcipuè si vetuſtum est, inſtillatum prodeſt. his nitrum non inutiliter commiſcetur. Balneũ & reliquus victus sit calidus.

calidus. Atq; hæc omnia præscribuntur, nisi quæ alia maioris momenti causſa prohibuerit. Nam si quæ sunt quæ aduersantur, semper quæ nam sint quæ magis vrgeant, inspicere oportet, illisq; maiorem curationis portionem tribuere. Si inflammatio quæpiam, aut abscessus infestat, his victus imperandus erit qui febrientibus accommodatur, nempe tenuis, & qui nihil ferè nutriat. nam quòd sensorium hoc cerebro sit propinquum, facilisq; sensus, vel parui lapsus, magni esse videntur. Proinde dabitur ptissanæ cremor, & aqua, ægerq; in quiete continebitur. Atq; inflammationi pinguedines recentes, morsusq; expertes admouebuntur. Iam si inflammatio ad abscessum progreditur pusq; apparet: quod purulentum est, emollientibus, ac modicè attrahentibus, detergentibusq; repurgabimus. Verùm quia nonnulli sui negligentiores, temporis spatio pus vetustum educunt, quod haud promptè siccetur, locusq; magna ex parte grauiter olet, exiccantia tum medicamenta sunt exhibenda: cuiusmodi est quod recremento ferri, & aceto paratur: nanq; hoc vlcera sordida validè siccare, potissimum ea quæ in auribus consistunt, solet. Scire nanque licet, partium alias esse siccieres, quæ siccioribus quoque delectantur medicamentis, eaq; maximè auxiliantur: quasdam contrà

humid

humidiores, ijsq; humidiora medicamenta competere. Verùm non solùm hoc in corporis partibus, sed in sexibus quoq; vsu venit, nam cùm fœminæ, & pueri, atque spadones humidiores sint, ijsdem partibus minus exiccantia medicamenta applicamus. Ætate verò vigentibus, maribus, ijsq; maximè qui exercentur, magis siccantia, magisq; valida conueniunt. etsi rusticus quispiam curatur, aut qui fodendo victum quæritat, validioribus etiamnum opus est. debent nanq; medicamenta proportionem quampiam ac similitudinem cum eorum quibus offeruntur temperamentis seruare. Porrò sonitus & surditas, quæ varijs de caussis proueniunt, variam quoq; diligentiam ac curam requirunt. Ac surditas quæ ab ortu, & ob primam conformationem conflatur, omnino curabilis non est: siue id proueniat, quòd sentientes nerui occæcati clausíq; sunt, vt à cerebro per eos spiritus deferri nequeat: siue quòd cerebrum ea parte, aut ab intemperie, aut humorum confluxu laboret. Hæc & proiectiore ætate nonnunquam contingunt, quæ ab artis opera interdum opem admittũt. Itaq; hîc antea, si vsus exigit, totum corpus purgabis, deinde capiti per gargarismos, aut ea quæ naribus attrahuntur, aut cucurbitulas, prout opportunũ esse iudicaueris, prospicies: posthæc

aurium

aurium meatibus accommodata, nempe tenuantia ac lædentes humores incidentia meatusq; reserantia instillabis, ac demum quicquid noxiæ causse aduersabitur: ita nanq; sublato eo quod lædebat, auris pristinam suam peculiaremq; functionem recepisse videbitur. Porrò cùm sonitus in auribus excitantur, tum ob consensum aliarum partium, quæ primùm tententur, tum ob primarium affectum, expendendum statim est, qua ex causa coagmentantur. Atq; si stomachus mali auctor erit, ei potius iuxta iam antè explicatas rationes, opitulari decet: nanq; perempta causa, vnà quoq; aurium sonitus tollitur. Quare si quem acriorem humorem ori ventriculi impactum esse coniecerimus, acriores quoq; qui inde exhalant spiritus esse asseremus, qui dum ad aures feruntur, resonent. Itaque partim contemperantes, partim humorem purgando educentes, ægrum sanitati restituemus, eiusq; valetudinem confirmabimus. Quòd si quis crudus humor per os ventriculi oberrans, crassiores perstrepentesq; flatus expirat: hic calidioribus tum edulijs, tum antidotis contemperatus concoctusq; ac deinde accommodatis catapotijs expurgatus: haudquaquam amplius auribus spiritus qui meatibus obstrepent, subministrabit. His expediunt balnea, & victus qui probiorem

commod

commoderatioremq; ſuccum generat. Si quis fortè in meatu auditorio acrior aut frigidior ſit collectus humor, qui diſſolutus eiuſmodi ſpiritus emittat, reliquumq; totum corpus plenitudine abundet, primùm totum purgandum, deinde conuenientibus medicamentis etiam loco ſuccurrendum. Quòd ſi aliter viſum fuerit, ſolis laborantibus partibus medicamenta ſunt exhibenda. Dicemus autem de omnibus priuatim ſuo loco: in præſentia enim ſolam curandi rationem perſequimur.

De affectibus oculi. CAP. XI.

CÆterùm in oculorum vitijs, quæ multa ſunt, & varia, quæq; acris ſenſus partes occupant, exquiſitus victus accommodatus eſt. Itaq; cùm lippitudo, & inflammatio, calidiorq; fluxio, & chemoſis offendit, aut ictus quiſpiam illatus eſt, primum à venæ ſectione orditi cõuenit, niſi aliud obſtiterit, ac bis ter've ſanguini ſecta cubiti vena, & maximè humeraria demendum eſt: ita tamen, vt in omni vacuatione, tum redundantis humoris copiam, tum morbi vehemẽtiam, & ægri victum coniecterur. A vino, omniq; edulio calido abſtinendũ, etſi vſus ita exigit, purgationibus vtendum. Ad oculos verò dabimus collyria idonea, cuiuſmodi eſt quod ex roſis album & cinereũ conficitur, & lacte muliebri aut oui albumine

excepta

exceptũ illinitur. Porrò tumores laxos ab ictu, posca fouemus, illiq; recentem caseum cataplasmatis more imponimus. adhæc rua passa acinis repurgata vnà cum posca opitulari censetur: valet hæc et ad inflationes. Psoroptalmiæ autem ita à scabie dictæ, decoctum ciceris conuenit, quo admista posca & rosis eam fouemus. opportuna sunt & quæ exiccare, ac summa cute in palpebris hærentem succum coercere possunt. Cæterùm palpebræ inuersio, quam ἐκτρόπιον appellant Græci, & caro excrescens gignit, aut manus opera, aut carnem detrahenti medicamine curatur, coërceturq;. Ægilopi verò, prius quàm in fistulam abiens vlcus ad os vsq; pertingat, subuenire decet. conuenit ei vitio glauciũ & crocus, si cum succo parietariæ imponantur, & assidue permutentur: valet & halica in aceto incocta, probeq; trita, non modò in principio, verum etiam cum suppurauit, disruptus ad os vsque peruadit. ea nanq; si veteris, non ægilopas tantum sed anchilopas quoq; iuuabis. Quin & ruta satiua, cum protostacto læuigata, & cocta, ac imposita, admodũ præclarè ægilopas emendat: quippe principio mordens ad os vsq; penetrat, sed postea nequaquam, & quod mirari subit, ne cicatricem quidem deformem obducit. Idem præstant & cochleæ cum testis læuissimæ tritæ, ac imposite

positæ, cui interdum etiam aloës aliquid ac myrrhæ commiscentur, prius quàm ægilops in suppurationem cõmigrauit, ac postquã apertus iam est etiam probè exiccat. Asperitudinẽ verò & ficationẽ, ac callũ quæ eadẽ genere cùm sint, solo tẽpore ac viribus inter se distant, collyria quod ex vino, & quod ex duobus lapidibus ac hæmatite lapide eluto constat persanant nam mirũ in modũ palpebrã abstergunt. Adhæc facit & harmatium cũ pauxillo cycnario, & quod ex croco concinnatur. Quod etiam pruriginosæ palpebrarũ scabiei, cũ nondum vlcus contraxit, conuenit. si euersæ palpebræ illinatur. Quòd si callus durus adhuc non obtemperat, euertentes palpebram, cum pumice, aut sepiæ testa, vel solus siculneus abrademus. Porro grandinem ammoniaco, quod cum aceto simul et galbano læuigaueris, illine: opus enim habet emollientibus, & quæ cũ partium tenuitate discutiant. Quod verò hordeolũ nominatur, muscæ capite abiecto, ac reliquo eius corpore contrito curabimus. Sunt qui hordei diluto fouentes, opem ferunt, hordeo hordeum pellentes. Pediculatione autem infestante, primum pediculi detrahendi sunt, deinde aqua marina tepida eluere palpebras expedit, postea medicamentum cilio imponere, quod aluminis scissilis partes duas, & vuæ taminia

Actuarii Joannis filii Zachariae operum - page 321 sur 731

partem accipit. Vtraque enim exquisite leuia sunt sua natura. In palpebrarum glabritie, quam μαδάρωσιν & μίλφωσιν vocant Græci, ea quæ à condecorādis palpebris καλλωπιστικὰ nominantur, conueniunt. sunt autem ea, stibium assum, plumbū vstum palmularū nuclei vsti, cadmia, chalcitis, atq; eiusmodi alia. Ptiloſi succurrunt muscerdæ vstæ, cum melle leuigatæ ac illitæ. Superciliorum defluuium emendatur si oleo aut pinguedine anserina digitos inunctos plumbo affricueris, atq; ita illeueris. Leuem quoq; nigredinem inducunt nuces auellanæ crematæ, vnà cum caprino aut vrsino adipe. In pilari malo, quam τριχίασιν appellant, euulsis frientibus pungentibusq; pilis, locū ranæ sanguine illine, aut albi chamæleontis cinere, aut cimicum sanguine, aut vnà cum gummi succo fumariæ, ac tellinarum cinere, vel ricini è cane cruore. Diffractos verò pilos agglutinat bitumen, mastiche, resina colophonia, gummi, & cochlearum gluten. Ad caruncułæ circa maiorem oculi angulum nimias excrescentias, ἐγκανθίδας vocitant, valent eadem quæ ad euersiones palpebrarum accommodantur: item quæ liquant, & exedunt, ὀφθίνα nominant Græci. Contraria ad ῥοιάδας adaptantur, cuiusmodi sunt, quæ ex croco, glaucio, & aloë parantur. Cæterum vlceribus quæ inflam

mat

matione oboriũtur, concoquentia & mitigantia vnà cum ijs quæ vlceribus peculiaria ſunt, medentur. ſunt autem, collyrium Libanium, et quod cygnus vocatur, & pilarium, & aſter, & quæ ex amylo & terra aſtere, & ceruſſa conformantur. Omnium porrò maximè dolorem ſopit, quod Nilamon vocatur. verùm eius vſũ longiori tempore haud eſt immorandum, quòd ſtupefaciendi vi præditum ſit. Optimum eſt & quod ex decoctis paratur, nihil habens ſtupefactorũ. Quòd ſi vlcus fuerit cum fluxione, aliquid ex ijs collyrijs quæ fluxioni aduerſantur admiſcebimus, quale eſt quod ex hydra fit & Chiacum, & fuluus cycnus, & quæ repellendi abſq; morſu facultatem obtinent. Verùm ſi vlcera fuerint ſordida, mulſa mediocriter aquoſa, & fœnigræci decocto vtemur, tum ſeparatim, tum cum prædictis collyrijs. Quòd ſi acriora ſunt vlcera, Seueriano, & quod ex ſucco fœnigræci cõficitur: ſin minus ſunt acria, ijs quæ ex myrrha & nardino parantur, vti conuenit. Vbi ſcitè fuerint expurgata, cleon cicatricem inducere ſolet, eamq; eiuſdem cum cute proxima coloris. In vuæ procidentia, ſi quidem exigua adhuc fuerit, vt muſcæ capitis formã præ ſe ferat, μυοκέφαλον appellant Græci, ea competunt, quæ reprimendi & conſtipandi vim habent, nempe Chium, & fuſcum, &

nardinum, & Theodotium, & quod ex cornu conficitur, & ſupra oculum citra offenſam, ſpongiam quam poſca aut vino aſtringenti, vel roſarum decocto imbueris, vel ſplenium inijcies. Præſtantiſsimum eſt & ad vuæ procidentiam, & ad omnia vlcera, quod Olympiacũ vel Olympus nominatur cum ſucco oleæ & ſanguinalis herbæ. Eadem valent & ad id vitium quod μέλαν vocant, & ad vuationem, prius quàm exalbeſcant: nã ſi albent aut callum contraxerunt, curari nequeunt. In ſugillatis autem, ὑπωπίσις vocant Græci, curationis ſcopus eſt, vt aut pus per modicè digerentia diſcutiatur, qualis eſt mulſa, & ſuccus fœnigræci, & collyria quæ inde parantur, & Libanium, & quod thure conſtat. Aut diſrũpantur, & validioribus repurgentur, cuiuſmodi ſunt quæ ex myrrha fiunt, & hygidium. Ad ſugillata citra exulcerationẽ etiam hoc liquido collyrio, quod accipit atramẽti ſutorij, croci, ſingulorum drachmas octo, myrrhæ drachmas quatuor, mellis libram, vti licet. Puſtula, quam φλύκταιναν & φλυκτίδα appellant, eandem quam ὑπώπιον curationem admittit. Albugines tenues quidem, quæ νεφέλια nuncupantur quaſi nubeculas dixeris anemonæ ſuccus deterſit: idem minoris centaurij ſuccus cum melle præſtat. Vetuſtiores verò cedri pix tenuat, &

æs ſol

æs ſolum aqua collyrij in morem læuigatum: omniaq; ea collyria quæ abſtergẽdi vi pollent, cuiuſmodi ſunt, quod ex cornu ceruino conficitur, & rhinarium, & hecatombe, atq; id genus alia. Craſſas verò, quas λευκώματα apellitant, nitrum cum oleo vetuſto diligenter læuigatum, & illitũ deterget, ac ſepiæ teſta vſta, et cum melle in læuorem redacta: adhæc ſalem Cappadocicum aqua diſſolue, ac eo collyria quæ ad albugines craſſas accõmodantur tempera, atq; inſtilla. De vnguibus, quæ πτερύγια dicuntur, hoc tantum aſſerere licet, quòd magni & inueterati manus ſola opera ſanantur: recentioribus verò ea quæ abſtergendi vi prædita ſunt opem ferunt: quale eſt æs vſtum, & atramentum ſutorium cum felle ſuillo, ac fel caprinum vnà cum melle. Carbunculi & cancri ſunt longè omnium curatu difficillimi. quare eiuſmodi tenui ac temperato cibo ſunt nutriendi, præſcindendumq; quicquid euidenter calefacit, & ſuccum malum generat. Infundenda ſunt collyria tenella, quale eſt ſpodiacum, Seuerianum, & conſimilia. Cura præterea habenda eſt, vt totum corpus ſit commoderatum, & ſi vſus exigit, ſanguis mittendus, & aluus ducenda. Abſtinere oportet ab omni vehementi motu, à balneo, & veti fumi ve, aut alterius, quod lædere poſſit,

occurſum vitare. Pupillæ dilatationis quæ μυδρίασις vocatur, curatio hoc modo eſt tentanda: primùm in cubito vena tundenda, aut cathartico purgandum, vel etiam vtrunq; ſi ita conſultum videbitur, eſt faciendum. Quòd ſi hæc agere non licet, ſaltem in maioribus angulis venas ſecare oportet: deinde cucurbitulam occipiti adfigere, & faciem oculosq; aqua marina aſpergere ac fouere, & ſi ea defuerit, muria aut poſca. Medicamenta verò adhibenda ſunt, quæ puſtulis accommodãtur. Porrò tabes & imminutio pupillæ, quæ vitia cùm ſint mydriaſi contraria, contrariã quoq; poſtulant curationẽ: quare eiuſmodi morbo correptos exercere decet, & diligenter caput, faciẽ & oculos fricare, & aqua faciem aſpergere. quinetiam capiti vnguentũ aliquod callefaciẽs eſt illinendum, ac oculi acriori quopiã medicamento inungendi, quale eſt hoc quod ſubnectam, quod conſtat ammoniaci drachma, crocomagmatis drachmis quatuor, croci drachmis duabus, floris æris drachma: aqua ea læuigata ſubige & vtere. At verò noctu cæcutientes, quos νυκτάλωπας dicunt, hoc pacto curabis: ſanguis ſecta in cubito & maioribus angulis oculi vena detrahendus eſt, & cathartico purgandum poſthæc ea quæ commanducata ſaliuam proliciũt, aut ſternutamentum cient prębenda, Aut

melle

melle oculos illinere oportet, ac imperare, vt cõniueant & oculi comprimantur quo humores in loco contineantur. Vel aluminis Ægyptij vsti partes duas, & salis fossilis partem in leuorem redige cum melle, & inunge. Vel iecur hircinum comede, & dum coquitur vaporem oculis excipe. Eodem quoq; modo in suffusione sanguinẽ ex cubito mittere conuenit, purgare, & vacuationibus ex centaurij & cucumeris amari decocto assiduè aluũ soluere. Oportet & cucurbitulas occipiti, cute antea scalpello concisa, admouere, aquam bibere, & victu extenuãte vti. Conferet & apophlegmatismus super oculos: primum mel & oleum cum fœniculi succo dandum: mox etiam hoc, quod accipit, sagapeni drachmas duas, succi Cyrenaici, ellebori albi, singulorum drachmas sex, mellis heminas octo. Quin & fœniculi decocto fouere vtile est. Hebetudo porrò & obscuratio, quæ ab incerta caussa oboriuntur, in vniuersum eam curationem postulant, quæ suffusis congruit: verùm speciatim quadrat sanguinis ex maioribus angulis vacuatio, hirudinum circa tempora affixio, & infernarum partium fricatio. Temporis verò progressu, etiam sternutationes mouendæ sunt, & ante cibum vomitibus vtendum, ac inunctionibus primùm quidem ex mellis & olei æquis partibus: deinde

etiam eo quod ſubſcribitur, quodq; conſtat croci obolis duobus, fellis hyænæ drachma, piperis granis octogintaquinq;, ſucci fœniculi drachmis tredecim, ammoniaci drachma, mellis ſextarijs quatuor. Antequã id inungatur, oculos ſpongia calida marina aqua imbuta prius fouebis. Oculi expreſſioni ſuccurrendum venæ ſectione in cubito, purgatione, & cucurbitula in occipite. Adhibenda quoq; ſunt, quæ reprimere cogereq; queunt. Confuſiones ex ictu, ſanguine nuper interfecti turturis, aut columbæ oculos opplentes curabimus. Poſthæc lanam vino & roſaceo intinctam imponere ac alligare oportet. Atq; hac ratione oculorum affectibus medeberis: ſubijciemus autem poſtea et alia quæ oculis accõmodantur medicamenta. Nũc ad vitia quæ nares infeſtant tranſeundũ.

De affectibus narium. CAP. XII.

CVm olfaciens facultas ſuo non fungitur munere, ſiquidem id ob intemperiem aliquam quæ illam partem, vbi odorans ſenſus enaſcitur, obſidet, aut ob humorẽ quempiã eo loco collectum prouenit, difficilis eſt curatio. attamen enitendum eſt, vt humectantes, exiccantes, refrigerantes, & calefacientes, nempe contrarijs intemperiem amolientes, vaporibus item & vnguentis & errhinis ac conuenientibus catharticis, noxam conceptam propulſemus

ſemus. Sed ſi ob confluentes excrementitios humores ad eos meatus, qui à colando Græcis ἐθμοειδεῖς nuncupantur, facultas olfactrix aboletur, eos medicamentis quæ naribus imponuntur, & vnguentis, ac præterea ijs quæ ſternumenta mouent, extenuare, educereq; conuenit. Et ſternutatoria tenuium ſint partium ac calida, cuiuſmodi eſt caſtorium, elleborus albus, euphorbium, & ſimilia: hæc enim incidunt, extenuant, & ſenſorium irritant. Sed vbi ſtimulatum eſt, & nimium ſternuere incipimus, eius moleſtiam affuſo quod ſatis eſt vnguento, ſedamus: tale eſt roſaceum & nardinum, & eiuſcemodi quæ ſuo lentore adhæret, & partem confirmant. Atq; hoc pacto facultatem odorandi obſtructione vindicabis. Polypum verò medicamentis excreſcentia detrahentibus propellemus: quēadmodum ozænam ijs quæ ſternutationes proliciendo, & gargariſmatis caput purgat, niſi totum corpus cathartico deſideret. Sanguinē quoq; detrahemus, aut ſecta vena in cubito, aut ex ipſa etiam, ſi licet, nare. Medicamentis vtemur odoratis, et purgantibus ſordem, ac demum adſtringentibus, vt locus cicatrice coeat. Si ſanguis immodicè è nare profluit, circa initia eius impetus, cubiti ſecta vena, reuellendus eſt: deinde ijs vtimur, quæ ad ſanguinis fluxus accōmodantur,

Actuarii Joannis filii Zachariae operum - page 329 sur 731

et cucurbitulas viſceribus, quæ è regione rectà fluenti nari reſpondent, applicamus. Atq; hæc hactenus. nam medicamenta pòſt trademus.

De affectibus faciei. CAP. XIII.

FAciei nigredinem emendamus per ea quæ modicè detergẽt, qualis eſt, ptiſſana aphronitrũ, amygdalæ amaræ, et id genus reliqua: & quamuis iſthæc admodum medicos deceat: attamẽ ea quoq; loco opportuno explicabimus, ne efflorescẽs nigredo formæ ſtudioſas offendat. Quæ verò ἔφηλις dicitur, itẽ lentigo, eidem ſubiiciuntur curationi, quam recipit nigredo: hæc tamen magis extergẽtibus, ac diſcutientibus opus habent, cuiuſmodi eſt aſſum aphronitrum, & farina erui. Porrò ſugillata et liuores, magis diſcutientibus curantur: quẽadmodum & vari emollientibus, detergẽtibus & diſcutientibus, vnde & oxymel & amaræ amygdalæ conducũt. Cæterùm in libro de medicamentorum compoſitione, quæ vnicuique vitio opitulari exiſtimantur, trademus: nunc enim ſolam curandi rationem proponimus, & iam de internis oris vitijs dicamus.

De interioribus oris vitiis.

CAPVT XIIII.

ΠΑρὰλις, vbi primùm emerſerit, reprimentibus & diſcutientibus cohibita diſſipatur: ſimul atq; autem ſuppurauit, primùm modicè

dicè detergentibus, dehinc exiccantibus absq; morsu cicatricem contrahit. ἐκθλὶς verò quæ magna ex parte non suppuratur, reprimentibus coërcetur. Dẽtes dealbare, cauereq; ne gingiuæ cruorem fundant, & si quis fuerit humorum impetus, eum compescere, decorum quidem est, & medico dignum: verùm dolentibus & quassatis atq; erosis mederi, si quid aliud, hoc quoq; iuuat. Atq; dolor aut ab intemperie, aut ab humore quopiam decumbente excitatur. Intemperies, ac fluxionem creantes humores, ex anni tempore, ætate, temperamento, victu, & doloris specie deprehendimus, & curationem, clysmatis, & pulueribus refrigerantibus, aut calefacientibus, aut alio pacto, prout affectui congruit, alterantibus molimur. Venæ quoq; sectione, & gargarizatu noxium humorem euacuamus: quinetiam eundem medicamentis naribus inditis reuellimus. Iam quassatos dentes astringentibus & stabilientibus confirmamus. Erosos educto exedente humore qui plerunq; calidus est, curamus. Euacuamus autem vel totum corpus, aut caput tantum, idq; vel errhinis, vel gargarizationibus. Cæterùm haud decet ignorari, quod cùm ossa, & nerui qui in ea inseruntur, sua natura sint frigida, etiã si calida infestet intemperies, haudquaquam tamen frigidorum vsus nimius esse debet,

debet, ne intemperies in contrariam commigret. Quod in alijs etiam omnibus partibus eſt obſeruandum, quòd facilè à medicamentis nativæ intemperiei ſimilibus, ſi incautius exhibentur, offendantur. Inter vitia quibus os tentatur, ranula quoque cenſetur, & ſub lingua enaſcitur. Hîc in teneris puellis, reprimentibus ſuperuacaneam carnem coërcemus primùm, eamq; detrahimus: deinde cicatricem inducimus, aut ſolis illis prioribus perficiamus: tale eſt miſy, & ærugo raſilis. Verùm in perfecta ætate venam antea ſub lingua ſecamus, quo ſanguinis qui ſatis eſt effluens, vitium medicamento obediens efficiamus. Ad ſerpentia vlcuſcula, quas ἄφθας vocant, & puſtulas ἐξανθήματα dictas, quæ varia in palato oboriuntur. in pueris ea quæ ex melle, & roſis ſuccoq; mali punici, irride item ac thure & ſimilibus concinnantur, damus. In pubeſcentibus verò ac proiectiori ætate, antea venam tundimus in cubito humerariam, atq; interdum ſectis venis ſub lingua, increſcente malo, ſanguinem mittimus: deinde ſtomaticis appellatis medicamentis vtimur, extergentes ac repurgantes ea quæ iam efflorere cœperunt, & reprimentes ea quæ fluxum minabantur: ea enim eſt ſtomaticorum ratio ac methodus. Tonſillæ, quæ παραίσθμια nominãtur, et ἀντάδες, qui ſunt glandularum

dularum tumores & inflammationes, quæq; gurgulionem infestant vitia, si quidem ex fluxione frigida nascuntur, melius curantur, ac solo moderatè calido victu emendantur: ita tamen si capiti per tegmina & medicamenta vt facilè perspiret, prospexeris: nam frigus, si quod aliud, fluxionem excitat. Quòd si aluũ sua sponte non probè egerentem duxeris, & cibo potuiq; ademeris, atq; adeò gargarizatu mediocri qui modicè calfacere, ac affluentem humorem deriuare potest, vsus fueris, plurimũ ægro opitulaberis. Quæ autem sint medicamenta ei rei accommodata, orationis progressu dices. Si autem calidus est qui defluit humor, tum quoq; ventrem abluere præstat, posthæc venam secare, & tenuem victum potissimùm si febricula quæpiam adfuerit, imperare. Dabimus & influentem humorẽ reprimentia, atq; laborantes partes lenientia gargarizanda: ita nanque humore partim represso, partim deriuato aut dissipato, æger melius sustinebit. Quòd si quis collectus fuerit abscessus eum si sua sponte non soluitur, incidere conabimur, in hoc vnum accuratè animum aduertentes, ne scalpellum supra modum adigatur, aut vena maxima secetur. Aperto abscessu omnis molestia leuatur: nã interdum abscessus per se quoq; leuiter ægrũ offendens, maximam præbet

præbæt periculi occaſionem, vtpote qui cibi potionisq; ac nonnunquam ſpiritus ingreſſum præcludat, & aut fame, aut ſiti, vel laquei inſtar hominem interimit. Angina, quam κυνάγχην, et συνάγχην Græci nũcupant, et qui in faucibus gutturęq; oboriũtur affectus, acutiſſimi ſimul & difficillimi habentur. Quare extremè tenui victu vtendum, venterq; eluendus eſt: deinde humerariæ venæ ſecandæ, ac ſi res ita poſtulat, iteratò ſanguinem detrahere, & poſtea venas ſub lingua tundere conuenit. Gargarizatu ex diamoron, aut ijs quæ ex moris rubi, ſάτιωκ Græcis dicuntur, cum cremore furfurum ſiunt, vtẽdum. Si malum inualeſcit, colliq; vertebræ ab inflammationis magnitudine quaſi cõuelluntur, cucurbitula vertebræ, quæ ex aduerſo laboranti loco opponitur, eſt injcienda, locusq; ſcalpello concidendus, vt ſatis ſanguinis eat: ita nanq; retracto qui influebat humore, æger melius ſe habet. Atq; hæc conũeniũt prius quàm inflammationis magnitudo ad ſummum peruenerit. nam vbi tumor præter naturam, ceu operculum integit, et laquei inſtar ſpiritus, cibiq; itineri injcitur, diem æger obit extremũ. Quòd ſi inde migrãs fluxio ad pulmonem tendit, Græcis περιπνευμονία, & nobis pulmonia dicitur, affectus, et ineuitabilis ita quoque mors impendet: quòd iam

iam antea vires langueant, & tempore pulmonia egeat, quo fluxionem coquat, eamq; explodat: nec possint adeò defatigatæ vires subsequi. Quin etiamsi angina non præcesserit, pulmonia primũ oborta, quòd deterrimus acutissimusq; sit affectus, haud facilè curatur. Verùm pulmonis inflammatio, cæteraq; quæ tum pulmonem, tum thoracem infestant vitia, et qua ratione iis succurratur, iam antea fuere explicata. Sed quia à capite exorsi eius affectus recensuimus, age eos qui toti corpori inciduntexponamus. Ac primùm maximum & infestissimum malum proponamus, deinde ea quæ malitia proxima sunt explicemus.

De affectibus qui vniuersum corpus torquent. CAP. XV.

Proinde elephantia, qui quasi totius corporis cancer est, maximã & variam curam postulat: nã si ob vniuersi sanguinis corruptelã enata est, plurimo studio diligẽtiaq; opus habet, vt is qui corruptus est, expurgetur: & qui reliquus est, alteretur: is demum qui gignitur, omni conatu melior parandus est. Si verò elephas, quòd flaua bilis in melancholicum humorem conuersa sit, committitur, maiorem eo adhuc sollicitudinem desiderat, quo is qui ab hac caussa generatur, est deterior. Cùm itaque sanguis melancholicam, crassam ac terream

ream induit naturam, principio ſemel atque iterum detrahi debet, dehinc ad purgationem per elleborum eſt accedendum. Ac primo loco venæ pedis tundendæ ſunt, poſt eas recreatis viribus è cubito ſanguis mittendus, dehinc venæ ſub lingua, & narium, & frontis incidendæ. nãq; ex omnibus partibus ſanguinis quod ſufficit demendum eſt, quo ſingulæ exonerentur ac leuentur. Verùm roboris vitalis curam ſemper habere decet, ne viribus deficientibus in diſcrimine, tum æger, tum medicus ambiguus hæreat. Quare cibis boni ſucci, & mediocriter nutrientibus vti, atq; à ſuillis, bubulisq;, & leporinis ac ceruinis abſtinere oportet. Vitandi & piſces, & aues quæ in paludibus degunt, & cetacea, ac legumina, & vt vno verbo complectar, omnia quæ prauum craſſumq; ſuccum generant. Exhibere autem expedit pullos gallinaceos, & phaſianos, ſi licet, & columbinos pullos, & piſces ſaxatiles, ac aſparagos, & quæ ex amylo amygdalarumq; cremore concinnantur fercula, atq; vt vnico verbo abſoluam, quæ læuia ſunt, & boni ſucci. Venus interdicenda, quòd in coitu id quod pinguiuſculum eſt euacuetur, & quod deterius eſt relinquatur, atq; eã ob rem magis noceat. Balnea eiuſq; laudantur, vt inhærentes cutis ſordes expurgent, & aliquid corrupti humo-

rm

ris digerant, ac ea quæ indurata ſunt humectent: attamen ea quoq; ſint ex aqua potabili, quæ nullam manifeſtam qualitatem ſapiat: niſi membra ob vlceroſam humiditatem admodum ſordeant, vt idcirco ſalſuginem requirant, qua vlcera irrigata ſicceſcant. Exercitatio intrà obambulationem conſiſtat. nam ijs quibus diſcutere non licet, humores mouere, ac permiſcere non expedit. Catharticis quæ conducere arbitraberis, vtendum: & ſi qua naturalis conſuetaq; excretio ſuppreſſa eſt, ea vt inde natura exoneretur ac confirmetur, eſt prouocanda. Quòd ſi quis acrior humor emarceſcens & contabeſcens melancholicum genuit, eodem in alimento victu vti non conuenit, ijſq; potius quæ probiorem ſuccum creant. Non ira ſanguini demendum eſt, ſed purgantibus medicamentis certandum, cuiuſmodi eſt ſacra Galeni, cui ea purgantium quantitas fuerit admixta, quæ præpollenti humori proportione aduerſatur. Vinum omnibus exhibeatur aqueum & tenue. Parandæ quoq; ſunt potiones, quæ humores contemperare cenſentur. harum materia in libris de ſimplicium medicamentorum facultate perſcribitur. Vlcera verò ſordida, ijs quæ cicatricem obducunt & exiccant aut detergent, curabis, prout ex vſu laborātis partis eſſe indicabis, de quibus quā-

Actuarii Joannis filii Zachariae operum - page 337 sur 731

do de vlceribus pertractabimꝰ, poſtea agemus. Porrò quia de elphantia ſatis multa verba fecimus, ijs quidem qui ex paucis multa metiri queunt: deinceps de lepra, ſcabie, & impetigine, atque id genus alijs, quod neceſſarium eſt tradamus. Proinde inter totius corporis vitia deterrimum eſt ceu diximus, elephas, & ſecundum locum lepra obtinet, deinde ſcabies, cui impetigo ſuccedit. Omnia ex melancholico ſucco, & reliqua cacochymia enaſcuntur. quare in omnibus eiuſmodi cibis boni ſucci corpus nutrire expedit: deinde ſanguinem quoq; educere, niſi aliud obſtat: poſthæc exhuberantem humorem, vbi antea eum extenuaris & concoxeris, ac exhibitis potionibus meatus obſtructione liberaueris, medicamentis purgantibus expellere: ac demum ad præſidia quæ loco affecto accommodantur, accedere: ac inunctionibus exiccantibus, & diſcutientibus ſummæ cutis hærentes humores digerere ac euacuare. Balnea proſunt, ea maximè quæ ſua ſponte prorumpunt, & nitrum ac ſulphur, & eiuſmodi aliã qualitatẽ reſipiunt: qua abundè exiccare & diſſipare creduntur, ſed & ijs quæ noſtra opera conduntur & calent, quibuſq; aſſiduè vtimur, æger abluatur: poſt quæ ſi conueniens aliquod medicamentũ inunxeris, magis auxiliaberis: quippe ij qui medicamẽtoſa qualitate

opus

opus non habent, hinc nihil noxæ sentiunt: ij verò qui illa indigent, à medicamento opem inueniunt. Iam senibus si pruritus accidant, eadẽ curationis ratione medeberis, quos alioqui ægrè elui posse non ignoramus, quòd cutis eorum non admodum rara sit, sed senio rugosa strigosaq; ac dura euaserit, nec validioribus medicamentis, quibus opus est, (leuiora enim non facilè prodesse possunt) vires sufficere valeant. Vitiligo alba, quæ λεύκη dicitur, & è pituita lẽta ac glutinosa in summa cute impacta oritur. ijs quæ pituitam euellũt, curatur. Atq; vbi corpus, vt decet, est purgatum, ad præsidia localia veniendũ: verũ quia eiusmodi sua natura sunt acriora, aliquid eorũ quæ mitigare possunt admisceri oportet, ne alia pro alijs curare cogamur. Αλφοὶ, qui minus suapte natura praui, sunt temporis progressu si non succurritur, ac què ac vitiligo alba, ægrè instaurãtur. Quare hos ex colore humorem distinguentes, antea idoneo medicamento purgare conuenit: dehinc foris quoq; inunctiones quas postulant dare. Cæterùm scire licet, non omnes etiãsi eiusmodi vitia efflorescant, iam dicta medicamẽta requirere. Verisimile nanq; est nonnullorum corpora eiusmodi humore non redundare: sed qui mediocris antea genitus fuit, ad cutis superficiem prorumpere, atq; ceu corpus eo scateat,

fucum facere: atq; ijs prŏptè externæ inunxiones opitulantur, ac nonnunquam à vi facultatis naturalis eiecti cedunt. Quin & alij purgatoria medicamenta quibusdam de caussis non ferunt. Quo fit vt vbi nihil est impedimento, humorq; turgere videtur, ea purgătia sint accersenda: at si aliquid obstat, quod isthæc arceat, solo tenui victu acquiescemus: et exterius medicamenta, prout cutis tactui cedit, & tenella est, accommodata vnicuiq; miscebimus. Quandoquidem pueri, & mulierculæ, & quicunq; vmbratilem vitam transigit, moderatiora postulant, quòd valida cutem promptè exulcerent: verùm fossores, & qui exercitijs sunt assueti, vix vel à valentioribus opem sentiũt. Porrò σίγμασα, vbi prius nitro fuere perfricta, discutientibus & tenuium partiũ medicamentis eiiciuntur. dicemus autem in sequẽtibus quæ cuiq; cõueniãt. Pituitæ eruptiones quæ ἐξανθήματα appellantur, ac ex crassis, difficilibusq; dissipatu, & in cute impactis humoribus enascuntur, si quidem totum corpus ijs scatere existimaueris, id antea erit expurgădum, deinde per cutem humores dissipandi. Si verò noxius humor in sola cute infixus hærere videbitur, is per fomenta, & calefactoria erit discutiendus, præcipuè cũ exanthemata erunt crassa. Siquidem eiusmodi à frigidis, satisq;

crassis

eraſsis humoribus gignuntur. Quemadmodum quæ anguſta ſunt, & ſublimia propendent, feruentem humorem arguunt. Caterùm ἐπιφυσίδες, & puſtulæ bullis ſimiles, & ambuſtæ quæ καταναύματα vocant, ac περιψύματα, quod eſt feruentes puſtulæ, ſimiles ferè inter ſe ſunt affectus, quos externæ internæ ve cauſſæ procreant, quare conſimilem quoq; victus rationem exigunt: quorũ ſigillatim medicamenta poſtea trademus. Verum eo totus victus ſit frigidior oportet, quo ipſi calidius irritantes vniuerſum efficiunt corpus: cæteroqui haud parui eſt negotij victum uariare. Formica & quam penſilem vocant verrucam, quæ duriores ſunt, magisq; terreſtres, quippe quas humor terreus & lentus generat, validiora quoq; requirunt medicamina: quare nonnulli elaterium cum ſale illis applicant, alij groſſos cum aceto, quidã eiuſcemodi alia, veluti poſt docebimus.

De tumoribus præter naturam.

CAPVT XVI.

INflammatio, quod omnibus corporis partibus eſt commune vitium, ſemper expurgantia deſiderat. Ea ab efferueſcentis ſanguinis copia, quæ ea parte magis exuberat, vbi inflammatio oboritur, prouenit. Quemadmodum & ignis ſacer propter bilem quæ in partem quãpiam magis decumbit, cõmittitur.

Actuarii Joannis filii Zachariae operum - page 341 sur 731

Vtrunq; malum, victum exigit frigidum & tenuem, maximè si fuerint alicuius momenti, & aut in præcipuis, vel propè præstantes partes cõsiterint. Sanguini satis demendum, atq; id bis ter've si res postulat, faciendum, & in inflãmatione potius quàm igne sacro: attamen ne in hoc quidẽ negligẽda est sanguinis missio. Post hæc quæ repellendi vim obtinent, præcipuè si artus inflammatione tentantur, sunt imponenda. nam si aut hæc, aut ignis sacer iuxtà principatũ obtinentes partes consederint, non debet esse nimius repellentium vsus, ne fluxio retro remeans, atq; intro detrusa, aliquam ex præstantioribus oneret lædatq;, ac periculum proximum creet: nam etsi ea aliquando requirantur, tamen tantisper tantum est indulgendum, dum quæ fruent solummodo leniantur, alioqui vitanda sunt. Vbi iam inflammatio, ignisq; sacer extincta sunt, refrigerantibus reprimentibusq; quiddam quod discutiat, admiscere oportet, hæcq; magis progrediente tempore augere, & illa imminuere, vt anteà collectum humorem abundè dissipare queant. Scire tamen licet, nisi inflãmationes enatæ sitè curentur, eas in gangrenã, ac syderationem commigrare, quæ maiorem quoq; curam postulant, quòd pars prõptè emoriatur, & æger periculũ adeat. Quare vbi inflãmatio in gãgrẽ

nam

nam abijt, pars in ambitu emortua ſcalpello concidenda eſt, vt ſatis ſanguinis eat, ipſumq; quod iam mortuum eſt excidendum: deinde medicamenta, quæ quominus ſerpat, inhibeãt, inijcienda: ita enim euacuato eo qui corruptus erat, ſanguine, detractaq; carne emortua, æger melius ſe habebit. Porrò herpeti exterius quoque opitulari licet: verùm ſi immoderata materia, puta bilis copioſior eum genuit, medicamentis catharticis eſt expurganda: aliter enim herpes externis epithematis non obtemperat. Poſtquam is qui abundabat humor medicamento purgante eſt electus, nonnunquam citra aliorum quæ extrinſecus adhibentur, opem, laborantes partes curantur, quod natura mediocres affectus promptè explodat. Cæterùm bubon, tuberculum, panus, & furunculus, tumores cùm ſint qui abſceſſum ſapiant, emollientibus, concoquentibus, & diſcutientibus profligantur. Si qua ſubeſt plenitudo, à venæ ſectione ſatius eſt ordiri, & vinum modicè bibere. Inter feruentes affectus carbunculus quoque recenſetur, vt nomen etiam indicat, & ab aſſidua ſanguinis miſſione auxilium inuenit: nam ſi quod aliud vitium, hoc ſanguinis detractione indiget. Poſthæc ſupra locum topica præſidia imponenda, & modicè nutriendum, atq; vinum & quicquid craſſum ſuccum

Actuarii Joannis filii Zachariae operum - page 343 sur 731

generat aliquandiu circuncidendum. Vbi iam cruſta decidit, vires reficere oportet: tradentur autẽ & medicamẽta quæ ad carbũculos dãtur.

Deterrimũ vitium cancer, neq; purgãtibus, neq; foris impoſitis medicamentis facilè cedit: quippe valida quæ ſunt cùm applicantur, iritant: mollia verò & languida reſpuit. Quare ne aggredienda quidem eſt eius curatio. Attamen æquum eſt vt eiuſmodi quoq; vitijs aliquid imponatur, & ab imbecillioribus paulatim ad validiora progredi, vſq; dum viribus æquipollentia medicamenta reperimus, decet. Cæterùm in primis melancholicus humor purgantibus extrudendus eſt. Cui ſi quis acris humor fuerit complicatus, nec is quidem deſpici debet, ſed purgatorijs aliquid quod hunc quoq; euellat, admiſcendum eſt. Sanguis item ſi vſus poſtulat, detrahendus, victusq; vniuerſus ad probum ſuccum ſpectet: id nanque ſi feceris, aliquid fortè ægro ſubſidij adferre exiſtimaberis. Quin potius illi opitulari videberis, ſi prius quàm cancer loco conſiſtit, curationem tentes. nam interea dum humor oberrat, nec adhuc obfirmatus hæret, facilè eſt eum purgantibus educere. Cæterùm vt ignis ſacer à bile, & inflammatio à ſanguine conflatur, ita tumor laxus, quod οἴδημα vocant, ab humore pituitoſo progignitur. Eſt quidem is in aqua

inter

inter cutem & malo habitu ſymptoma, ijſq; ſublatis, & ipſe profligatur. accidit nihilominus quibuſdam etiam in artubus, aut facie, ac modicè calefacientibus diſcutientibusq; coërcetur. Animum hîc etiam ad victum aduertere oportet, vt calidior ſit. vitadus q; eſt omnis copioſior, & æquæ potus, necnon olera omnia. Quòd ſi ſpiritus craſſus cutem intendit, oboritur inflatio, quæ fomentis ſiccis ac diſſlantibus aboleri ſolet. Incipientem affectum, flatum diſcutientibus, & medicamentis quæ poſtea proponemus, eruere oportet: nempe ijs quæ cutem rarefacere, & craſſum caliginoſumq; ſpiritum extenuare valent. Ad artuum verò luxationes ac contuſiones, vales ſuccida Lana, aut ſpongia aceto cui oleum admiſtum ſit imbuta & impoſita. Cùm caro colliſa eſt, & ſanguis per ſubſultionem profluit, & percolat, diſcutientibus vtemur. Porrò effuſiones, quas ἐκχυμώματα appellant initio ſcalpello incidentes, ita poſtea reliquam curationem moliemur. Ad inueteratas autem radicula cataplaſmatis in morem agglutinata accommodatur: ſed vbi rodere cæperit, auferenda eſt. Succus quoq; eius cum mica panis imponitur: quæ omnia in inſequentem librum reponimus. Scire licet, ruptiones omnino cum effuſionibus oboriri, atq; à moderatè calidis medicamentis inſtaurari.

Actuarii Joannis filii Zachariae operum - page 345 sur 731

at si altius corpus peruaderint, acriora, magisq; incidentia exhibemus. Nec inutilis est hic cucurbitulæ vsus: nam si euestigio tota effusio euocatur, caro dehiscens prompte coalescit: sin verò vetusta euaserit, & sordes succreuerit, ruptio in posterum conglutinari coireq; non posse videtur: nam labia tantùm sibi inuicem admouentur, ita vt quæuis occasio facilè ea dirimat, quòd spatium medium sanie repleatur: & continua quodammodo effusio & ecchymoma gignatur, similis illi quæ initio ex sanguine constabat. Aristolochia igitur rotunda ruptionibus & conuulsionibus est accommodata, quemodo & maioris centaurij radix, eiusq; succus, rheum, costus, & bdellium cum oxymelite potum. Scirrhus exquisitus, qui sensu iam caret, & medicamenta renuit, incurabilis est, sed nec alter, qui mediocrem habet sensum, facilis curatu est. Curantur itaq; discutientibus simul & emollientibus, quales sunt medullæ & adipes maximè animalium ægrestium, adhæc, ammoniacum, bdellium, & styrax: atq; hæc in totius corporis scirrhis applicantur. Verùm si tendines aut ligamenta afficiuntur, ignitus pyrites aut molaris lapis est acerrimo aceto restinguendus, & vapor inde exhalans laborante loco excipiendus est: ac post id emolliens iterum est adhibendum, idq; alternis vi-

cibus

©BIUM

cibus agẽdum, donec ſcirrhus planè euanuerit. Strumæ eidem cui ſcirrhus ſubiiciuntur curationi: priuatim tamen lupinorum amarorum farinam in oxymelite decoctam cataplaſmatis modo induces, aut bubulum fimum aceto incoctum: hoc humores etiam omnes induratos diſcutit. dicemus autem de his quoque infrà. In ſteatomatis & atheromatis, ac meliſauijs conſilium eſt, id quod continetur diſcutere, aut medicamentis exedere, vel excindere. Meliſauio, (ita iam μελιτηρίδα interpretamur,) triplici hoc conſilio, ac ſcopo ſubuenimus, quippe quod tenuiorem humorem obtinet: at atheromati duplici ratione opitulamur. nam & ſectione auferre, & medicamento exeſſe licet: ſed ſteatoma quod neq; exedi, neq; diffiari poteſt. ſola manus opera curatur. Porrò ad ſuum tenella fici folia, aut cucumeris ſatiui radix, vtraq; cum melle impoſita valent, atq; in ſumma, cuncta quæ detergere, ſuperuacaneumq; humorem exhaurire ſolent, prodeſſe cenſentur. Cæterùm articulorum contractiones, quas ἀγκύλας, & ἀγκυλώσεις nominant Græci, ob humorem impactum, aut nerui affectum quempiam in artubus oboriuntur: & laxante, mollientiq; vi præditis curari poſſulant, quorum materiam in ſequentibus trademus. Thymos, qui ita per tranſlationẽ à thymorum

corymbo

corymbis appellantur, quiq; σῦκα & συκάμινα etiam Græcis, & Latinis sici nominantur, calx, auripigmentum, veratrum, vitrum, piper, æquis portionibus læuigata, & tithymali liquore subacta, atq; assiduè imposita delere est persuasum: atq; vt vno verbo dicam, omnia quæ excedendi detrahendiq; vim obtinent, sunt idonea. Qui nuncupantur dracunculi, & Ἀρανιτικὰ Græcis, in regionibus supra Ægyptum potissimum proueniunt, sunt animalia, quæ in musculosis partibus, puta brachijs, fœmoribus, & suris: atq; in pueruli in lateribus etiam ceu lumbrici gignuntur & mouentur. Vbi inueterauerint, locus linescit, & suppuratur. Hi ei rationi curandi, quæ putrescentibus & tineas obtinentibus partibus competit, subijciuntur. Atque hæc ac eiuscemodi varia sunt vitia, quibus singulæ corporis partes infestantur: satisq; ijs quidem qui breues esse laborant, de singulis est pertractatum. Verùm quia omnibus partibus commune est vlcus, quod variam induit figuram (nam aut cauum est, aut læue, aut nimis quàm excrescit, aut carnem depascit, vel alia quadam forma conspicitur) vbi postremo loco eius quoq; medendi rationem exposuerimus, extremã huic nostræ de curandi methodo commentationi manum imponemus. Proinde quia simplex vlcus, est partis

cuiusp

cuiusſiam diuiſio. ſi quis quæ diſſident, vinculo in ambitu iniecto, contraxerit, quæ diducta ſunt citra aliam operam coibunt: potiſſimum ſi ſatis ſanguinis fuderit, agreq; excrementis vacet, neq; prauis ſuccis abundet. Præterea agglutinant vlcera, quercus, & ſalicis, & braſſicæ folia cataplaſmatis modo inducta: plantago item & papyrus, quæ in poſca aut vino maduerit, circunquaq; impoſita. Recentia verò committunt pinus piceæq; folia, & equiſetum, etiam ſi nerui fuerint diſſecti. Ea quando initio inflammata ſunt, nec ſuppurarunt, concoquunt, & ad ſuppurationem perducunt, ſimplicia, aquæ puræ fotus, farina tritici, anthalica, vel panis, aut gluten, quo ad libros vtimur, cum terebinthina cataplaſmatis more illita: cera item, crocus, thus, pix, adeps, ſuillus, butyrum, reſina, galbanum, myrrha maſtiche: compoſita verò, quæ ex ijs miſcentur, & quæ poſteà trademus. Cauum vlcus, vt deficiens caro ſuppleatur, exigit: materiam ei præſtat ſanguis commoderatus ac probus. Verùm quia eius excrementi quod euacuatur, tenuior pars vlcus humidius efficit, craſſior verò adhæret, & ſordes fit, idcirco medicamenta quæ modicè ſiccant & detergent opus habet: eiuſcemodi ſunt, farina hordeacea, itis, ariſtolochia, thus, cadmia. Quod ſi dum hæc moliris, ſordes apparet,

& vlcus

& vlcus humidius redditur, ſcire licet, medicamentum minus quàm res poſtulat, exiccare: quare mellis admiſtione erit intendendum: ſin purum aridumq; reperitur, plus quàm par eſt exiccat, & oleo addito remitti debet, ac ceratum adhiberi. Accidit quoq;, vt cùm medicamentum potentius eſt, aliquid carnis liquetur, ac ſordidum humidumq; ita vlcus conſpicietur: ſed id dum colliqueſcit, cauum magis redditur, labia tument, & rubet, ac inflammationem quãpiam præ ſe fert, ægreq; mordetur: quare quædam quæ mitigandi vim poſſident erunt commiſcenda, quo partes quæ inflamtione tentantur, leniantur. Sordida autem vlcera, ſiue cauа fuerint ſiue plana, ſcitè repurgat ariſtolochia cum melle, terebinthus cum roſacei melliſq; æquis portionibus (aut roſaceo butyrum ſubſtituatur) iris, oliuæ colymbades, cataplaſmatis modo impoſitæ. Iis quæ nimis quàm ſordent, & paſcendo ſerpunt marrubium cum melle conuenit. Et quæ ſuperexcreſcunt, per validè exiccantia caro detrahitur, qualis eſt ſquama æris & oſtrea omnia vſta, & ſory, & flos æris, ſalesq; cremati. Ad nomas verò & putrilagines valet vini, & aceti, & aquæ marinæ, necnon decocti malicorij, ſylueſtris punici florum, baccarum myrti, lenticuleq; fotus. Cataplaſmata quoque ex farina

farina erui, & alumine, in eundē vsum confor
mantur. Idem præstat asbestos lapis, chalcitis,
cucurbitæ siccæ crematæ cinis, & anethi vsti,
aut peucedani radix arida. Ea quæ cicatricem
obduci desiderant, exiccantes carnemq; astrin-
gentes curamus: ad eum vsum idonea sunt
galla, malicoria, myrti folia, myrrha, argenti
spuma, & ostrea cremata. Quando cutis quæ
vlceribus adiacet, longiori temporis spatio
cum subiecto corpore non coalescit, sinum, &
Græci κόλπον eiusmodi affectum nominant.
Secandus igitur est, vt infra effluat, nisi vlcus
decliue deorsum vergit: dehinc ea adhibenda,
quæ glutinandi facultatem habent. Digno-
sces autem an sinus altior pars coaluerit, si sa-
nies pauca & cōcocta, aut omnino nulla ema-
nat: præterea si eodem in sinu neque dolor
quispiam, neque tumor sentitur, sed locus sub-
sedit, ac aridus est, doloriq; expers. Quòd si
pus quoque probè concoctum exiguum in vl-
ceris osculo conspexeris, bene sperato. Fistula
sinus est callosus, ex abscessibus plerūq; oriens,
sumpta per trasla tionem appellatione à passim
ita vocatis fistulis. Quare si ad os vsque per-
uenit, fieri nequit vt sine manus opera cure-
tur, nisi temporis spatio squama sua sponte aut
os abscesserit. At si eò non pertingit, medica-
mentis callū demolientibus & agglutinātibus
curabit.

curabitur. Veratrum igitur nigrum impoſitum, duorum trium've dierum ſpatio callum elidit, & amurca cocta offuſaq; , & ſory crudum aut vſtum cum pauxillo vino bene diluto, aut elaterium terebinthina exceptum in collyrium efforma ac impone. Feſtucas verò & paxillos educunt, vtraq; anagallis, ariſtolochia rotunda, ammoniacum cum melle, & arundinis radix, ipſa quoque cum melle. Porrò quia nerui vulnerati, ob nimium ſenſum inflammationem dolorem'q; excitant, & febres conuulſiones'q; accedunt, atq; interdum deliria quoq; ob eam quam cum cerebro obtinent continuitatem, oboriuntur, huiuſcemodi curandi rationem requirunt: cauendum eſt ne cutis coëat, vt per eam ſanies promanet: ac medicamentis reſerantibus & aperientibus vti decet, quale eſt quod ex euphorbio conficitur, nulli ſecundum, quod'q; ad canis rabidi morſum impoſitum valet: quoniam eiuſmodi morſus patere debent, quo id quod à veneno vitiatum eſt effluat. nam ſi præpropere affectus cicatricem contrahit, virus interceptum ad præſtantes vſq; partes procurrit, atque in furorem, ac malum quod ab aquæ formidine ὑδροφοβικὸν appellant, hominem conjicit. Verùm de eo, ac reliquis venenatis, in ſequentibus, vbi & quæ medicamenta poſtulã, trademus. Quod verò nunc

propoſi

propoſitum eſt medicamentũ, accipit aceti ſextarium, picis liquidæ libram, opopanacis vncias tres. hoc impoſitũ ictus conniuere non permittit. Verùm quorſum pertinet medicamentorum compoſitiones ita diſcerpere, cùm liceat eas in vnum volumen concludere, atque inde ex vſu quem fronte inſcriptũ præ ſe gerunt, quæ vnicuiq; affectui conueniant, colligere, ac citra dubitationem intrepidè adhibere, cùm iam quatuor ſuperioribus libris ſatis explicatũ ſit, quibus nõtis diſcerni, & qua quiſq; ratione curari debet. Quare in ijs vnuſquiſq; ſe exerceat, ingeniumq; acuat: ſiquidem cognita methodo, integrum erit ei quidem qui ſedulò mentẽ adhibuerit intelligere, quodnam medicamentum ex ijs quæ explicabuntur, priuatim congruat, eidemq; aut addere, aut detrahere, prout methodus hortabitur. nam qui ſcopum ſibi propoſitum percepit, is quoq; an hoc medicamentum huic morbo huius hominis competit, nouerit, atq; an intendendum ſit vel ſecundum totam ſuam qualitatem, vel ſecundum aliquam eius ſpeciem non ignorabit: ſiquidem non omnibus eodem modo, eadem medicamenta, ijſdem morbis exhibere decet; quòd temperamentum, conſuetudo, ætas, anni tempus, & vniuſcuiuſq; ſenſus, ea haud parum inter ſe diſcrepare faciant. Cæterùm hæc antea quoq; monuimus: atq; ex

ijs quæ tum explicata fuere, tum deinceps tradentur, vnusquisq; quod res exigit ratiocinatione consequi poterit. Quare cùm hic liber suam sit nactus molem, æquum est vt ei iam finem imponamus.

ACTVARII ZACHARIÆ METHODI MEDENDI, LIBER QVINTVS.

*

De medicamentorum compositorum formis. CAPVT I.

ABSOLVTIS quatuor libris, cum iam tibi annectimus, qui totius operis Quintus est, & medicamentorum compositionem complectitur: in quo tamen quo pacto ea decoqui, teri ve, aut alia ratione parari debent, haudquaquam explicabitur, quippe cùm id breuem admodum orationem efflagitet: (licet, vbi res ita postulabit, neq; id genus à nobis negligetur) sed quemadmodum in singulis ægritudinibus componenda comm

commiſcendaq; ſunt, atque ex quibus quót ve ſimplicibus conſtrui oportet, trademus: quin etiam ſi qua ex ijs ad plures vſus accommodantur, quibus potiſſimum affectibus opitulentur, proponemus: hoc enim modo vel ex ipſis, quas fronte gerunt, pollicitationibus, vulgus quoque ea rectè applicare poterit. At qui dignoſcere, atque ex medendi ratione iudicare ea valebit, hic nõ modo tutò ipſis vtetur, verùm eorum quoque exemplo alia commiſci, ac condere poterit, ceu in duobus tribúsve medicamentis, perinde ac formula quapiam, viam ac rationem poſtea oſtendemus. Itaque quædam compoſitorum medicamentorum, de veterum commentarijs decerpta, alia à nobis iuxta medicorum artem edita, huic libello inſerentur: quæ tamen ſingula non niſi vbi experientia fuerint comprobata, erunt huic rei ſuum ſtudium impendentibus, deligenda. Verũ quia ab vniuerſalioribus viſus ad particulariora & mediocriora noſtra proceſſit tractatio, age in compoſitis medicamẽtis eadem ratione ac via inſiſtamus. Cæterùm ignorare minimè decet quòd ex ijs quæ ingeruntur, alia trita ſolùm, ac in læuorem redacta exhibemus: alia liquore quopiam idoneo ſubigimus, & vel plana fingentes in circuli figurã efformamus, quæ τροχίσκους Græci, nos paſtillos

Actuarii Joannis filii Zachariae operum - page 355 sur 731

nuncupamus: vel in exiguos globulos cogimus & à deglutiendo καταπότια illi, nos ferè pilulas appellamus: aut aqua decoquentes ad tertias, & collantes, eum tantum liquorem iam medicamento sum vsurpamus: aut cum altero quopiam, puta vino, melle, sapa, vel eiusmodi alio coniuncta propinamus: aut quod portione ijs respondet, σάυχαρ nuncupatum, vel mel, prout expedire arbitramur, denuò cum medicamento, quousq; concreuerit, ac constiterit, coquimus: & σεσάπων, vel ζυλάπιων, nos verò hodie ferè syrupum vel iulepum barbara voce nominamus. Quin & alia conficimus, quæ in pila terimus, & melle subigimus, quæ ἀντιδότους, nosq; antidota vocamus, perinde ac fructus temporarios quosdam coquimus, vel crudos etiã læuigatos, atq; melle donec planè coierint excoctos, in bellariorum, quæ πέμματα Græci dicunt, formam redigimus. Eorum verò quæ exterius admouentur, quædam sunt vnguẽta, suntq; quæ illita tantũ opem ferre ferunt. tur, alia sunt emplastra, quæ linteis expansa, vel tenuibus pellibus inducta, imponũtur: alia appellantur ἐπιθέματα, quæ nequaquam proprio lentore, sex externis fasciis constricta adhærent: alia sunt velut trituræ quæ pulueres et ῥοπία Græcis dicuntur. Sunt & quæ ceu collyria efformamus, eaq; liquore quopiã diluimus,

atq;

atq; ad cotem terimus, profluëtiq; humore vtimur quemadmodum in ocularijs medicamentis facere consueuimus. Atq; hæc, & id genus alia sensibus deprehenduntur. Porrò tibi, vt qui hæc nouisti componere, & formas, figuramq; variare & contemperare, ac intendere remittereq; medicamenta, pro ægrotantium affectione licebit.

De potionibus febricitantium, eorumq; affectuum qui febres comitantur. CAP. II.

Implicissimum igitur inter potiones febrientium est medicamentū, (inde enim est exordiendum,) quod ex sacchare & aqua coquentes paramus: secundum verò locum tenet, quod ex violarū succo & sacchare quoq; conficimus: hoc thoracis vitijs ob suum lentorem opitulatur: atq; alioqui bilis acrimoniam obtundit. At quod ex nymphæa floribus & sacchare miscetur, vehementioribus febribus magis accommodatur. quin & dolores quos bilis creat, capitisq; feruores retundit: quemadmodum quod solo constat aceto, capitis ex calore natam molestiam lenit, flauamq; bilem demolitur, capit aceti libram, & saccharis libras duas. Est et aliud exosacchar è radicibus valens aduersus adustos humores, quod ventriculum repurgat, iecur roborat, & calculo laborantibus prodest, ratio eius componendi

Actuarii Joannis filii Zachariae operum - page 357 sur 731

hæc eſt. Corticis radicum apij, fœniculi, & intubi ſatiui, ſingulorum ſextantem terito, atq; in aceti libras tres coniectas donec binæ libræ ſuperſint coquito. itaq; noctem ac diem ſinito, deinde vbi ſubegeris, ac ſordem deterſeris, binas ſaccharis libras adijcito, ac vſque ad mediocre craſſamentum coquito. Aliud exoſaccharum ex cotoneis, corpus refrigerat, confirmat ventriculum, appetentiam excitat, & cor iecinoris q; æſtate exhilarat. Accipit ſucci cotoneorum libram, aceti ſelibram, ſaccharis libras duas, coquitur vſq; dum ſpiceſcit. Aliud ex roſis ventriculum refrigerat, ſimul & roborat, vapores ad cerebrum exhalantes compeſcit, & calori iecinoris opitulatur. Aliud è ſantalis valet aduerſus iecinoris calorem, & ſitim ſedat. Aliud è malis dulcibus & acidis ventriculũ & iecur firmat, vomitum diſcutit, & appetentiam inuitat. Aliud ex Damaſcenis, quod ad ventrem exonerandum confert, & bilis ſanguinisq; feruorem demolitur. Aliud è Zizyphis ad ardentem febrem, purgat & ſanguinem, & tuſſi, ac ex calore deſtillationi ſuccurrit. Aliud ex vuis acerbis, aduerſus ſuauam bilẽ, & iecinoris calorem pollet: ventriculũ firmat, ſitim ſedat, vomitum compeſcit, & aluum ſolutam ſupprimit, febri item ex ſanguinis putredine natæ auxiliatur. Accipit ſucci vuæ acer-

ba

©BIUM

bæ libram, ſaccharis libras duas. Atq; de his hactenus. Tu porrò qui reliquorum ſimpliciũ medicamentorum facultatem non ignoras, poteris ab huiuſmodi via ac ratione adiutus ſimplicia & vnius generis, ac varia medicamenta componere. Non enim ſolùm hæc atq; eiuſmodi alia medicamenta in febrientiũ gratiam paramus, verùm etiã ex permultis ſimplicibus ſpeciebus varia condimus, quæ cùm componuntur, partim vnum eundemq; ſpectant ſcopum, partim ob varia ſymptomata, variè & ipſa commiſcentur. Nam ſi laborantẽ tantùm refrigerare, exempli gratia, cupimus, violas & lactucæ ſemina, ac nymphææ flores, aliaq; id genus permiſcemus, quæ cum ſaccharo donec ſpiſſitudinem quampiam acquiſierint, coquimus, idq; cum frigida propinamus. Quòd ſi calidam putremq; materiam ad vrinas deducere volumus, ijs intubi ſatiui, vel erratici radicem, & aſparagorum coliculos, & cucumeris ſemina, necnon ſolani fructum, atq; alia eiuſmodi admiſcemus. Quemadmodum ſi ventrem mollire fuerit animus, pruna, & præcipuè Damaſcena adijcimus, atq; quippiam frè nigræ nominatæ caſiæ. Eſt autem fructus eius ſiſtuloſus & oblongus, nigrum intus humorem concretum geſtans, qui haudquaquã vna cõtinuitate coaluit, ſed ex interuallo tenuibus

ligniosiq; membranulis diuimitur, habens ad speciei propagationem grana quædam seminalia, siliquæ illi quæ nobis innotuit, adsimilia. Hoc medicamentum, si vel solum exhibetur, bilem retorridam citra molestiam expurgare potest. Quare ijs qui ob imperfectam ætatem, aut aliâ quamuis occasionẽ, medicamenta purgantia non ferunt, hoc intrepidè damus, & satis placideq; purgamus. Porrò, tu alia quoq; quæ ventrem mediocriter emolliunt, prædicto medicamento adijcere poteris: cuiusmodi est integra portulaca, atriplex, mercurialis, & malua: horum enim cuiusq; feruefacti cremorem, quem reddunt, aluum mollire nouimus. Deniq; si sacchar decoxerimus, ac nonnulla ex iam dictis commiscuerimus, medicamentum quod ventrem emolliat refrigeretq;, conficimus. At verò si aluum quæ immoderatius fertur, sistere &, aliàs corpus refrigerare tentemus, suprà dictis refrigerantibus & rosas, & myrti baccas, si opus sit, & rhoem culinarium, et eius generis alia, adijcimus. In quibus tamen vetustum esse ventris fluxum, ac humorem etiamnum turgere non nescimus, ea quæ vrinam cient, astringentibus, refrigerantibusq; commiscemus: quo nimirum profluuium alio auocatum deriuemus: nam nisi hac via confluentem fluxionem tractemus, & per

astrin

astringentium supprimentiumq; vim exitus ei præcludatur: ventris sanè ac pedum tumores quospiam procreabit: atq; his ita medemur. Simili modo si febrientes frequenter bilem euomunt, & iam vomitus modum excedit, paulò antè commemoratis refrigerantibus vuæ acerbæ succum, & portulacæ semen, quæ biliosis vomitionibus opem ferunt, admiscemus. Iecinoris verò quod ob intemperiem feruoremq; laborat, oxyacanthæ succum, baccas ve refrigerantibus comiscentes succurrimus: adhæc santalo quod vocant, intubiq; semine, ac succo, & quæcunque refrigerant simul & mediocriter astringunt: hæc enim cùm refrigerant, tum iecinoris vires recreant. Quòd si quando ventris fluxio intestina vellicet, vulnusq; infligat, ita vt intestinorum difficultas oboriatur, & sanguinem ferri videas, cum refrigerantibus & astringentibus, ea quoq; quæ sanguinem sistunt coiungito: qualia sunt hypocystidis, plantaginis, & sanguinalis herbæ succus: succinum item, lapis corallius, & hæmatites, Lemnium sigillum, & qui draconis sanguis appellatur, et quodcunq; tandem medicamentum in intestinorum difficultatibus assumi non ignoras. Eadem in sanguinis quoq; reiectionibus auxilio esse putantur. Cæterùm cùm iam pus educitur, & tussis lacessit, astringentia demenda sunt,

& ſolis ſanguinem cohibentibus, & modicè refriger antibus ſi homo incaleſcit, vti cõuenit: hic verò emolluentia, concoquentia, quæq; lentore quodã non carent, abundare debent: eiuſmodi ſunt violæ, cucumerum ſemina, ſeminis cotoneorũ pſilliq; ſuccus, althææ & maluæ ſemen, dulcis radicula, & adiantũ. Concoquunt enim, & pus eductu facilè reddũt. Quòd ſi lentum glutinoſumq; fuerit, marrubio & hyſſopo commixto, diſſecantes attenuantesq; auxiliamur. Quemadmodum ſi per vrinaria vaſa ſanguis profluit, vnà cum aſtringentibus, ſanguinemq; inhibentibus, quædam quæ modicè vrinam commouent, miſcere oportet, non quo eam cieamus ſed vt per vrinã pellentia, ijs quæ ſanguinem ſiſtunt, viam ſternamus: nam alioqui periculum foret, ne ita dilacerato vulnere, humor quiſpiam eò confluueret. Verumenimuerò vbi præter inhærentẽ calorẽ obſtructione quapiam viſcera etiam corripi ſuſpicabimur, inibi cum ijs quæ modicè refrigerent, quædam quoq; quæ humores tenuent, & meatus infarctu vindicent, commiſcebimus: & ſi cum duritia & mole quapiam obſtruentes viſcera affectus adſint, ea quæ emolliunt & concoquunt, adſumere conuenit. Erunt porrò ex refrigerantium numero, viola, intubum ſatiuum & erraticum, portulacæ ſemen, & conſimilia: ex attenuant

tenuantium verò & infarctus expedientium, ac humores ad vrinam detrudentium classe, sunt radix fœniculi apij, & anethi, horumq; semina: adhæc anisum & carum. Cùm autem insignis calor non adest, simul adsumere oportet & petroselini semen, acorum, capparis radicem, trissaginẽ, centaurium, et id genus alia. hæc enim magis concoquere, & meatus reserare censentur. Simul atq; meatus modicè recluseris, conuenit althæa & maluæ semen, eupatorium, buglossum, buphthalmũ, & præ cæteris chamæmelum, item sertula Campana, dulcis radicula, atq; eiusmodi alia, quæ cũ sacchare paramus, pro ratione caloris qui magis aut minus succenditur. Verùm cùm frigus magis præualet, præstat cum melle aut vino potiones concinnare. Atqui omnia ea hîc deuitanda sunt, quæ insigniter refrigerant. Si stomachus venterq; frigoris vitio laborat, prodest piper, Zinziber, & agalochum, calamus item aromaticus, cinamomum, & reliqua odoramenta: adhæc semina eorum quæ flatus discutiunt, qualia sunt, fœniculi, anethi, cuminũ præterea, & seseli, libysticũ, carũ, & eiusmodi: multoq; magis, si spiritu venter inflatus distenditur.

Porrò visceribus à crudorum humorum copia grauatis, aut in molem sublatis, et iam indu-

ratis, adsumenda sunt, quæ potentius infarctus

ctus extricant, cuiusmodi est trissago, & aiuga, centaurium, & amygdalæ amaræ, acorum & iris, enula Cãpana, & polium, calcifraga, ac reliqua eiusmodi: insuper meum & hypericum, phu, stœchas & parthenũ. hæc enim atq; id genus alia obstructis visceribus satis opitulari creduntur: quinetiã incipiẽtibus aquæ inter cutem effusionibus, & habitui malo auxilio sunt.

De antidotis & iis quæ intus assumuntur. CAPVT III.

Æterùm ne vnà cum remedijs in huiusmodi potionibus copiosior humor introducatur, imbecillioraq; videantur medicamenta, antidoti ex herbis, succis, lacrymis, seminibus, radicibusq; compositis, & accuratè læuigatis, ac cum melle in vnitatẽ coactis, excogitatæ fuerunt: quibus magna ex parte, ex rerum calidarum mistione coaceruatis, nõnunquam quædam quæ mediocriter, aut etiam validè refrigerãt et stupefaciunt cõmiscemus: quo nimirũ quarundã partium cõtrarias affectiones contẽperemus, aut alicuius mẽbri dolentis sensum hebetemus: quẽadmodũ in medicamentis quæ ab intestino laxo cui adhibentur, κωλικὰ Græcis appellantur, facere consueuimus. Sic & purgantia quædam injicientes, ijs prout conuenire arbitramur, purgamus: perinde atq;

in vos

in vocatis ſerapijs facimus. Verùm vt plerunq; ex calidis medicamentis, ac melle antidotos concinnamus: ita interdum ex frigidis medicaminibus in læuorem diligẽter redactis, ac cùm refrigerante ſimplici zulapio quopiam vnitis, refrigerantes antidotos conficimus: quo modo nonnunquam quoq; refrigerantia, vt dictum fuit, zulapia condimus, eodem modo diuerſos paramus paſtillos, refrigerantes videlicet & ealefacientes, aut aliud quippiam efficientes. Hos autem ita concinnamus: ſimplicia medicamenta, quæ ad conſitionem idonea eſſe cenſentur, in læuorem redigimus, eaq; cum liquore aliquo conuenienti ſubacta, in orbiculos mediocres cõformamus quos, quãdo vſus poſtulat, cũ aqua aut vino, vel ſucco quopiã, prout magis conducere opinamur, tritos, bibẽdos damus. Nec diſſimili ratione catapotia facitamus: ea in medicamentis purgatorijs, ob ſuam quam obtinent inſuauitatem ferè excogitata fuerunt quo plurima ipſorum iniucunditas deuorantes lateat, et ne ventriculum, propria nonnunquã onuſtum humiditate, aduentitijs humoribus grauemus. Poſtremæ ſimpliciſſimaq; omnium quæ interius adhibentur, ſunt trituræ, & pulueres, quæ ſimplici ratione ita offeruntur. Hæc ſanè longo tempore durare nequeunt, quòd facilè ac celeriter eorũ facultas diſſipetur: quare

vt eam

vt eam tueamur in denſis vaſculis, ne imprudentibus nobis imbecilliora reddantur, ſeruare oportet. Porrò melius & diutius catapotia & paſtilli aſſeruantur: damnatur autem vbi temporis longinquitate humiditas eorum exhauſta eſt. Plus ijs temporis durant, tanti ſint cocta dum exquiſitam conſiſtentiam acquiſierint, ſerapia, vel zulapia, voces enim vt lubet licet, barbaris ita nuncupata nominibus. Cæterùm quæ nos coquentes herbas quaſdam adiecto mediocri melle, χυλάρια quaſi ſuccatiunculas nomines, appellamus, ægrè duabus dierum ſeptimanis conſeruari queunt, quòd eorum humor corrumpitur, calorq; emoritur. Omnium verò diutiſſimè antidota perdurant, quòd ea ſit mellis natura, vt cuicunq; permiſceatur, id diu vegetum permaneat. Omnia tamen tempore improbantur, & facultate inferiora euadunt: & ſi vltra progrediantur, reliquum quoq; facultatis exuunt. Porrò omnia in denſis ſolidisq; vaſculis recondita rectius propriam qualitatem tuentur. Atq; de his hactenus: haud enim decet amplius in talibus ſermonem terere. Quare unde digreſſi ſumus inde exordio reſumpto, inſtitutum proſequamur. Itaque quibus medicamentis in febribus ac ijs affectibus qui cum febre coniunguntur, ſit vtendum, quaq; ratione ipſa ſint tractanda,

abundè

alundè nobis dictum fuit. Adijciemus autem & alia, quo ex pluribus ea quæ vnicuique vitio magis familiaria sunt seligere, ac ex variis missionibus, viam rationemq; componendi comprehendere possis, ac huiusmodi negotio voti compos euadere. Quare hinc frè exorsi, de particularibus loquemur medicamentis, ac quibus ipsorum quodq; affectibus accommodetur explicabimus: deinde purgantia quoq; medicamenta resensebimus: postremo deniq; loco, ea quæ externis vitijs adhibentur, exponemus: ita nanq; de compositis medicamentis liber fælicem exitum adipiscetur. Singula igitur quæ à nobis perscribentur, primùm fronte inscriptã pollicitationem gerẽt, postea species, interdum & rationem quæ ea concinari debent, obtinebunt. Tu verò nonnulla ex ijs sumens, nulla facta innouatione, alia commutans & modicè temperamentum ac misturam varians, vbi ita quibusdam affectibus cõuenire putaueris, ob sensus promptitudinem vel difficultatem, temperamentum, consuetudinem, aut aliam quampiam ægri causam, prout te facilè voti compotem fore cõiecceris, ita facito. Porrò quòd ad medicamenta pertinet, quædam proponentur è Græcorum monumentis deprompta, alia nostro marte composita, & nonnulla è vulgò audita ac probata: nullius tamen auctoris no-

men

men inſcribetur, ne nominis cauſſa aliquo pacto ad medicamenta propenſiores ſimus, niſi in perquam paucis, idq; cogente ita neceſſitate cætera ceu mortuorum capita in cœmiterio iacebunt. Sic igitur auſpicemur.

De ſerapiis & zulapiis. CAP. IIII.

OXoſacchar concalefacta corpora potum iuuat: febribus iam vetuſtis, quos ſanguis aut bilis genuit, necnon iecinoris calori auxiliatur, & lienem infarctu vindicat. Recipit corticum radicum capparis, apij, & intuborum, ſingulorum drachmas viginti: ſpicæ, iuncí odorati, ſeminis apij, cuiuſq; drachmas quinque: foliorum roſarum rubrarum, & latiſeminis fœniculi, ſingulorũ drachmas decem. Omnia in vnum coacta in aceti acerrimi libris ſex macerentur, quod ad diluendum acorem libras quatuor aquæ admixtas habeat, & noctu diuq; ſimul perſtent: deinde molli igne ad dimidias coquantur, tum decoctum ſubigatur, ſordesq; euertatur, et fiat Zulapium. Et ſi venuſtiorem colorem deſideras, adduce croci drachmam, ſin purgatorium eſſe cupis, ſcammonij ſextulam triſto, eámque cum feruet, & depuratum fuerit, immittito. Serapium ex abſinthio, prodeſt, annuente Deo, iecinoris & ventriculi infirmitati ac incendio, lienis,

durit

duritiem demolitur, & arquato è calore nato auxilio eſt, & ſpiritus laxo inteſtino inhærentes quos calor excitauit, diſſipat, obſtructiones reſerat, & flatus diſcutit, humoresq; per vrinam propellit. Capit abſinthij ſeminis drach. viginti, caſſutæ, florum violarum, dulcis radiculæ, ſingulorum drachmas decem, adianti, radicis iunci odorati, marrhubij, lati ſeminis fœniculi, aniſi, cuiuſq; drachmas quinq;, ſpicæ indicæ, foliorum eupatorij, corticis caſſiæ, coſti Indici, ſeminis apij, folij Indici, nepetæ fluuiatilis, ſingulorum duellam. Omnia in vnitatem coacta & contuſa, in aquæ perquam calidæ libris octo macerato: itaq; noctem ac diem ſinito, dehinc lento igne tantiſper coquito, dum dimidium ſuperſit, tum ſpurcitia deterſa, iterum ſpecies cum ſex aquæ libris igni admoueto, coquitoq; donec binæ libræ relinquantur: et ſubactum repurgato, ac cum priori decocto purgato vnà cum tribus ſaccharis libris ad ignem reducito, ac ad conſiſtentiam coquito. Datur eius vncia. Zulapium contra tuſſim, ſuſpiria, febrem, ſitim, ventriculi calorem, & capitis laborem: ſaccharis libræ quinque, aquæ libræ decem: bulliant vſq; dum in conſiſtentiam coaluerint: ſtillatitij roſarum liquoris libra vna, cum ijs ferueat donec liquor abſumatur, & ſacchar remaneat, atque vbi refrixit, caphuræ

Actuarii Joannis filii Zachariae operum - page 369 sur 731

©BIUM

grana quinque adiice. Zulapium tussiculare praestantissimum: dulcis radiculae drachmae viginti, radicis fœniculi, apij, adianti, Zuphae, (quod hyssopum interpretantur) singulorum drachmas decem, seminis cotoneorum, & fœniculi, anisiq; cuiusq; drachmae quinque, seminis maluae, angurij, peponis, tragacanthae, & lupinorum singulorum drach. tres. Zinziphorum, myxariorum, singulorum numero quadraginta, uuarum passarum nucleis emundatarum sextans, ficuum candidarum uncia. Haec omnia noctem et diem in decem aquae libris madeant et ad dimidias coquito: deinde ubi detorseris sordes, saccharis libras duas addito. Zulapium alterum aduersus iecinoris calorem, & sitim quam bilis excitauit, & aduersus tenebricosam vertiginẽ, quod viscerum infarctus expedit, & ventriculum roborat: violarum seminis portulacae, seminis intubi, singulorum semunciam, intubi erratici, radicis intubi domestici, eupatorij, singulorum uncia, santali rubri, rosarum seminis capitum papaueris, singulorum sextula, seminis cucumerum uncia, saccharis libra.

Aliud antè dicto frigidius, aliud emolliens habet nymphaeae florum semunciam, seminis portulacae drachmam, seminis cucumerum, intubi erratici, singulorum sextantem, oxyphœnicis quadrantem.

quadrantem. Damaſcena pruna quinq; et qua
draginta, Zinzipha numero quadraginta quin
que, myxaria triginta quinq;, aceti tenuis &
cādidi ſextātem, ſaccharis libras duas. Aliud
quod bilis in vomitum, aut inteſtina impetus
ancipites immoderatosq; coërcet. Roſarum ſe-
muncia, portulacæ ſeminis ſemuncia, oxyacan
thæ fructus vncia, ſpodij duella, ſucci vuæ im-
maturæ, radicum ſylueſtris intubi, acinorum
ſolani, ſingulorum vncia, ſaccharis libra, ma-
lorum, & punicorum ſucci, ſingulorum trien.
Aliud quod immodicas acresq; ventris fluxio
nes ſiſtit, ac in difficultate inteſtinorum bilis
propenſionem in inteſtina, ad vrinam dedu-
cit, & calorem exuperantem obtundit. Habet
ſucci oxyacanthæ ſemunciam, baccarum myrti
ſextulas quinque, roſarum vnciam, ſpodij ſe-
munciam, acinorum maiorum ſolani, quam ve
ſicariam appellamus, ſextulas quinque, radi-
cum apij & fœniculi, & tenerorum aſparagi
turionum, qui cocti ſunt edendo, vnciam, ſemi-
nis capitulorum papaueris ſemunciam, ſaccha
ris ſeſquilibram. Aliud ad cruorem per aluum
ſecedentem, & dolores ac frequens deſidendi
deſiderium & immodicos ventris fluxus. Plan
taginis, herbæ ſanguinalis, hypocyſtidis, ſingu-
lorum vncia (quæ ſi deſunt, dimidium ſucci
eorum ſufficitur) ſeminis acuti rumicis, ſemi-

nis capitum papaueris, vtriusque semuncia sanguinis draconis sextulæ quinq;, croci sextula, boli Armeniaci. Lemnij sigilli, vtriusque semuncia, rhois obsoniorum vncia, florum mali punicæ, rosarum Ægyptiarum, vtriusq; sextulas quinque, vinaceorum vncia, saccharis libræ duæ. Aliud aduersus strigmenta, quæ in vrinis apparent, & renum inflammationem, calculosq; ibi concretos. Accipit radicum apij & fœniculi, pastinacæ syluestris, parietariæ, sideritidis, singulorum vnciam, ficorum pinguium sextantem, cicerum nigrorum, quæ arietina nominatur, quadrantem; seminis althææ & paliuri, vtriusq; sextulas quinque, saccharis libras duas. Aliud ad sanguinem aut pus, quod à renibus aut vesica fertur, aut tussi vomitione've educitur: cucumerum seminis vncia, seminis capitulorum papaueris, rosarum, vtriusq; semuncia, amyli, lemnij sigilli, boli armeniaci singulorum duella, dulcis radiculæ, seminis althææ, vtriusq; sextula, spodij semũcia, corallij & succini, vtriusque sextulæ quatuor, seminis cotoneorum semuncia, saccharis libra. Aliud ad cordis palpitationem, sensuúmque difficultatem, & inuoluntarios planctus, ac tremores inde profectos. Constat trium santalorum sigillatim sextula, violarum semuncia, seminis basilici duella, rosarũ tantundem, florum

bugl

bugloſſi & buphthalmi, vtriuſque ſextulis quinq;, xylaloës duella, ambaris ſextula, croci duella, caryophylli & nucis muſchatæ, vtriuſq; ſemuncia, tenuis cinamomi ſextula, dulcis aniſi, carnabadij, & ſeminis fœniculi, ſingulorum ſextula, muſchi granis quinque, ſeminis capitum papaueris ſextula, malorum dulcium ſucci quadrante, ſtillatitij roſarum liquoris quadrante, aquæ quam intubum ſtillauit quincunce, radicum fœniculi, apij, intubi erratici & ſatiui, ſingulorum vncia, amaraci, chamæmeli, artemiſiæ, ſingulorum ſemuncia, ſaccharis libris tribus. Aliud pollet aduerſus menſes ſuppreſſos, & quæ inde oboriuntur ſymptomata. Radicum apij, & fœniculi, iridis, acori, ſingulorum vncia, amaraci, chamæmeli, & artemiſiæ ſingulorũ ſemuncia, pæoniæ ſextulæ quatuor, ſeminis thlaſpis ſemuncia, ammi, ſeminis fœniculi, mei, ſingulorum duella, ſaccharis libræ duæ: verùm præſtat, vt cum melle confi-ciatur. Aliud ad viſcerum obſtructiones & tumores, febres errantes, circuitus quartanarios, malos habitus, & aquam intercutem. Capit radicis apij, fœniculi intubi ſylueſtris & ſatiui, fumariæ, ſingulorum vnciam, triſſaginis, eupatorij, aiugæ, acori, iridis, ſingulorum ſextulas quinq;, althææ ſeminis, maluæ, adianti, bugloſſi, dulcis radiculæ, buphthalmi, ſeminis

Actuarii Joannis filii Zachariae operum - page 373 sur 731

petroſelini, mei. ſecuridacæ ſingulorum ſextulas quatuor, radicis verbenacæ rectæ, ſantali, violarum, ſeminis intubi, ſingulorum ſemunciam, ſeminis fœniculi, dulcis aniſi, maſtiches, cuiuſq; duellam, ſpicæ, croci, cinamomi, aſari, ſingulorum ſextulam, ſacchari libras tres: quod ſi calor nõ adeſt, melius eſt ſi cum melle factitetur. Hac itaq; via ac ratione Zulapia parãda ſunt: habes etiam quibus vitijs auxiliantur, atque ex iam dictis, ceu euidenti formula, & ſimilia tum noſſe, tum tuo marte componere, & de aliorum compoſitionibus iudicium ferre, quibus ægritudinibus rectius accommodantur, poteris. Si enim teipſum in ſimpliciũ medicamentorum facultate agnoſcenda exercueris, ſexcenta ſanè medicamenta ad eoſdem affectus, concinnabis: cum copia materiæ ex radicibus, fructibus, herbis, & ſuccis abundet, quæ nimirum doctorum virorũ ars, pro hominum ſalute, diligenti cum conſideratione reperit. Proinde materias inde colligens, illiſq; inſitas vires animo reuoluens: hicque ægritudinum genera diſcernens, & temperamenta, conſuetudines, ægrorumq; victus condiſcens, ſecundum demonſtratam formulam, prædictis viere medicamentis, & ea varians, ſiquando res poſtulabit, aliterq; commiſcens, de tuo aliquid adjice.

De

De pastillis. CAP. V.

DEincepi verò, vbi ceu documenti modo, de pastillis quoq; quæ opus est, tradiderimus; viamq; quæ in ipsis teneri debet, exposuerimus, mox de antidotis ea quæ compendium, quod polliciti sumus, non excedant, perscribemus. Cæterùm tibi licebit cuiusq; medicamenti rationem ac methodum edocto, quæ alia continent volumina, dijudicare, tum quibus opitulentur, tum an promisso misturæ ac temperamento satisfacere respõderé ve valeat. Pastillus ex Indico rheo, valens ad iecinoris lienisq; meatus infarctos, & ventriculum confirmans. Rosarum siccarum, absinthij, rhei Indici singulorum duella, spodij, spicæ Indicæ, iuci odorati, lachæ purgatæ, succi eupatorij, cuiusq; drachma, santali citrini, croci, & casiæ duplum, tragacanthæ, masticbes, vtriusq; scriptula duo: contusa & cribrata cum succo fœniculi subigito, & in pastillos redigito: dentur ebibendi cum aqua in qua lacha maduerit, & oxosacchare. Pastillus ex eupatorio, iecur & vētriculum iuuat, & inflationes recludit, atq; horrores febrium è pituita genitarum discutit. Absinthij, iunci odorati, succi eupatorij, rosarum seminis fœniculi, masticbes, singulorum drachmas quatuor, anisi, tragacanthæ candidæ, vtriusque sicilicus, santali citrini, spodij,

vtriuſq; ſextula. Tuſa & cribro excuſſa, cum intuborum ſucco ſubigito, & in paſtillos cogito: potui dentur cum aqua in qua lacha tacuerit, & oxymelite. Paſtillus è ſpodio, acutæ febri, & iecinoris calori ſuccurrit, & continuam ſitim ſedat. Capit roſarum ſextulas quatuor, ſpodij, ſeminis portulacæ, ſucci dulcis radiculæ, ſingulorum duellam. tragacanthæ candidæ, amyli, vtriuſq; drachmã, ſaccharis duellam: ſubigito cum ſucco pſyllij: potio ex malorum punicorum aqua. Paſtillus è roſis, cor & iecur roborat, capitis laborem abigit, quem ſanguis aut flaua bilis creauit: modus eius exhibẽdi eſt ſextula cum roſarum vel nymphææ Zulapio. Roſæ, tria ſantala, ſpodium, ſemen portulacæ, intubum domeſticum, violæ, ſingulorum ſextula. Contuſa cribrataq; cum ſillatitio roſarum liquore fermentato. Paſtillus è maſtiche, pollet ad ventriculi refrictionẽ, prodeſtq; ijs quibus ructus moleſtus eſt, aut cibus in ventriculo aceſcit. maſtiches duella, ſeminis apij & petroſelini, roſarum, ſeminis ocimi, dulcis radiculæ, ſingulorum ſextula: tuſa & incerniculo creta cum aqua apij fermententur. Alius contra calorem & ſiccitatem faucium, pectoris, & thoracis, eorumq; exaſperationem, necnon pectoris & ſepti tranſuerſi incẽdium. Habet gummi, tragacanthæ, ſeminis portul

portulacæ, cotoneorum, & althææ, singulorum duellum. succi dulcis radiculæ sexiulam, seminis cucumerum, & lactucæ, lacrymæ Damascenorum, singulorum scriptula duo. Tusa cribrataq;, & cum sacchare cocta, in eo quem saliuarunt lentore subigito, & in catapotia redacta, ore dum totum dissoluatur, detineto. Alius aduersus cœliacum, quem leuit as intestinorum vel stomachus genuit. rosarum, spodij, vtriusq; drachmas quatuor, oxyacanthæ, seminis acuti rumicis, vtriusq; drachm. sex, hypocystidis, gummi Arabici torrefacti, acinorum mali punici, baccarum myrti, coriandri sicci, (quæ omnia colligentur, & noctem ac diem in acerbo aceto madeant, posthæc siccentur & torreant) singulorum duella: luti Armeniaci drachmas quinq;, farinæ zinziphorũ molitorum, & pollinis à pistrino, singulorum drachm. duæ sesquiscriptulum. Contusa & cribrata cum cotoneorum expressione, vel Zulapio baccarum myrti, aut acidorum malorum subigito. Alius pastillus, qui semel epotus prodest: malicorij, gallatum, baccarum myrti, singulorum drach. octo, rhois Syriaci drachm. viginti quatuor: tusa & cribro excussa cum vino acerbo candido subigantur. Alius qui sanguinem cum supernè per sputum redditur, cohibet, esicula venarum, thoracis & pulmonis aperta

Actuarii Joannis filii Zachariae operum - page 377 sur 731

claudit, easq; ruptas vnit, cruorem ex ictibus aut vulneribus ventriculo vel inteſtinis illatis deorſum manantem retinet, fluxum quoq; ſanguinis fœminis, ob diſruptam vteri venam ſiſtit, & ſanguinem meientibus ſuccurrit. Lutis Armeniaci, gũmi Arabici, ſeminis portulacæ, ſingulorum drachmæ quatuor, ſpodij, ſeminis acuti rumicis, ſeminis roſarum rubrarũ, florum ſylueſtris Punici, baccarum myrti, coriandri ſicci & torrefacti, amyli toſti, ſingulorũ drach. tres, acaciæ ſucci hypocyſtidis, corallij vſti, cornu ceruini cremati, cineris maiorum cochlearum crematarum, ſingulorum drach. duæ, rhois Syriaci duella, tragacanthæ candidæ, ſuccini, ſeminis althææ & maluæ, torrefactorum ſingulorum ſeſquidrachma, tuſa & incerniculo creta, cum ſucco plantaginis, vel ſanguinalis herbæ, vel alicuius conſimilis ſubigere, & in paſtillos digere, qui cum aliquo aſtringente Zulapio ebibantur. Alius contra conuoluuli affectum, è frigore contractum efficax. Abſinthij, ſeminis apij, aniſi, tenuis cinamomi, caſiæ duplicatæ, ſingulorum duella, myrrhæ rubræ, ſpicæ Indicæ, ſibrinorum teſtium, ſingulorum ſextula, piperis longi: opij, croci, ſingulorũ drachma. Tunde & cribra, & cum ſucco fœniculi aut apij ſubige. Alius arquato opem fert, ieſur & lienem obſtructionibus vindicat: hiera amara,

emaræ abſinthij ſucci eupatorij ſingulorum ſicilicus, foliorum roſarum, ſpodij, iunci odorati, aſari, folij Indici, ſingulorum drachma, lachæ repurgatæ, rhei Indici, vtriuſque drachma. contuſa & cribrata cum ſucco intuborum paſtillos conformato. Alius aduerſus ſanguinem aut cum lotio excernentes, aut ſputo reddentes, & vlcus: ſeminum cucumerum, & portulacæ ſpodij, ſucci dulcis radiculæ, ſingulorū ſextulæ quatuor, ſeminis lactucæ, & althææ, roſarum, amyli, tragacanthæ, & ſeminis papaueris, ſingulorum duella: nerij, ſeminis cotoneorum, & acuti rumicis ſingulorum duella: luti Armeniaci, acaciæ, vtriuſque ſextula: croci ſcriptula duo. tuſa & cribro excuſſa cum mucilagine pſyllij fermentantur. Alius contra diabetem: roſarum, ſpodij, gummi torrefacti, ſingulorum ſicilicus, ſantali candidi, & rubri, ſucci dulcis radiculæ, tragacanthæ, ſeminis portulacæ, pſyllij tosti, ſingulorum duella ſcriptula duo: acaciæ, florum ſylueſtris Punici, amyli torrefacti, ſeminum cucumerum, ſingulorum ſextula ſcriptula duo: capſiuræ ſiliqua, ſeminum roſarum & althææ, granorum cotoneorum, ſucci hypocyſtidos, rhois culinarij, ſanguinis draconis, ſeminis plantaginis, rhei Indici, ſingulorum ſicilicus. tuſa & cribrata cum ſtillatitio roſarū liquore fermentantur, &

cum

cum astringente quopiam Zulapio dantur bibenda. Alius ad vrinæ stillicidium quod ex vesicæ laxitate & humiditate accidit. Accipit glandium, iunci quadrati, thuris, singulorum partem: tusis cribratisq; aliquid saccharis quoq; adijce, & inde æger summo mane bibat duellam. Alius aduersus vrinæ præter voluntatem fluentis copiam. Capit rutam siccam, quæ tusa & cribrata cum melle subigitur, & bibenda præbetur. Pastillus amarus stomachicis, iecinorosis, lienosis, & arquato laborantibus salutaris: seminis apij, asari, absinthij, anisi, amygdalarum amararum, singulorum vncia. Alius è seminibus qui ijs auxilio est, quos assidua destillatio infestat & lacessit, & defluxus ad ventriculum decumbit, cibum euomunt: item cœliacis & intestinorum difficultate affectis, cum vino austero: ac sanguinem expuentibus, cum posca: datur quoq; fœminis, quarum vterus fluxione tentatur, cum decocto apij. quinetiam somnum conciliat, si cum oui luteo fronti illinatur. Lacrymæ papaueris, triens, anisi libra, seminis apij & fœniculi, vtriusq; libra, ammi selibra, herbæ apollinaris selibra. Alius è corallio ad sanguinem expuentes, cœliacos, cibum fastidientes, intestinorum difficultate laborantes efficax. Coralij, terræ samiæ, quæ ἀστὶς nuncupatur, florum sylvestris

punici,

©BIUM

punici, ſucci hypocyſtidis, acaciæ, myrrhæ, rhei Pontici, dauci Cretenſis, vuarum acerbarum ſucci, tragacãthæ, ſingulorum vncia, rhois Syriaci quadrans, radicis ſymphyti, radiculæ dulcis, Lemnij ſigilli, amyli, ſingulorum ſextula ſcriptula duo, gummi, opij, aluminis ſciſtilis, ſpinæ Ægyptiæ fructuum ſingulorum ſemuncia: excipe ſucco plantaginis, & vino auſtero. Paſtillus è veſicaria ad renum & veſicæ exulcerationes, ſanguinem lotio excernentes, muccoſa ſtrigmenta reddentes, & vehementem dolorem experientes. huius paſtilli drachmæ pondus præbetur, febri non correptis è vino dulci aut ſapa: febrientibus verò cum vino bene diluto, lacrymæ papaueris, ſeminis cucumis, ſeminis apij, herbæ apollinaris, fœniculi veſicariæ, ſingulorum quadrans, amygdalarum triẽs, croci ſextans, vini dulcis quantum ad fermentationem ſatis eſt. Alius aſter dolores lenit, omnem fluxionem cohibet, dolorem inteſtinorum omnem mitigat, deſtillationes, veſicæ vitia ſiſtit, vteri ſtrangulatus: profluuium muliebre, defluxum ventriculo nocentem, inteſtinorum difficultatem, ſanguinis reiectionem ac vomitum ſanat. Croci oboli terni, herbæ apollinaris ſeminis drachmæ quatuor, ſeminis apij drachmæ ſex, aniſi, ſtyracis, dauci ſeminis, ſingulorum ſicilicus, croci, lacrymæ papaueris, vtriuſq;

vtriusq; drachmæ tres, castorij, myrrhæ vtriusq; sicilicus (nonnulli mandragoræ quoque succi drachmas quatuor, & Xenocrates, piperis candidi drachmas sex, adiiciunt,) ex aqua in pastillos efformato trium obolorum pondere, & ex aqua potandos dato. Cæterùm pastillorum tractationi hîc finis imponatur. Potes autem ex iam dictis sumpta occasione, ipse tuo ingenio alios condere; ac de ijs quos alij composuerunt, iudicium ferre, ac cuinam vitio accommodentur discernere: quare nunc de antidotis verba faciamus.

De antidotis. CAP. VI.

THERIACE, vt quæ inter omnia antidota, ob multiplicem suum vsum primas obtineat, primùm disseremus, deinde de reliquis quoq; agemus. Verùm non omnia eadem mensura, neq; cum ijsdem liquoribus præbentur. Siquidem in exitialibus venenis, aut ferarum virus eiaculantium ictibus nucis Pontica magnitudine cum vino datur: inueteratis capitis doloribus, vertigini, auditus difficultati, oculorum hebetudini, & gustus instrumento imbecillo ac languido medetur: comitialibus item suspirijs, & recta cervice respirantibus, ex aqua mulsa pota opitulatur: quippe humores lentos incidit, attenuat, & eductu faciles reddit: recèti quoq; & vetustæ tussi, & quibus

thorax

thorax aut latus dolet, si febri carent, ex vino mulso auxilio est: sin febriant, ex aqua mulsa. conuenit & excreantibus sanguinem, siue is à thorace, siue pulmone reiectetur: & dum recens est eductio, ex posca: at si vetusta fuerit, ex aqua, in qua symphyti radix est decocta, mane & vesperi propinatur: itidem si ventriculus affligit, & venter ægrè concoquit, imbecillusq; est, & quibus ventriculus inflatione tentatur, intestina torsionibus corripiuntur, aut vetustus dolor laxum intestinum agitat, aut conuoluulus male habet, ijs nuculæ Ponticæ magnitudine ex aqua calida præbetur. Cholera quoq; laborantibus & cœliacis, & syncopen cardiacam patientibus, eodem modo datur: tinearum genus omne mirum in modum exigit, ex succo menthæ data: iecoris affectiones, & arquatum generosè curat: febris expertibus ex mulso: febrientibus verò ex vino diluto potata. Liquat & lienes scirrho induratos, sordem eorum absumens, si ex aceto mulso exhibeatur: calculos in renibus comminuit, ex apij, aut petroselini, vel dauci, aut anisi, aut alterius similis decocto. Vrinæ difficultatem, & vesicæ exulcerationes, si ex sapa vel passo minimè febricitantibus propinetur, interdum persanat. Datur quinetiam in omni vetusto febrium horrore, & præcipuè quartanæ, si quis

ea ex-

ea ex arte vtatur, nempe post declinationem, & vomitiones quæ à cœna prouocãtur. Aqua quoq; inter cutem laborantibus potißimum ei generi, quod ἀνὰ σάρκα appellant, ex securidacæ decocto & consimilibus propinatur, & elephantia conflictatis sæpenumero efficax esse solet. sæpe quoque membrorum resolutiones potu sanat, fœminis pota purgationes menstruas ciet, mortuos partus expellit, ex passo aut aqua mulsa, in qua antea ruta decocta fuerit, aut dictamum, fabæ magnitudine assumpta: ex pedibus laborantibus, & quorum defluxio artus omnes tentat, postquam se morbi vigor inclinauit, prodest, si non semel tantum, sed sæpius drachmæ pondere bibatur: eius autem præbendi modus sit pro ægrotantis viribus ac temperatura. Cæterùm non corpori modò, ceu diximus, sed ægritudinibus quoq; animi medetur: proinde medicamentum hoc varias, quas atra bilis concitat, imaginationes, si assiduè exhibeatur, tollit: quippe quod è vasis ac liene atram bilem ebibat ac exhauriat: quemadmodum & ferarũ ictus, & aquæ pauorem, (pessimum omnium affectum,) si iugiter exhibeatur, sæpenumero sustulit: atq; in pestifera constitutione, obstat quo minus aduenæ labe, ac lue corripiantur. Ius quoque qui hyeme iter faciunt, prodest adsumere, veluti

bonum

bonum viſcerum indumentum, & quod ſui multum calorem eis impertire poteſt. Cæterum præbere conuenit, quando is qui ſumit, minimè cruditate laborat, neq; cibis refertus eſt, bibatq; ieiunus. Æſtate aut in ætatis vigore, vel nimio calore, haudquaquam niſi periculum metuatur, dari debet: verùm quibus ætas iam inclinat, multum eius, idq; ſæpius, non ex aqua tantum, ſed ex vino etiam, drachmæ pondere ſumere conuenit. Pueri ab eius vſu, omnino ſunt coercendi. Longè enim medicamenti magnitudo illorũ vires exuperat, corpusq; promptè diſſoluit, & inſitum ſpiritum leui negotio extinguit. Medicamentũ hoc primum ab Andromacho, principe Neronis medico concinnatum fuit, atq; ei verſibus Heroicis deſcriptum, ac explicatum dicauit: verùm Galenus ipſum in meliorem formam commutauit. Eſt autem eius compoſitio huiuſmodi: paſtilli ſcyllini triens, paſtilli theriaci ſextans, hedychroi ſpiſſamenti ſextans, cinamomi, piperis communis, lacrymæ papaueris, ſingulorum ſextans, roſarum, ſcordij Cretenſis, ſeminis napi, quam βραϐάδα vocant Græci, iridis Illyricæ, agarici Ponti ci, ſucci dulcis radiculæ, ſingulorum vncia: zingiberis, myrrhæ, croci, radicis quinquefolij, rhei Ponti ci, nepetæ, marrubij, petroſelinij, ſtœchadis, coſti, piperis candidi, piperis longi

Actuarii Joannis filii Zachariae operum - page 385 sur 731

dictamni, iunci odorati, thuris, terebinthinæ, caſiæ, ſpicæ nardi, ſingulorum ſemuncia, polij, ſtyracis, ſeminis apij, ſeſelis Maſſilienſis, thlaſpis, ammis, triſſaginis, aiugæ, malabathri, ſucci hypocyſtidis, nardi Celticæ, mei Athamantici, aniſi, ſeminis fœniculi, Lemnij ſigilli, chalcitis, amomi, acori, fructus balſami, phu Pontici, hyperici, acaciæ ſucci, galbani, gummi, cardamomi, ſingulorum duella, bituminis, dauci Cretenſis, ſagapeni, opopanacis, caſtorij, centaurij tenuis, ariſtolochiæ, ſingulorum ſextula: opobalſami vncia, mellis attici, viniq; odorati & optimi, quantum ad ſuccos & lacrymas ſatis ſit. Hedychroi compoſitio. Mari, aſari, amaraci, aſpalathi, iunci odorati, croci, calami aromatici, phu Pontici, caſiæ, folij Indici, ſingulorum duella, xylobalſami, opobalſami, cinamomi, coſti, ſingulorum ſemuncia, myrrhæ, foliorum malabathri, ſpicæ nardi, ſingulorum ſextula, amomi duella, maſtiches ſextula, vini odorati quod ſufficiat. Andromachus croci & caſiæ, vtriuſq; vnciam ſcriptis mandauit. Porrò de theriaces parandæ ratione, ſapientiſſimus Galenus inquit, Diximus etiam antea, eum qui medicamentum ſemel confici viderit, non amplius opus habiturum, vt iterum aut tertio conſpiciat. Verùm vt optima in ſingulis medicamenti generibus diſcernat, non ſemel, bis 've,

bus ve, aut ter, sed perquam sæpe spectasse conuenit, quæ in vnaquaque regione nasci creduntur præstantissima. Itaq; nunc omnia paucis & summatim perstringam. Radices quæ vsui accommodantur, corticem intentum, non rugosum, neq; macrum obtinere oportet: id enim bonæ radicis indicium habetur. Fructus cum suis surculis, germinibusq; nuncupatis, & florentes ac vberes, & multos vnà cum suis inuolucris esse decet. Semina perinde ac radices eligantur vegeta, quod ex corticis intensione cognoscetur. Lacrymas & succos, neq; vetustate, neque tempore languida esse conuenit, quæ vesuas qualitates quas odor gustusq; discernet, habeant euanidas. Fructus itaque cum germinibus, & floribus ac foliis, eorumq; caliculis & inuolucris in theriacen coniiciuntur: herbæ verò insequentes, scordium, nepeta, marrubium, stœchas, dictamnum, polium, trissago, ajuga, hypericum, & centaurium: radices adhæc, Zingiberis, [illegible] rhei, quinquefolij, costi, nardi Indicæ, nardi celticæ, gentianæ, mei, acori, phu, aristolochiæ tenuis: semina itē hæc immittuntur, napi, petroselini, thlaspis, ameos, anisi, fœniculi, cardamomi, dauci. Hæc igitur tria genera, in Ægyptias pilas demitti debēt, quandoquidem duriſsimæ sunt, vt nihil suæ

ſubſtantiæ inter tundendum contuſis affricent. Adduntur quoq; vnà cum his paſtillis ſcyllini, paſtilli theriaci, hedychroi ſpiſſamentum, piper nigrum, candidum, & longum, roſæ ſiccæ: adhæc agaricum, & crocus, ſi ſuccus fuerit, & qui nominatur tunci odorati flos: ſigillum Lemnium, chalcitis toſta, amomum, cinamomum, fiſtula caſiæ, balſami itẽ fructus, & acacia, niſi mollis fuerit & liquida, caſtoriũ quoque, & bitumen. Porrò myrrha & crocus vino macerata læuigentur, ſi quidem tutius videbitur cum natura liquidum non contundere. Omnes ſucci & lacrymæ vino macerentur, vt diſſoluantur, & ad læuigandum reddantur idoneæ, vt ſagapeni, opopanacis, papaueris, quod & μηκώνιον, & ὄπιον. Græci nuncupant acacia, quoties liquida vndiq; contumax eſſe videbitur, ſuccus hypocyſtidis, & dulcis radiculæ. At thlaſpi, & rapi ſatini ſemen in prima compoſitione, vt maiores meos parare videbam, ipſe quoq; vnà cum contundendis in pilam conijciebam: deinde aliquando conſpicatus ventri pilæ interno, ob ſuum lentorem adhæreſcere, vbi in mortario antea contriuiſſem, putaui vinum eis ſuperfundendum eſſe, donec tota plenè diſſoluerentur, atque ita terenda poſthæc vino priuatim madefactis ac in lenorem redactis commiſcenda. Thus quoque

ſigilla

ſigillatim leuiter in mortario per ſe læuigare, ne dilatetur, præſtat: poſtea vbi incerniculo excuſſeris, ad manus paratum habere: quo ſi ita libet, ijs quæ ex vino læuigata ſunt, adſpergas. Gummi verò in vino macerari poteſt, idemq; tam prinatim, tum cum thure in lænorem redigi. Proinde hæc omnia, quo dixi modo præparari debent: alia in mortario cum vino læuigata, quædam increta, & arida in pulueren comminuta. Eo porrò tempore quo omnia in vnitatem coire debent, liqueſcant in vaſe duplici, primùm reſina, mox ſtyrax, & galbanum, antea in pila confracta contuſaq; piſtillis, aut vectibus ferreis, inſtillatio paucissimo melle crudo: poſthæc digitis noſtris dilatata, reſina in melle liquefacta excipiantur, atq; ita demùm operculo vaſi impoſito reſoluantur. Satius enim eſt mel ſimul atq; hæc fuerint iniecta, minimè agitare, ſed operculato vaſe, quod aquæ inſiſtit, coctionem moliri. His verò liquefactis, arida ijs quæ ex vino trita fuerint indantur, ac ad iuſtam vſq; craſſitiem permiſſceantur. itaq; paulatim liquefacta tepida ijs quæ ſunt in mortario affundantur, ſic vt ab homine robuſto, magno cochleari in vnum cogantur: vbi probè in vnitatem coierint, & quod his conſtat iam craſſum appareat, ſuperinjcere mel decoctum mediocriter, & nimirũ

Actuarii Joannis filii Zachariae operum - page 389 sur 731

©BIUM

deſpumatum oportet: poſthæc quæ incernicula fuere excuſſa, deinde mel rurſus addere, mox liquefacta tepida iam miſcere, atq; omnia in ampla pila, magno cochleari, adiectis quæ ex aridis etiamnum ſuperſunt & melle, ſtrenuè conterere. Et quando à cochleari omnia in vnum corpus fuerint coacta, tunc in pilam conijcere, ac vectibus ferreis adamußim repurgatis, ne quid hæreat rubiginis, aſſiduè tundere, illitis opobalſamo vectibus: ſi quidem à tenaci medicamẽti lentore detinentur, vt haud facilè à tundentibus attollantur. Quare vt promptè negotium peragatur, vectis extrema continuò opobalſamo inungẽda ſunt, in hoc ipſum quicquid eſt eius ſucci impendens ac abſumens. Præſtat autem in ſole tundere, ita nanq; citius cuncta in vnum coaleſcunt. Cumq; id negotiũ obiimus, pilam, quæ medicamentum in ſe continet, contegere oportet & poſt quatuor aut quinq; dies ſimiliter in ſole tundere: atque id opus iterum atq; iterum ſex aut ſeptem dierũ interiecto ſpatio, ad duos menſes, aut omnino dies xl. repetere. Atq; hæc, quod quidem ad optimam medicamenti componendi rationem ſpectat ſcriptis mandata ſunt. Vt autem nigreſcat, (hoc enim haud ſcio quo pacto vſu receptum ſit, vt qui colorem eum non aſſequatur, riſui habeatur) obſeruandum quidem nobis

eſt

eſt, non tamen ignorandum, nihil ob colorem medicamenti facultatem immutari. Verùm coloris huius fruſtratio ob chalcitin crematam, quæ flaua vel rufa euaſit, accidit: quamuis enim minimum eius imponatur, tamen colore prævalet. Itaque ne quis ob hoc ipſum erroris quicquam commiſſum eſſe arbitretur, ijs quæ dicturus ſum animum adhibeat. Quatuor in vniverſum chalcitidis drachmas antidotus accipit: verùm multò copioſiorem quàm hîc ſit modum aſſare conuenit. Crudæ itaq; chalcitidis drachmas non pauciores quadraginta in ollulam conjicito, quam deinde candentibus carbonibus non operculatam impones, ac ſimul atq; fuſum fuerit medicamentum, ac leuiorem & ſpumoſiorem eius portionem ſuperuehi conſpexeris, ſtatim tollere humiq; deponere oportet: & nequaquam, quemadmodum conſueuimus interdum, perinde vt ij faciunt qui ignem ſuſcitant, inflare ipſi conuenit, (mirum enim eſt, quàm ita rufus & flauus color excellat) ſed ne ſoli quidem exponere: verùm refrigeratæ capere quod ſpumoſiſſimum inſidet, nihil habens in ſe rufi, neq; flaui, aut pallidi: deinde experientiæ gratia eius exiguum quiddam ſumere oportet, ac læuigatum intueri, nunquid poſt læuigationem quiſpiam ex enumeratis coloribus appareat.

Quod si qualem ſumpſimus perdurauerit, porraceum cinereúmve colorem referens, eius drachmas quatuor adijcere conuenit: tale ſiquidē exiguum ex tam copioſo combuſto reperies. Itaq; quæ ad antidoti huius compoſitionem et apparatum neceſſaria ſunt, omnia iam ſunt expoſita. Porrò panes ſcilinos hac ratione paramus. Scillam recentem, non admodum magnam oblinire oportet, non vt nonnulli luto, (ſordidum enim hoc mihi videtur) ſed pulte ex tritico: facilè enim aſſatur tenuiſſima, vt inter aſſandum ipſa quoq; nonnihil huius participet. poſthæc dum probè in furno, aut cacabis, aut clibanis, in quibus panes aſſantur, coquitur, mentem adhibeto inter aſſandum, vt æqualis fiat aſſatio: deinde ſumptas interiores eius partes tenerrimas diligēter læuigare oportet: atq; admixtis erui farinæ optimæ ac recentiſſimæ æquis portionibus omnia ſimul terere, et in paſtillos mediocres cogere, qui in vmbra repoſiti, ad vſum aſſeruentur. Theriaci paſtilli hoc pacto concinnantur: nempe viperæ pro totius cōpoſitionis quantitate adſumuntur, quas non quouis tempore, ſed potiſſimùm vere ineunte fueris venatus, quando relictis latebris, feras in loca aprica progrediuntur, nec iam venenum vſqueadeò noxium poſſident. Sint autem animalia in primis mobilia, ſubflaua,

quæq;

©BIUM

quaq; ſummopere collum extendant, oculis ſubrubris & impendentibus, ferociq; aſpectu, capitibus latioribus, toto corpore ac ventre ſinuoſiore: quibus meatus ſit propè extremam caudam, & caudam non habeant circunuolutam, ſed potius intortam, & quæ quieto gradu ſerpat: fœmina enim à mare hac nota diſſidet, & quòd caninos dentes plures duobus obtineat. Itaq; vbi eo tempore ceperis, prius capita & caudæ in tantum ſunt amputanda, vt abſciſſionis menſura quatuor ſit digitorum. Verùm inter amputandum partes illæ ſedulo, (ita quidem moneo,) ſunt inſpiciendæ, num poſt abſciſſionem, exangues & immobiles, penitusq; emortuæ appareant: nam ſi eiuſmodi reperiantur, ſeras ad medicamenti miſturam inutiles arbitrator. Sin in truncatis partibus, motum etiamnum quendam reliquum eſſe, & cruorem aliquantiſper ſeruare poſſe conſpexeris, eæ tanquam optimæ antidoti compoſitioni ſunt immiſcendæ. Adhæc tota cutis adamuſſim eſt deglubenda, & adeps ceu inutilis detrahendus, ſimulq; interanea omnia: poſtea eas in vas aliquod fictile, vel lebetem bene nitidum & exterſum conijcere conuenit, ac carbonibus pulchrè accenſis, ne in coctura fumum nidoremq; redoleant, ſuperimponere. Decoquantur autem in fontana, in quam ſal recens,

Actuarii Joannis filii Zachariae operum - page 393 sur 731

©BIUM

& anethi ſicci ramuli mediocres coniciantur. Atque vbi carnes bene fuerint coctæ, (coctu-ræ autem modus ſit, quando ipſæ à ſpina ſepa-rantur,) tum depoſito ab igne lebete, ſpinas accuratè ſecerne, nequa clam te carnibus in-hæreat. Ac poſtquam ita carnes repurgaue-ris, easq; triueris, panis quàm maximè puri ex puriſſima ſimilagine confecti, quod paſtillis formandis ſatis ſit, admiſce, & in panificia, vt Andromachus quoq; cenſet, redige: (nam Magnus & Democrates, pares carnium & panis portiones miſceri iubent, ſicq; eas vnà cũ pane deterunt) deinde affuſo iuſculi quod ſa-tis eſt, in mediocres paſtillos digerito, & inter efformandum pauxillum opobalſami adijcito, ac in vmbra reponens, eos ad totius medica-menti compoſitionem adſeruato. Habes iam theriaci antidoti rationem accuratè tibi ex-plicatam; porrò tibi hæc ob oculos habenti, reliqua quoq; antidota varijs miſturis conſtan-tia nouiſſe, ac concinnare conformareq; licet. Deinceps de cæteris diſſeremus, quæ à varijs veteribus ac recenſioribus, tum Græcis, tum Barbaris condita fuerunt. Cæterùm nequa-quam omnia exponemus, (ſiquidem in immo-dicam molem liber excreſceret) ſed quæ ho-rum mihi notiora, aut vtiliora, & ad plures vſus accommodatiora videbuntur. Propo-

nam

©BIUM

nam & ex ijs quæ in pauciores vſus veniunt, quæ decet, quòd rectius affectibus, quibus opẽ fronte pollicentur, ſuccurrunt: nam quorũ multiplex eſt vſus, quòd multa promittant, ſuam quoque facultatem multifariam diſtribuunt: quamobrem veriſimile eſt, ea haudquaquam eodem modo in omnibus ægritudinibus agere ac pollere. Eſdræ antidorum ex eo ad venenatorum ictus fabæ magnitudine in vino datur, ac eunti dormitum demorſus locus delinitur, & periculo vacabit, aduerſus eos qui lethale quippiam ſumpſerunt: ante poſtq; vomitionem exhibetur. Pontice nucis magnitudine, mane & cubitum concedentibus ex vino: aſſumptum verò anteà, noxam veneni præripit: ad capitis dolorẽ, aliquid eius ſapa diſſolutum fronti illinitur. Præbetur quoq; bibendum in cubili, phaſeli magnitudine, exigua aqua aut ſapa reſolutum: ad furore percitos, ſub ſomno datur fabæ magnitudine, ſapa contẽperatum: ipſóq; diſſoluto, frons & ſuperciliorum media ſpatia, ac naſus exterius totus, inſtante ſomno, oblinitur: ſomnum enim conciliat, eodem modo ad vetuſtos oculorum defluxus, ſapa diſſolutum, fronti ad ſupercilia vſque inducitur: ad molarem roſum, dentesq; dolentes, ſapa dilutum calfactúmque præbetur ore continendum, atque euelligio dolor ſedatur.

Contrà

©BIUM

Contra tussim, diuturnamq; respirationis difficultatem, datur nucis Ponticæ magnitudine, cum sapa quæ aqua sit diluta: in febribus autem cum mulsa diebus septem, dum cubitum itur. Cruenta expuentibus, tabidis, & abscessum internum obtinentibus, exhibetur ex sapa exigua, quæ modica, frigida, temperata sit, fabæ magnitudine: datur autem pluribus diebus mane, & in cubili: aduersus stomachi vetustos dolores cũ refrigeratione, præbetur fabæ magnitudine cum sapa: si febris adsit, cum melle: in singultu ob copiam enato, inter frigora datur fabæ magnitudine cum condito: contra duritias, ex mulsa: lieni laboranti, ex aceto, vel aceto mulso, sed tumentes partes antidoto oblinantur. Calculosis ex sapa exhibetur: vrinæ difficultati, ex decocto apij, aut petroselini, aut alterius eius generis. Aduersus alui profluuium, ac cœliacas affectiones, intestinorumq; difficultatem, datur nucis Ponticæ magnitudine mane et vesperi, ex vino: in febrientibus verò, ex aceto mulso aquoso: in podagra, fabæ magnitudine ex aqua mulsa, ipsoq; sapa dissoluto, laborantes partes linuntur. Ischiadicis & quorum reliquos articulos fluxio infestat, ipsum cum vnguento quopiam, puta gleucino, aut irino vel sicyonio oblinitur: elephantia correptis, auellanæ nucis magnitudine,

bis

©BIUM

bis die datur ex aqua mulsa, eoq; vino resoluto, totum corpus in sole nouem dies inungitur: quippe squamulæ decidunt, ipsaq; corporis concretio renouatur. Fœminis quæ difficulter partum enituntur, imus venter sublinitur, & facilè parient. Aduersum vlcera maligna, & vetusta, quæ in summa cute erumpunt, linteo inductum imponitur, vel fistula immittitur, ac persanabuntur. Accipit mameræ vnciam, amomi sextantem, iunci odorati semunciam, pyrethri duellam, croci vnciam, myrrhæ semunciam, styracis semunciam scriptula duo, petroselini sextulam, tragachantæ vnciam, succi hypocystidis semunciam, iridis semunciam scriptula duo, seminis fœniculi vnciam, dauci seminis sextulam, seminis papaueris vnciam, spicæ semunciam scriptula duo, foliorum rutæ sextulam, casiæ sesquunciam, ameos sextulam, costi sesquisextulam, cardamomi duellam, lacrymæ papaueris sesquunciam, euphorbij duellam, piperis sesquunciam, rosarum semunciam, opopanacis duellam, mei semunciam, pastillorum è lacha sextulas quatuor, croci Lycij semunciam, caryophyllorum scriptula duo, anisi duellam, ammoniaci semunciam, rhei semunciam, foliorum citri, gith, herbæ amaræ, (πικρίδα vocant Græci) singulorum duellam, terræ cimoliæ semunciam, sulphuris ignem non

experti

experti duellã, castorij, sinonis, vtriusq; sextulam, hedychroi spissamenti semunciam, ocimi seminis sextulã, lapidis iaspidis duellam, ventris mergi duellam, artemisiæ, foliorum rodo-daphnæ, cinamomi, seminis anethi, singulorum sextulam, bdellij semunciam, rhois Syriaci sesquunciam, asari sextulam, lapidis hæmatitis vnciã, thuris semunciam, intubi erratici sexquisextulam, testæ sepiæ duellam, corallij sesquunciam, iuniperi maioris baccarũ duellam, sanguinis draconis vnciam, cinabaris gentianæ, vtriusq; semunciã, peucedani, seminis apij, vtriusq; sesquunciã, piperis candidi semũciam, maceris sextantem, hermodactyli sextantem, aristolochiæ longæ, lybistici, ℥ vtriusq; vnciam, mellis modus qui satis sit: lacrymæ vino bono & odorato macerãtur. Antidotum è pæoniæ prodest destillationibus à capite, aut tussi, & puris reiectionibus, tabidis, pulmonis, laterũq; inflammationibus. nam supra omnem opinionem thoracem destillationũ exulcerationumq; periculis vindicat, etiamsi sanguis reiciatur: exhibitionis modus, siliquæ tres, ieiuno, ex calida: datur tamen sæpenumero appetente somno: angina laborantibus, vino mulso dilutum assiduè exhibetur gargarizandum, pennaq; ex melle illinitur. Præbetur & in intestini laxioris doloribus, ac renum inflammationibus,

nibus, vrinæq; difficultate, quam obstructio excitauit, cum aliquo ex ijs quæ vrinam prouocant, cuiusmodi est appij, aut adianti, aut dauci decoctum. Datur & in longis febribus, vt quartanis, & quotidianis, duas horas ante accessionis initia, et mirum in modum, coctione in vrina apparente, oppitulatur. Valet & aduersus omnes pestilentes morbos, quiq; populatim grassantur, cæli vitio enatos, si inter initia valetudinis conseruandæ gratia, exhibeatur: somnum quoq; conciliat. Amomi, croci, spicæ nardi, costi, opij, casiæ, thuris, singulorum vncia, radicis & seminis pæoniæ, piperis communis, rhei, apollinaris herbæ, myrrhæ, pyrethri, singulorum sextulæ tres scriptula duo, piperis longi, piperis candidi, folij, euphorbij, nepetæ, singulorum semuncia, castorij, petroselini, vtriusq; sextans, mellis quantum satis est.

Antidotum è sulphure valet ad stomachum refrigeratum, ructusq; acidos, quartanam, resolutos, iecinorosos, duabus horis ante accessionem cum posca aquosiore. Cæterùm æger excrementis vacuus esse, & proba concoctio in vrinis apparere debet. Sulphuris viui, cardamomi, styracis, herbæ apollinaris, rutæ, myrrhæ, singulorum sextulæ octo, costi sextulæ decem, casiæ sextans, Libystici vncia, croci, piperis, vtriusq; sextulæ quatuor, mellis modus qui

suffic

ſufficiat. Antidotum è tribus piperibus aduerſus ſtomachi perfrictiones, ructum acidum, quartanam, iecinoroſos, inflationes, & tuſsim: exhibetur auellanæ nucis magnitudine: piperis cõmunis, piperis cãdidi, piperis longi, ſingulorum bes, Zinziberis, thymi, aniſi, ſeminis Lui, ſingulorum ſextans, mellis quod ſatis faciet.

Antidotum dictum ſanitas, contra venena exitialia valet: prodeſt & coſtarum inflammationibus, iecinoroſis, cardiacis, pulmonis inflammationibus, ſuſpirioſis, tuſsientibus inteſtinorum difficultati, tenuiori inteſtini inflammationibus, ſtomachicis, oculis lippientibus, angina vexatis: omnis adhæc faſcini amuletum eſt, & laruas dæmoniaq; amolitur. Qui quotidie lentis magnitudine ipſum aſſumunt, haudquaquam toto vitæ curriculo morbo corripientur. Bibat qui febre caret, ex vino: & febricitans, ex bene diluto. Capit ſylueſtris rutæ ſextulam, piperis, marrubij, vtriuſq; ſextulas tres, ſcriptula duo, myrrhæ ſextulam, croci, iunci odorati, piperis candidi, ſpicæ nardi, coſti, cinamomi, nardi Celticæ, ainge, ſtœchadis, opopanacis, gentianæ cardamomi, galbani, euphorbij, mandragoræ, ammoniaci, eryngij, raſarum, (in alijs Libyſtici,) ſingulorum ſemunciam ſtyracis, fructus balſami, dauci Cretenſis, eupatorij, κονυσπερμα, ſeminis fœniculi, ſe-

minis

minis trifolij, polij, terebinthinæ, ſingulorum ſextulas quatuor; herbæ apollinaris auellam, lacrymæ papaueris ſeſquunciam, mellis quod ſufficiet. Antidotum Philonis pollet contra colicos dolores, pleuriticos, omnemq; inteſtinorum cruciatum, & ſomnum cit: datur cum ſucco hypocyſtidis, & vini pauxillo ſtomachicis, fabæ magnitudine, aqua inter cutem laborantibus, ex poſca, nauſea vexatis, & quibus ſtomachus mordicatur, decocto thymi aut pulegij dilutum, nucis Ponticæ magnitudine, difficultate reſpirationis laborantibus, & ſuſpirioſis, ex aceto ſcillitico, nucis magnitudine: tabidis, et tuſſientibus, cum ſucco ptiſſanæ: ſanguinem reiectantibus, ex poſca: tuſſi ſiccæ, ex aqua mulſa. Ad lienem verò, manuales ramorum capparis faſciculos in acetum aquamq; coniectos coquito, & cum decocto propinato, ad dentium dolorem, dolentem oblue & ad mobiles, ipſum tere, atq; cum vino aſtringente collue, & firmabuntur. Accipit croci drachmas quinq;, ſpicæ nardi, euphorbij, pyrethri, herbæ apollinaris, ſingulorum ſiliquum, opij drachmas decem, piperis candidi drachmas viginti, mellis quantum ſufficit.

Antidotum è marrubio prodeſt tuſſiculoſis, et pituitoſioribus affectionibus. Hyſſopi libram, iridis, dulcis radiculæ, nepetæ, ſaluiæ, cotoneo-

rum, nucis tedæ, singulorum selibram, seille trientem, pulegij quadrantem, enulæ Campanæ, marrubij, vtriusq; trientē, fœnigraci vnciam, ficuum singulum libram, mellis quod satis est.

Antidotum ex eruo, iussi medendo, expurgandoq; aptum: tragacanthæ, styracis, terebinthynæ, thuris dulcis radiculæ, croci, anisi, iridis, amygdalarum amararum, erui, nucis pineæ, hyssopi, singulorum quadrans, piperis sesquuncia, mellis quantum satis facit.

Antidotum è moscho: valet ad omnem mali habitus affectionem, prodest iecinorosis, lienosis, stomachicis, habitum vt cibum admittat, summè roborat: corporis quoq; natiuum calorem excitat. Sampsuchi, corymborum thymi, aloës, iunci odorati, ligni balsami, sagapeni, asari, caryophyllorum, casiæ, costi, rhei, Zingiberis, pulegij, cinamomi, Libystici, seminis apij, petroselini, dauci, moschi, singulorum vncia, mellis quintum satis est. Ex nepeta auxiliatur ijs qui cibum respuunt, difficulter respirantibus, stomacho perfrigerato, & qui statim inflatione infestatur, cum vino manè assumptum: si verò renuant cum vino, siccum nucis auellanæ magnitudine edatur: piperis selibra, nepetæ, pulegij, petroselini, singulorum sesquuncia, seminis apij vncia, Libystici sextans, seselis vncia, thymi semuncia, mellis quantum satis est.

tis est. Antidotum Diospolitæ, ad tardam concoctionem, & ventriculi perfrictionem: piperis, cumini, zingiberis, rutæ, nitri singulorum libra, mellis quod satis facit: cuminum pridiè quàm componatur, in aceto acerrimo macerari debet: quo verò tempore conficitur, in ficilibus ignitis torreri, deinde teri. Ex hermodactylo, podagricis & arthriticis, vt quod succos crudos, ex alto detrahit, prodest. Hermodactyli, galangæ, pyrethri, zingiberis, zaduaris, anisi, gentianæ, aristolochiæ, singulorum quadrans, mellis sufficiens modus.

Antidotus è scinco, Mithridatis Eupatoris, valet ad exitiosa medicamenta, & ad omnem materiam lethalem, omnemq; ictum venenatum, aduersus intestinas affectiones, cõceptum adiuuat, menses prouocat, emortuos fœtus, secundasq; hærentes excutit, febres circuitu repetentes dissoluit, resolutis, tremulis, ijs qui in dorsum & scapulas cõuelluntur, ischiadicis, podagricisq; opitulatur, & vitijs omnibus quæ ex neruorum consortio exoriuntur. Ratio conficiendi est huiusmodi: capit scinci, sagapeni, acori, costi, hyperici, acaciæ, iridis, mei, gummis, singulorum siliquum, rosarum, gentianæ, cardamomi, singulorum drachmas quatuor, seminis papaueris obolos duos, styracis drachmas quinque s. squiscrupulum, polij, casiæ, seselis,

©BIUM

bdellij, balsami, piperis candidi, singulorum drach. quinque obolos duos, succi hypocystidis, opopanacis, myrrhae, thuris, castorij, piperis longi, cyphis, resinae terebinthinae, singulorum drachmas sex, nardi Syriaci, opobalsami, thlaspis, seminis dauci, singulorum drachmas sex, & obolos tres: croci, cinamomi, zingiberis, singulorum drachmas septem & obolos duos: succi dulcis radiculae, agarici, vtriusq; drachmas septem & obolos tres, mellis quod sufficit, & vini boni, quod ad lacrymas diluendas satis est. Ego (ait Galenus) ad medicamenti incrementum, gratia suppressionis mensium, & conceptuum, quo citra periculum gestentur, adieci dictamni semunciam, ammoniaci, seminis sylaestris rutae, vtriusq; drachmas tres, cucumi Aethiopici, drachmas sex, seminis trifolij, napi sylvestris, vtriusq; semunciam, trissaginis tantundem, rhei Ponici drachmae tres, lacrymae Cyrenaicae siciliquam, ijs adiunctis, medicamenti facultas ad multa redditur idonea: quippe quadrimestres fœtus enecat, & trimestres expellit. Antidotum Hippocratis, quo vsus corona Athenis est donatus, fronti ex vino illitum capitis dolorem mitigat, & aurium dolori prodest, ex oleo vestiu flocco iniectum, nec secus ore detentum, eius dolorem cedat. dandum est autem ex hydromelite, nucis auellanae

lanæ magnitudine: tuſſientibus, lienoſis, ieci-
noroſis, ſanguinem expuentibus, calculoſis, la-
terum inflammationibus, Ægyptiæ fabæ ma-
gnitudine, ex oxymelite mero, cyathis tribus:
iſchiadicis, inteſtinorum dolore vexatis, lupi-
ni magnitudine in decocto pæoniæ, à prima lu
na vſque ad extremam: à laruis dæmoniſq;
occupatis, nucis Ponticæ magnitudine, in lacte
aſinino: quartana laborantibus, ex aceto mul-
ſo, deſinente luna. Calami odorati, iunci odo-
rati, ſabinæ, ſingulorum triens, ſeminis viticis,
cardamomi, cyperi, crocomagmaticis, ſingulo-
rum quincunx, nardi Celticæ ſelibra, aſpala-
thi ſeptunx, ammoniaci vncia, pilularum cu-
preſſi quadrans, roſarum triens, ladani, myr-
rhæ, thuris, ſingulorum libra, baccæ iuniperi
minoris quadraginta: hæc ſimul priuatim tun-
dito, ſpicæ nardi ſelibra, coſti triens, folij bes,
caſiæ ſelibra, amomi quadrans, hæc quoq; pri-
uatim tundito: maſtiches, triens, & hoc ſeor-
ſum in mortario teritur: ſtyracis dextans, ſty-
rax paulatim bellarijs in mortario adijcitur:
terebinthinæ libræ tres, mellis Attici libræ
quinque, vini veteris quod ad bellaria mace-
randa ſatis eſt, mùdè & ſedulo melle excipiens
confice. Antidotum colicum, mire efficax
ad ileoſos eóſque quibus alui recrementum
vomitione redditur, in maximis doloribus.

Actuarii Joannis filii Zachariae operum - page 405 sur 731

©BIUM

Piperis candidi, herbæ apollinaris, vtriuſq; drachmæ quadraginta: croci drachmæ decem ſpicæ nardi, euphorbij, pyrethri, ſingulorum ſiliquus, melle cocto excipitur, datur fabæ Ægyptiæ magnitudine. Antidotus ad vrinæ difficultatem, præbetur ijs qui vrinam continere nequeunt, ijs qui etiam ægrè reddunt, quiq; ex ilibus & renibus laborant, ſeminis apij, æruginis raſæ, gith, ſeminis erucæ, galangæ, ſinapis, herbæ apollinaris, Zygiæ ſiccæ, aniſi, piperis candidi, nardi Indicæ: mellis quantum ſufficit, ſextulæ pondere mane & veſperi exhibetur. Paſtillus Andromachi, ad renum, veſicæq; abſceſſus: ſeminis apij, ſeminis cucumeris, ſeminis papaueris candidi, tragacanthæ, ſingulorum ſiliquus. Excipito aqua & in paſtillos digerito, datur drachmæ pondere ex calidæ. Is qui ſanguinem cum vrina reijciunt è veſica, aluminis ſciſsilis, tragacanthæ, vtriuſq; drachma, gummis oboli duo, paſſo excipitur: modo oboli duo, modo totum præbetur.

Ad expurgandam veſicam, & lapides comminuit, & quod eſt maximi momenti, ita perſanat, vt poſt ea non renaſcantur: ſeminis dauci, ſeminis cucumeris, aniſi, ſeſelis, petroſelini, myrrhæ, ſingulorum drachma: caſiæ, baccarum lauri, cinamomi, nardi Celticæ, ſingulorum drachma: trita excipiũtur aqua, & in paſtillos

cogunt

coguntur: dantur quotidie singuli ieiuno, ad triginta vsque dies. Antidotum vitijs renum accommodatum, quod calculos quoq; rumpit: nepetæ pulegij, vtriusq; drachmæ decem, thymi, petroselini, vtriusq; drachmæ viginti, Libystici drachmæ quatuor, nitri, spicæ nardi, vtriusque drachma, mellis quod satis facit. Antidotum è lithospermo, renum affectibus, calculosis, vrinam difficulter reddentibus opitulatur: lithospermi, seminis betonicæ, radicis calcifragæ seminis petroselini, piperis candidi, æquales partes melle excipito. Antidotum Procli, podagricis accommodatur, pedum, coxendicis, articulorum, capitis, ventriculi dolorem sanat, vrinæ difficultati succurrit, callos in articulis concretos eximiè discutit, & lienis, iecinoris, renumq; dolori subuenit. Rhei Pontici, agarici, aristolochiæ, singulorum sextans, phu quadrans, petroselini, mei, vtriusq; triens, hyperici quincunx, gentianæ selibra, centaurij bes, trissaginis dodrans: dantur viro scriptul. duo, fœminæ scriptulum vnum: hæc trita incerne, & vtere quemadmodum docebimus. Mense Ianuario, Februario, Martio, sumatur vnus modus, alternis diebus: Aprili, duo, alternis: Maio, tres, alternis: Iunio, Iulio, Augusto, vnus, alternis: Septembri, Octobri, Nouembri, duo, alternis: Decembri, quatuor, alternis vi-

Eius sit cibus boni succi, concoctuq; facilis. Pedes aqua calida ablui, & oleo inungi conuenit.

Antidotus, cœliacis, dysentericis, pleuriticis, iis qui torsiones experiuntur, sanguinem deiicientibus, contra collectionem interaneorum & quibus intestina erodi creduntur. Lacrymæ papaueris, florum sylvestris Punicæ, gallarum, ammis, bdellij, singulorum semuncia: tusa cribro excute, & adserua: exhibentur robusto sextulæ tres, imbecillo duella: bibitur ex frigida. Antidotum podagricis, articulorum doloribus infestatis: hermodactyli recentis uncia, anisi, cumini, piperis communis, croci, piperis longi, interioris partis seminis cuici, singulorum scrupuli duo, zingiberis drachmæ quatuor, mastiches scrupuli sex, casiæ drachma, moschi siliquæ quatuor: dantur sil quæ quatuor: sumat quis per hebdomada ex aqua mulsa, addeq; exhibitionis modo scammony siliquas quatuor. Antidotum incomparabile, ad quartana laborantes: vetustos capitis dolores sedat, tenebricosos vertiginis affectus, morbi comitialis accessiones mitigat, peruigilias sopit, & furorem confringit, magnum oculorum dolorem mulcet, defluxioni, dentium dolori, respirationis difficultati, & omni suspirij causse auxiliatur, veterem tussim sedat, pulmonis lateriq; inflammationi siccæ & humidæ

midæ medetur, omnem pulmonis humiditatem exhaurit, sputa tenuia incrassat, eaq; ex hydromelite potum eductu facilia reddit, si sanguis sputo reijcitur, ex oxymelite vel posca, aut herbæ sanguinalis plataginis ve succo, vsq; ad siliqui pondus, sed pro laborantis viribus aliquid vel adijcito, vel detrahito. stomacho præsenti est auxilio, si quidem nimiam humiditatem adstringit, & cibi fastidium leuat: singultum tollit, cibos ob vomitionum impetum non retentos sistit, omnem stomachi & ventris inflationem in ructus soluit, pulsatiles iecinoris dolores mitigat, & in arquato morbo efficax est. nam vnumquodque membrum in pristinam naturam restituit, cogitabundæ insaniæ, quam atra bilis genuit, turbas & tumultus leuat, lienis grauitatem submouet, faciei colorem reuocat, pituitam, bilemq; per intestina deducit, distributionis meatus reserat, vrinas secernit, & ad renes compellit, atque inde ad vesicam protrudit, arenulis & grumis renes vesicamq; liberat, vrinæ difficultatē reprimit, tenuioris crassioris q; intestini morborū est mitigans potio, vetus recrementum aluo subducit, veterem inflammationem discutit, torsiones mitigat, distensionem vasorum resoluit: ijs qui ore assumere nequeunt, cum succo fœnigræci per alnum injcitur, & à doloribus im-

©BIUM

munes tuetur. Admodum uteri calamitatibus ὀpitulatur: nam & earũ quæ iam enixæ ſunt, dolores mulcet, & moleſtias peruigilionum imminuit, elationem & diſtenſionem uteri emollit, morboſam purgationem recreat & reficit, extrema meatuum ora dilatat, erumpentes utero ſanguinis profuſiones, ſi poſt exhibetur, ſupprimit, eaſdemq; ſi ex uino calido infundatur, ſiſtit, uocem quinetiam ea priuatis reddit, & neruorum collectionibus potu ſuccurrit. Utendum quoq; eo eſt in podagris & articulorum doloribus. hoc egris opem ferre, experientia compertum eſt, ac potiſſimùm in inuaſionibus medicamenti uires deprehendere licet, ſiquidem non per os modo dãtum, ſed reſolutis quoq; membris oblitum efficax eſt: prodeſt etiam ijs qui mirum in modum de uita periclitantur. Ratio compoſitionis hæc eſt, myrrhæ, ſcriptula decem & ſeptem, lacrymæ papaueris ſcrupuli decem & octo, amomi ſcrupuli ſex, petroſelini ſcriptula quindecim, ſeminis apij ſcrupuli duodecim, iunci odorati, ſcrupuli nouem, caſiæ Ægyptiæ, ſcriptula quatuor, piperis candidi ſcrupuli quatuor, piperis nigri ſcrupuli quindecim: ſinapi Syriaci ſcriptula duodecim, ſtyracis ſcrupuli ſex, ſeſelis ſcrupuli quatuor, hedychroi ſpiſſamẽti ſcriptula quinque, mellis deſpumati quantũ ſatis facit. exhibendi

bendi modus est drachma, styrace melle diducto ac dilatato vtere, & arida insperge, opium verò dulci sapa macera, donec mellis induat crassitiem. Antidotus è camaris à Latinis nuncupatis prodest difficulter spirantibus, arteriacis, tussientibus, tabidis omni pectoris stomachiq; noxæ, aqua intercute laborantibus, & nephriticis, voluptatem quoq; parit, & corpora impinguat. Cinamomi, caryophyllorum, spicæ, Zingiberis, Zaduaris, costi, pyrethri, rhei, nardi Celticæ, singulorum vncia, anacardij piperis nigri, & albi, & longi, cardamomi, anisi, singulorum semuncia: eboris, ossium palmularū, ossis cordis ceruini, corally, singulorū sextula scriptula duo, moschi, balsami, vtriusque scriptula duo, mellis rosacei quantum satis est. Antidotus è floribus valet præter rationem afflictis, cardiacis lætitiam vehementer auget, & eos qui oblongum morbum imbecilles sunt, roborat, stomachum perbelle corrigit, florum rorismarini coronary drachmæ quadraginta, rosarum, violarum, dulcis radiculæ, singulorū drachmæ sex, caryophyllorum, spicæ, nucis vnguentariæ, galangæ, cinamomi, Zingiberis, Zaduaris, ligni aloes, cardamomi, anisi, seminis anethi, singulorum siliquus, mellis Attici libræ duæ cum semisse. Ex satyrio valet contra renū & vesicæ imbecillitatem, ys etiā auxiliatur, qui vrinam

reddere

©BIUM

reddere nequeunt: venerem mirum in modum ſtimulat, eamq; certa de cauſſa ceſſantem citra moram manifeſto reſtituit. Accipit teſtium ſatyrij viridium, dauci ſatiui, dauci ſylueſtris, nucis Indicæ, piſtaciorum, nucis pineæ repurgatæ, ſingulorum drachmas duodecim: Zingiberis, caryophyllorum, aniſi, ſeminis eruæ, ſingulorum drachmæ quinq;, cinamomi, ſcinci, ſeminis bulbi, ſingulorum ſiliquum ſeſquiſcrupulum, moſchi ſiliquas ſeptem, mellis ſeſquilibram. Radices ſatyrij, dauci tam ſatiui quàm agreſtis, priuatim & ſeorſum tunduntur, deinde in vnum coguntur, & nonnihil molliuſculo igni feruefiunt, rurſus piſtacia, & pineæ nuces tuſæ, & tantiſper dum craſſitiem aliquam ſumpſerint, maceratæ adjiciuntur; poſthæc ſublato ab igne vaſe, tuſæ & cribratæ ſpecies iam dictæ adduntur: denique moſchus cum exiguo ſtillatitij roſarum liquoris apponitur: modus exhibitionis eſt, cochleare ex vino dulci. Antidotus ex penidijs, prodeſt cuiuis pectoris offenſæ, tuſſi ex frigore contractæ, vocis ablationi, tabidis, purulenta excreantibus mane & veſperi, ex piſſana calida. Penidiorum drachmæ ſedecim, nucleorum pineorum, amygdalarum, ſeminis portulacæ, capitis papaueris albi, ſingulorum drachmæ tres ſeſquiſcrupulus, cinamomi, caryophyllorum, Zingiberis, ſuccè

succi dulcis radiculæ, tragacanthæ, gummis, amyli, seminis cucurbitæ, seminis cucumeris, singulorum drachma vna sesquiscrupulus, caphuræ drachmæ octo, dulcis radiculæ drachma, Zulapij, violarum, aut saccharis libra. Antidotum è tragacantha, ad omnem pulmonis & pectoris noxam, maximè tabidis, in marasmũ collapsis opitulatur: adhæc omni tussi siccæ & calidæ, linguæ & gurgulionis asperitati succurrit: sumit autem id ægrotus in ore, vt liquefactum deglutiat, donec perfectè exugatur. Tragacanthæ candidæ siliquuis, gũmis Arabicæ vncia, amyli semuncia, dulcis radiculæ drachmæ tres, seminis cucurbitæ siliquuis, penidiorum quadrans, caphuræ drachma, Zulapij libræ duæ. Antidotum ex vnionibus, pollet ad omnem imbecillitatem, animi deliquium, tam à corde quàm à ventriculo ortum, & ad omnem vitalium membrorum offensam, ad suspirioſos item, tussiculoſos, tabidos, longo morbo deiectos ac languentes recreat, & virium robur restituit. Cinamomi, caryophylli, spicæ galangæ, dulcis radiculæ, ligni aloës, pastilli è rosis, pastilli è violis, singulorũ drachma, nucis vnguentariæ, maceris, Zaduaris, rhei, syracis, singulorum siliquuis, vnionũ, Zingiberis, ossis cordis ceruini, eboris, blatti, byZantis, singulorum drachma, moschi sesquiscrupulus, ambatis,

©BIUM

ambaris, caphuræ, vtriuſq; grana ſex, mellis modus qui ſatis erit. Alterum ex vnionibus, vehementi cordis palpitationi auxilio eſt, falſas imaginationes, & animi præter rationem cogitationes diſcutit, ac atræ bilis dominium depellit: florum buglo ſſæ, ſantali citrini & rubri, roſarum, tenuis cinamomi, ſeminis portulacæ, maſtiches, enulæ candidæ & rubræ, linguæ paſſeris, ſingulorum drachm. ſex, agallochi, ſuccini, corallij vſti, ambaris, caryophyllorum, vnionum, ſeminis citri, ſeminis ocimi, cyperi, luti Armeniaci, coriandri ſicci, auri, argenti, aluminis, gallæ moſchatæ, ſerici crudi, ſcobis cornu ceruini, ſpodij, rhei Indici, ſingulorum drachm. quatuor, thymi, florum roriſmarini magni & parui, ſenecionis, Zadoariæ, croci, cumpete, hoc eſt carpeſii, maceris, nucis Indicæ, ſeminis intuborum, ſingulorum drachma, moſchi, caphuræ, vtriuſq; ſeſquiſcrupulus: trita, cretaq; cum Zulapio è duobus malis Punicis fermentantur: vtendi modus eſt ſiliquus ſeſquiſcrupulus, cum eodem zulapio. Antidotū ex ambare, valet aduerſus omnem imbecillitatem & perfrictionem corporis, natiuum ſuſcitat calorem, eos quorum articulas frigidus ſuccus infeſtat, omniaq; membra mirifice adiuuat, ventriculum cibum renuentem, atq; impotentem eximiè emendat, cor quoque robor

©BIUM

roborat: datur mane & veſperi ex vino. Ambaris, agallochi, vtriuſq; tar, ſimmi, moſchi, caryophyllorum, nucis moſchatæ, maceris, galangæ, cinamomi, ſingulorum drachma, Zulapÿ, roſarum quod ſatis eſt. Antidotus è moſcho, prodeſt contra cordis pul ſum, eum quoq; qui inſomnia mala conſpicatur, & qui incerto timore agitatur: Zaduaris, Zarnabi, vnionum, ſuccini, corallÿ, ſingulorum drachm. octo, ſerici crudi, hermodactyli candidi & veraci, ſpicæ, folÿ, cardamomi, ſingulorum drachm. quatuor, ſcobis auri, caſtorÿ, piperis longi, Zingiberis, ſingulorum drachma. ſeſquiſcrupulus, moſchi ſeſquidrachma. tuſa cretaq; cum melle deſpumato fermentantur: moſchus cum ſtillatitio roſarum liquore, vt calidum bibi poſſit, diſſoluatur, & cum reliquis in vnitatem coëat. Antidotum comitialibus ſalubre: ſeſelis, pyrethri, ſtœchadis, ſingulorum duella, agarici ſextulæ quinq;, cumin lati, ariſtolachiæ rotundæ, lacrymæ Cyrenaicæ, ſingulorum duella ſcrupuli duo, aceti mulſi ſcillini libræ. Cùm placuerit purgatorium efficere, epithymi & dacrydÿ, vtriuſq; duellam ſcrupulos duos adÿcito. Illinitus aduerſus humiditatis reiectionẽ, tabidos, purulenta expuẽtes, lateris pulmoniſq; inflammationes, in maraſmum collapſos: mirum quoq; in modum efficax eſt ad eos

quorum

quorum calor ob morbum emortuus eſt. Appellatur Latinis reſtauratorius. dulcis radiculæ, roſarum, ſaccharis, ſingulorum ſextans, tragacanthæ, gummis, vtriuſq; drachmæ quinq;, ſantali candidi & rubri, vtriuſque drachmæ tres, papaueris candidi drachmæ octo, ſucci radiculæ dulcis, amyli, ſeminis portulacæ, ſeminis maiulij, ſeminis intubi ſatiui, ſingulorum ſiliquuus, ſpodij, caryophyllorum, ſingulorum drachmæ ſeptem, cinamomi drachmæ quatuor, Zingiberis, ſtyracis, vtriuſq; drachma, croci, ſeſquiſcrupulus, penidiorum vncia, ſeminis cucurbitæ ſiliquuus ſeſquiſcrupulus, ſeminis cotoneorum ſeſquidrachma, ſeminis maluæ, violarum, vtriuſque drachmæ quatuor, caphuræ grana octo, rhei Indici ſiliquuus, Zulapij libræ ſex. Antidotum ad febres quotidianas: ſtyracis, iridis, myrrhæ, lacrymæ papaueris, ſingulorum drachmæ quatuor, opopanacis, piperis, vtriuſq; drachma, mellis quod ſatis eſt: datur fabæ Ægyptiæ magnitudine in lecto decumbentibus ante febris inuaſionem, ſed adſient carbones: hoc ſomnum ſudoresq; cit, & febrim leuat, potiſſimum in vetuſtis, multaq; cruditate conſtantibus. Aliud, agarici, gentianæ, vtriuſque drachma exhibetur ex aqua mulſa, ante inuaſionem: hoc mediocriter attenuat, infarctuq; vindicat, ac materiam per

aluum

©BIUM -

aluum & vrinam moderatè pellit. Aëtites quoq; lapis ad horrores circuitu repetentes, & in primis quotidianos appensus est efficax. Ad quartanas & qui articulorum doloribus infestantur: in quartanis vbi laueris, duas horas ante febris significationem, è diluta potione: articularibus verò morbis ex aqua mulsa præbetur. Constat bituminis drachma, myrrhæ siliquo, foliorum mentæ drachma, croci, Zingiberis, (in aliis & lacrymæ papaueris) singulorum sesquiscrupulo. Aliud, ad omnem circuitum: seminis herbæ apollinaris, myrrhæ, lacrymæ papaueris, styracis, singulorum drachma, croci, aloës, vtriusq; terni oboli, melle excipitur: datur ex aqua, auellanæ nucis magnitudine, & cruribus ante illitis ac membrorum extremis partibus dormire finito. Aliud, sudores prouocat, & altum somnum conciliat, si duabus horis ante febris quartanæ significationem assumatur. Pulegij drachmæ quatuor, grana cnidia vigintiquatuor, myrrhæ drachma, lacrymæ papaueris drachma. vino subacta efformantur, ac trium obolorum pondere exhibetur. Aliud, ad arteriam exulceratam: prodest & vocem exercentibus ante postq; certamen exhibitum: valet etiam ad oculorum dolores foris in lana madefacta impositum, & internis affectionibus illinctu succurrit. Gum-

Actuarii Joannis filii Zachariae operum - page 417 sur 731

©BIUM

mis, tragacanthæ, vtriusque drachmæ sex, thuris, myrrhæ, vtriusque drachma, croci, succi hypocystidis, vtriusque drachma, passi scybelitici aut theræi sextulæ sex. Linctus, difficulter respirantibus vtilis: scillæ crudæ succum exprimito, eiq; parem mellis Attici modum admisceto, & supra carbones coquito: datur ante & post cibum, mistrum. E sulphure ignem non experto, difficulter spirantibus auxilians: anisi, sulphuris ignem non experti, vtriusque quadrans, ammoniaci suffimenti, castorij, gith, singulorum drach. quatuor, aqua dissoluito, & in catapotia cogito, vnumq; ex oxymelitis cyathis tribus præbeto.

Antidotum è fructibus æstiuis, contra stomachi subersionem efficax: cœliacis, dysentericis auxilio est: sorborum sextarius, baccarum myrti sextarius, rhois Syriaci sextarius, palmularum quæ sole maturuerunt libræ duæ, mala cotonea decem, Punica mala integra decem, passi aminæi, vel mellis sextarius. fructus tusi, & in aquam coniecti sedulò coquũtur: cumq; fuerint dissoluti humorem exprime, ac denuò, abiecto paleaceo, coque, vbi tertia pars superfuerit, mel additur, & vsquequo crassamentum acquisierit, mouetur. Aliud, ad stomachi subuersionem facit, & ad intestinorum difficultatem, & cœliacos, seminis herbæ

©BIUM

bæ apollinaris, seminis apij, vtriusq; drachm. quatuor, rosarum florum, anisi, succi hypocystidis, mirrhæ, singulorum siliquus, croci, opij, vtriusq; sesquidrachma. Aliud ad stomachi subuersionem: acidi Punici acinorum expressorum succi sextarij tres, succi mentæ sextarius mellis sextarius, coniecta in vas, coquito vsq; ad consistentiam, & ante cibum mystrum vnà aut duo præbeto. Origenis ad stomachis subuersionem, florum rosarum drachm. octo, baccarum myrti nigræ sine granis acetabulum, seminis herbæ apollinaris, acetabuli dimidium. Terito simul, & paulatim vinum lixiuium sufficienti mensura adijcito: deinde adduntur carnes palmularum pinguium (ψαιστῆρες vocant Græci,) decem, & omnibus simul tritis, in ciceris magnitudinem catapotia efformantur, & tria aut quatuor, ex aquæ mulsæ cochlearis duobus exhibentur. Catapotium ἄδιψον, quod æstuantes à siti vindicat. Cucumeris satiui, seminis portulacæ, vtriusq; drachm. octo, tragacanthæ drachm. quatuor: tragacantham albumine recentium ouorum crudorum dilue, ac dissolutæ reliqua adijce, & in catapotia digere, ac in sole exicca: præbe continenda sub lingua, & dissolutum humorem combibe.

Hepatica Andromachi Cyphoedes, & ad

Actuarii Joannis filii Zachariae operum - page 419 sur 731

©BIUM

omnia thoracis vitia: vuarũ passarũ drachmæ vigintiquinq; aliquibus centũ, croci, drachma, calami aromatici siciliquus, bdellij, iunci odorati, vtriusq; drachm. duæ sesquiscrupulus, cinamomi, casiæ, spicæ, nardi, singulorum terni oboli, myrrhæ, terebinthinæ, vtriusq; drach. quatuor, aliis sedecim, aspalathi oboli duo, mellis drachmæ sedecim, vini quod satis facit.

De liquoribus medicatis.

CAP. VII.

POtio ad iecinorosos, lienosos, nephriticos, hydropicos, stomachicos, ex partu conflictatas conuulsiones, ex ægritudine se recolligentes, prauis succis refertos, arquatos, tussim, laterum inflammationes, ad medicamenta item lethalia, & cuiusuis venenati animalis ictum. Nardi Indici, costi, vtriusq; siciliquus, casiæ, croci, seminis apij, acori, lacrymæ balsami, iridis, singulorum drachma, piperis candidi oboli tres, lacrymæ ari masculi drachmæ tres, vuarum passarum nucleis emundatarũ drachmæ sex: trita passo vel melle excipiuntur: datur drachma ex vino, aut hydromelite, vel passo diluto, prout commodius arbitraberis. Potio è capitibus papaueris: capita papaueris centum, succi dulcis radiculæ libra, sapæ libræ centum: prodest iis qui ob tenuem fluxionem à capite labentem, tussiunt, & quibus

bus venter acria & bilioſa excernit: item calidæ intemperiei, & cholera laborantibus, nec non in peruigilijs. Acetum mulſum ſimplex: mellis libræ quadraginta, aceti libræ viginti, aquæ libræ ſexaginta. Alia eius componendi ratio: mellis libræ quinquaginta quinq;, aceti libræ quindecim, aniſi libra, croci ſextans, radicum apij ſextans, radicum fæniculi libra. Potio ex mulſa contra peruigilia, cœliacis cum febre prodeſt, & fœminis vterum gerẽtibus, necnon ſi craſſus humor, reiectionem indigens, pulmonem obſidet: viridium papaueris capitum cum ſuo ſeminæ libræ ſexaginta, aquæ libræ ſeptuaginta, mellis libræ triginta. Potio ex moris, aut moris rubi, ad oris vlcera depaſcẽtia, dentium affectus, & ad anginarũ noxas gargarizata: ſucci mororum, aut mororum rubi libræ quindecim, mellis libræ quinq;, croci, myrrhæ, ſucci vuarum acerbarum, ſingulorum ſeſquuncia, aluminis ſciſsilis vncia, vini auſteri dodrans. Aqua roſacea ad cœliacos, ſitim, oriſq; inflammationes, ſi os ea colluatur. Roſarum libræ viginti quatuor, aquæ libræ centum & viginti, mellis libræ centum & quadraginta. Acetum ſcillinum. ſcillam candidam repurgatam, & in vas quod acetum contineat, iniectam, dies quadraginta inſolato, deinde abiecta ſcilla, acetum ſeruato. Et punicis malis compoſitio ſo-

Actuarii Joannis filii Zachariae operum - page 421 sur 731

©BIUM

matica: malorum Punicorum dulcium, acidorum, & austerorum, singulorum libræ duæ, mellis libræ sex. Salubris potionis compositio: si quis frigidi temperamenti ea vtitur, valetudinem integram conseruat. Zingiberis, fœniculi, anethi, piperis, singulorum siliquus, aliquibus iridis drachmæ centum: ea tusa, & ex vino vetusto odorato subacta, in linteo illigato, & in vini suauissimi congium conjecto, multosq; dies macerari finito. Quo autem diutius maduerint, eo melius erit: propinato singulis diebus ante prandium heminã. Vinum scillinum sic facies: Scillæ in taleolas dissectæ, & repurgatæ minas tres demittes in musti præclari amphoram Romanam, & menses tres operculo iniecto fines, postea defæcatum recondes: vtile est cruditatibus, & ciborum corruptioni, ijsq; qui ipsos euomunt: ijs item quibus in vẽtriculo & aluo pituitæ crassities incumbit: opem fert lienosis, in malum habitum collapsis, aqua inter cutem laborantibus, arquatis, vrinam ægrè reddentibus intestinorum torsionibus, inflationibus, neruorum resolutionibus, diuturnis horroribus, tenebricosis vertiginibus, & menses ducit: minimè quoque neruos offendit. Præstantius est quod vetustius est. Cauendus eius vsus est in febribus, quibusq; intestina sunt vlcerata. Scillinum acetum

ita

©BIUM

ita conficitur. Scillam candidam expurgatam, & conciſam lino ita traïcito, vt taleolæ ſeſe minimè contingant, & dies quadraginta exiccato: ex ipſis mina in aceti optimi ſextarios duodecim demittitur, & vaſe diligenter operculato, octo dies in ſole macerari ſinitur. Poſthæc, aſſumpta ſcilla, & expreſſa, ipſa quidem abïcitur, acetum verò defæcatum elutriatur, & reponitur. Nonnulli minam in aceti ſextarïs quinq; demergunt, alïj ob ſiccitatem ſua ſponte repurgatam, æquali pŏdere demittunt, itaq; menſes ſex relinquunt: eſt autem hoc multo magis incidendi vi præditum. Vtile eſt collutum ad gingiuas nimio humore madidas, nam eas aſtringit & firmat, dentes labantes ſtabilit, fœtentem ventriculi halitŭ ſatis emendat, ſorptum guttur indurat, & calloſum reddit, ſonoram nitidamq; vocem efficit. Aſſumitur & ad ſtomachicos, ægreq; cibum concoquentes, & comitiales, & vertigine tenebricoſa vexatos, & melancholicos: item ad vteri ſtrangulatus, lienes nimis extumeſcentes, coxendicis dolores valet: recreat reficitq; eos qui admodum imbecilli ſunt, & corpus ſalubre ac bene coloratum reddit. Viſum quoq; acuit, auditus difficultatem inſtillatum corrigit. in ſumma ad omnia efficax eſt, præter quàm ad inteſtinorum exulcerationem.

Actuarii Joannis filii Zachariae operum - page 423 sur 731

Datur ſingulis diebus ſorbendum ieiuno, inter initia, modicum, paulatim autem copioſius, vt vſq; ad cyathũ increſcat modus, ſunt qui duos aut etiam plures cyathos præbent.

De purgantibus medicamentis. CAP. VIII.

DE medicamentis purgantibus iam nobis eſt diſſerendum: quandoquidem eorum quædam flauam bilem, alia nigram, nonnulla pituitam aut aquam euacuare ſolent. Ac flauam bilem educentibus vtimur, in quibus ipſam ori ventriculi inſidere ſuſpicamur, & in quibus per venoſum genus diſperſa eſt: in tertianis item febribus: & continuis iam decreſcentibus, ac in arquatis: atq; vt ſummatim dicam, in quibus flauam bilem redundare arbitramur, iuxta iam ſuprà à nobis traditas dignotiones. Nigram verò bilem vacuantibus vti conſueuimus in melancholicis, in ijs qui facile excandeſcant, iracundis, hominum conſuetudinem auerſantibus, & in habitibus aridis, ſanguine pauco præditis, ſolitarijs, quartanis febribus, & furore percitis. Pituitam autẽ ducentia vſurpandum, in frigidioribus habitibus, ætatibus, & morbis: puta in reſolutis, & membris captis, attonitis, tumoribus laxis & extuberantibus, coxendicum doloribus, & in eo aquæ intercutis genere, quod ἀνὰ σάρκα Græcis nuncupant, &, vt vno verbo abſuoluam,

uam, in quibus pituitam moleſtam eſſe opinamur. Quemadmodum aquam ducentibus medicamentis eſt vtendũ, in ea aqua inter cutem laborantibus, quæ ab vtris ſimilitudine ἀσκίτης ὕδερ dicitur, & in fœminis quas album proſluuium diu infeſtauit, & in ijs quibus vlcera fluxione aſsidua madent. Cæterùm iam de ſimplicibus medicamentis, quæ ſua natura purgatoria ſunt ſigillatim agemus, & quem ipſorum vnumquodq; humorem expurgat explicabimus: deinde de compoſitis quoq; pertractabimus, ne quid in noſtra pollicitatione deſideretur. Aloë igitur vniuerſum corpus haudquaquam vacuat, ſed inhærentem ventriculo, aluo, ac inteſtinis bilem, vnà cum inſidentibus inibi recrementis citra noxam exigit. Proinde danda eſt ijs qui capitis afficiuntur moleſtia, propter continuas exhalationes, quas ventriculus ad ipſum expirat: nanq; inutilium vaporum ſuppeditationem præſcindit, exhibenda quoq; eſt ijs qui eandem ob cauſſam lippitudine oculorum laborant, quiq; propter inſidentem bilem ſitiunt, & lingua ac os promptè reſiccatur: adhæc ijs qui ſtomachi inſuauitate, aut æſtu ſubuertente corripiuntur, necnon ijs qui præter rationem pallidiores euaſerũt: quin & in ijs quibus alui excrementa ſubduci poſtulant, verùm clyſteres aliqua de cauſſa infundi

Actuarii Joannis filii Zachariae operum - page 425 sur 731

©BIUM

fundi non possunt. Præbetur siliquus, ex aqua mulsa, in læuorem verò subacta, succoq; corticis citri, aut si is non adsit, brassicæ aut absinthij succo excepta, cogitur in catapotia, ciceris magnitudine. Alij cum terebinthina, vel melle decocto, vel alio quouis simili efformant: tu verò, prout rerum copia subministrabit, vel, vt melius dicam, quod commodius ægro fore putabitur, cum alijs commisceto, ac ægrotantibus exhibeto. Scammonium flauam bilem potissimùm expellit, sed oris ventriculi dolorem excitat, & odore graui, gustu insuaui, ac siticulosum est. nam cùm purgatoria omnia, præter aloën, stomachũ offendant, scammonium multo reliquis magis ventriculo nocet: quare cauendum ijs est qui ipsum imbecillum obtinent, & febriunt. cùm enim leuissimũ sit, leui negocio in corpus rapitur, omnẽq; eius spurcitiam commouet, verùm à facultate retentrice inhibetur, quo minus excrementa ad excretionem perducat. Itaque dandum est ijs qui febri vacant, & stomacho valent, & ægrè vomitus prolicitur, nec facilè animo deficiunt: modus exhibitionis sunt scrupuli duo, paulo plus minúsve, pro virium ratione: permiscendus est sal, ac thymus, & pulegium, aut odoratum aliquod, & quod ventriculum roboret. Qui ipsum sustinent, etiam aloën miscere præst

præſtat: datur & per ſe ex melle, vel ptiſſanæ cremore, quibus clanculum exhibere cupimus.

Peplium, huius ſemen, (ſunt & qui cum virgultis, exiccatum & cribro excuſſum, quatuor ſcrupulorum pondere præbent ex mulſa, pauxillum aceti adſpergentes) poſt flauam bilem, nigram quoq; & pituitam expurgat, flatus item diſrumpit: quare in primis flatulentis affectibus auxilio eſt ijs qui melancholiæ præbent exordium, diuturnis inflationibus lienis, vteri & inteſtini laxioris, quinetiã laxis tumoribus in abdomine ſuccurrit. Veratrum nigrum, atram bilem, & flauam vndiq; ex corpore trahens, deorſum pellit, non tamen cum difficultate: quocirca ipſum in febribus circuitu redeuntibus, & diuturnis exhibemus: datur etiam furore percitis, altera capitis parte dolentibus, & quos cephalæa diu infeſtauit. Eſt autem longè omnium aptiſsimum, inteſtinis, vtero, veſicæ, medicamentum purgans exhibentibus. Maxima eius vis eſt, educendi peculiariter ſi quid permixtum eſt ſanguini, quod ipſum vitiare poſſit: quare & in vetuſtis arquatis commodum eſt, & aſpritudinibus quæ in ſumma cute exoriuntur, qualis eſt lepra, impetigines, & id genus alia: quin & elephantia laborantibus eſt accommodatũ. Modus exhibitionis ſunt ſcrupuli tres, paulò plus min

©BIUM

minus've tenuium fibrarum è radicibus pendentium, in aqua paululum maceratarum, deinde cortice detracto, ac in vmbra siccato, proiectaq; tenui, quæ ipsi subest medulla. Datur autem ex passo & oximelite, verùm suauitatis gratia, quædam ex odoratis seminibus sunt inserenda, si verò efficaciorem cupis purgationem, scammonij pauxillum adijcito. Epithymum, nigram bilem detrahit: datur adultis tusum, & incerniculo cretũ, scrupulorũ quinque pondere, ex passo, aut aceto, mulso, & salis modico. Vitis flatulentis, & præcordiorum affectibus, quibusq; iecur grauatur, & respiran di difficultate laborant, opitulantur. Eodem quo epithymum modo, quod in stœbe, & quod in satureia, ἐπίθυμβρον nominatum, nascitur, purgat, sed facultate est imbecillius.

Filicula, bilem, & maximè atram, ac pituitam ducit: dantur purgatæ radicis seni scrupuli, adfusa aqua mulsa. Purgat quoque mediocriter & citra molestiam, in gallinaceo iure, & in ptissanæ cremore cocta radix. Pulegium atram bilem pellit, acetabuli mẽsura in mulsa potum, eodem modo, & tragoriganum & parthenium, quod & leucantemon nuncupatur, singula sex scrupulorum pondere purgant, idem præstat & alypum, danturq; eius scrupuli sex. Verùm præstat ea exhibere ex aceto, &

exiguo

exiguo ſale, & aqua, vt ſicca & trita potui inſpergantur. Armenium, quo picłores vtuntur, atram bilem, & quicquid ſanguini craſſum lentumq; commiſtum eſt, euacuat: quapropter datur melancholicis, elephantia laborantibus, & ſimilibus: quin & nephriticis ac ſuſpirioſis præbetur: modus ſunt ſcrupuli quatuor, paulo plus minus've pro ſumẽtis viribus.

Centaurium tenue, bilem craſſiſſimam ac muccoſam educit, quare commodè lienoſis, & coxendicis dolore infeſtatis exhibetur: bibitur huius decoctum aqua feruefactum, ſit autem centaurij pondus ſcrupuli ſex, & aquæ hemina, quæ ad dimidias coquantur. Colocynthis pituitam, bilem, & muccoſum ſuccum purgat, quamobrem neruoſa corpora repurgat. datur ergo conuenienter in omnibus capitis affectibus, & erecta ceruice ſpirantibus, ac ſimilibus item coxendicum cruciatibus, morbis articularibus, & longis renum veſicaq; affectionibus, quinetiam ijs quibus extricatu difficiles præduriq; ſunt affectus. dantur autem ſcrupuli duo. Deligenda eſt candida eius ac tenella medulla. aridiuſcula enim & nigricans damnatur, tundatur verò & teratur ſedulò, ſæpeq; cribro ſuccutiatur. Atq; vſu appetente, perquam diligenter in mortario cum aqua mulſa teratur, ſiquidem eiuſmodi quippiam patitur,

vt

©BIUM

vt tusa priusquam maceretur, tenuissima maneat, verùm coniecta in mulsam intumescat, ita vt cribrata non credatur. Igitur nonnullæ ex particulis quæ intumuerunt, interdum aluo aut ventriculo adhærent, maximè in intestinorum anfractibus, ob mollitiem, insidentesq́, quòd acres natura sint ac mordaces, intestina exulcerãt, & per consensum neruos afficiunt, torsiones & contractiones inferunt. Quare multa cum attentione, in aqua mulsa in maximum lænorem redigi debet. Si mitius purgare est animus, prægrandis colocynthis sumenda est, eaq́; aperta supernè semen eximere conuenit, deinde lomentum eius in suum inuolucrum sine semine reponere, & sapa, aut vetere passo repletam, sinere vt noctem & diem maceretur, posthæc vinum linteo colatum ac à sordibus repurgatum, calfactum propinare. Maximè quoq; arquatos expurgat, eosq́; quibus in suma cute liuores è flaua bile apparent.

Tithymalus pituitam & bilem educit. virentes eius ramuli assumpti, & in testa paulatim torrefacti ac contriti præbentur. miscentur eius scrupuli tres cum polenta in aqua, & propinantur: nam ramuli exiccati, impotentiores sunt. Porrò tithymali characitæ dicti erutam radicem in vmbra exiccato, postea cùm vsus postulat, detracto cortice, tusam cribrato, &

in

in passo veteri quaternùm scrupulorum pondere coniectam, noctem & diem finito madescere: dehinc per linteũ detritum percolatum, ac leuiter calfactum vinum potui dato. Optimè enim purgat, adeò vt quidam in omnibus vitijs eo vtantur. Succus verò tithymali, qui iuxta aquas, & humida loca enascitur, sale & arido pane exceptus, idem præstat, sed vehementius aluũ deijcit. Succus cucumeris agrestis, quem ἱλατήριον nominant, pituitã & bilem vacuat: dantur oboli terni, cũ lactis statim emulsi instar hemina. Granum Gnidium serosum potius & aquosum humorem elicit, pituitam verò & bilem modicè expurgat: est æstuans et acerrimum, dantur grana triginta. Quòd si mitius purgare velis, dato grana viginti: interna granorũ pars trita, atq; cum polenta in vnitatem cocta, præbetur potanda: sed post potionem, rosaceum aut melinum oleum, ne fauces adurat, sorberi debet. Quare satius est vt trita ex melle cocto, in catapotia digerantur. Agaricum, pituitã & bilem, sed non eueſtigio, detrahit: modus exhibitionis est siciliquus ex aqua mulsa, vel aceto mulso. Aduersatur stomacho, quòd leue sit, & enatare soleat. Cnici semen purgat pituitam, non tamen fortiter: seminis læuigati drachmas quinq; in gallinacei decocti ius, vel ptissanæ cremorem

injcito,

inũcito, colatumq; propinato : sunt qui seminis interiorem partem drachmæ pondere sumant, & cum amygdalis, aniso, & melle cocto mistam terant, & in catapotia efforment, ac arquatis commodè præbeant: quod etiam mitius est. Lathyris vehementius pituitam purgat: dantur eius grana maiora quindecim, & minora viginti : atq; ijs qui vberius purgari cupiunt, mãdi: qui verò multa euacuatione opus non habent, integra deuorari iubentur, præsertim si eius qui sumit, stomachus vitiatus fuerit. Aristolochiæ clematidis fructus succus, si tritus bibatur, pituitam bilemq; prolicit: est autem stomacho accommodatus, & gratus. Mercurialis herba, si tenella eius folia decocta edãtur, stercus expellit, sin eius decoctum vino dilutum bibatur, mediocriter alui excrementa mouet. Cucumeris syluestris radicis cortex, ex aqua mulsa potus, abundè & citra noxam pituitam ducit, neq; ventriculum quicquam offendit. Styrax pinguis & flauus sesquidrachma pondere cum terebinthina, pituitam magis abundantem sine molestia subducit. Thymi ternæ quaternæve drach. cum aceto mulso & salis modico, abundè citraq; noxam pituitam & bilem educunt. Cyclamini radicis quàm tenuissimè tritæ drachmæ tres aut quatuor, pro assumentis viribus potæ cum aqua mulsa,

pituit

pituitam & bilem purgãt, ſed præcipuè ſudorem proliciunt: quare bibẽtem oportet decumbere, & corpus tegumentis fouere, ac ſudoris excretioni opem ferre. Allij in tenuiſſimum læuorem redacti ſiciliquus, aut drachmæ tres, ſi ex aqua mulſa bibantur, pituitam pellunt. Aiuga in tenuiſſimum puluerem redacta, ſi ſiciliquus cum ficis aut melle cocto aſſumatur, pituitam ſufficientem trahit. Euphorbium, pituitam, ſed potius aquam ſubducit. eſt autem acutiſſimum, & maxima ignea vi præditum: quapropter colicis, quibuſq; venter frigidior eſt, exhibetur: alios ſatis & vehementer conturbat, ſitimq; maximè mouet. quippiam ex odoratis ſeminibus ei permiſcetur, & trium obolorum pondere ex aqua mulſa præbetur: ſed præſtat, vt cũ melle cocto in catapotia efformetur. Squama æris aquam purgat: datur ex aqua mulſa, verùm non aquam modò, ſed & pituitam educit. Veratrum album, varios humores vomitione educit: datur ieiunis per ſe, et cum ſeſamoide, thapſiæ ſucco, halica, aqua mulſa, lenticula, aut ſorbitione quapiam. Nonnulli exiguo cibo antea exhibito, veratrũ offerunt, ijs potiſſimùm quibus ſtrangulationis ſuſpicio imminet, aut corporis imbecillitas adeſt. Siquidem in ijs qui ita aſſumunt, purgatio periculo vacat, quòd medicamentum citra me-

Actuarii Joannis filii Zachariae operum - page 433 sur 731

dium corporibus nõ apponatur. Quin & glandes ex eo ſedi inditæ, vomitiones cient.

Seſamoides magnum, ſupernè pituitam purgat, ſi quãtum tribus digitis comprehendi poteſt, tritum vnà cum veratro albo trium ſemiobolorum pondere ex melle ſumatur. Cucumeris ſatiui radix trita, ex aqua mulſa drachm. pondere epota, vomitiones prouocat. Quòd ſi quis à cœna leuiter vomere cupiat, oboli duo ſatis facient. Pedicularis herba, ſi quis eius grana decẽ aut quinq; trita in aqua mulſa dederit, pituitam craſſam vomitu expurgat. Verùm qui hauſerint, obambulare debent, ſed adſit mulſa quæ aſſiduè affundatur, quòd ſtrangulationis periculum creet, ſiucesq; adurat. Thapſiæ tam radicis ſuccus, quàm lacryma, & cortex, ſi ex mulſa bibatur purgandi ſuprà infraq; vim obtinet: datur ex radice pondus quatuor obolorũ, cum anethi ſeminis drachmis tribus, & ſucci tres oboli, lacrymæ verò drachma: nam ſi copioſius exhibeatur, periculo non caret. Confert etiam per eam purgatio ſuſpirioſis, laterum doloribus diuturnis, et reiectionibus per vomitum, ijs quibus ægrè vomitus prolicitur, in cibis, aut decocto præbetur. Geniſta, huius fructus & flores tuſi cum aqua mulſa pondere obolorum quinque, ſupernè cum diſtenſione, vt veratrum, citra

peric

periculũ expurgant: fructus verò infrà aluum ſubducit. Bulbus, qui vomitorius nuncupatur, folia habet lentiora, longéq; maiora quàm qui edendo eſt, radicẽ bulbo adſimilem, quam cortex niger ambit: hæc ſi per ſe eſtur, decoctum've eius potatur, vomitum prouocat.

Sambucus & ebulus, refrigerandi, aquamq; educendi vi præditæ ſunt, cæterùm ſtomacho aduerſantur. Harum folia decocta, pituitam, bilemq; educunt, & radix vino incocta atque exhibita, aqua inter cutem laborantibus ſuccurrit. Alypum fruticoſa eſt herba ſubrubra, ramulis foliiſq; tenuibus, flore molli, leui, radice betæ ſimili, acri lacryma referta: ſemen eſt quale thymi, gignitur in locis maritimis, huius ſemen atram bilem per inferna ſubducit. Clematis, ſarmentum profert ſubrubrum, viticoſum, foliis admodum acribus, & exulceranti-bus: arboribus circunuoluitur ſimilacis inſtar.

Huius fructus tritus, ex aqua vel hydromelite potus, pituitam & bilem infernè ſubducit.

Inter ea quæ per quam modicè purgant fructus quidam noti, lignoſi, cenſentur, qui è Syrio & Ægypto ad nos deferuntur: quorum alia lutea, quædã cepule ſunt, & quæ nigrum, aut nigra nuncupantur, quæ omnia cõmuni nomine myrobolana nominantur. Duæ aut tres eorum drachm. leuigatæ, purgandi vim obti-

Actuarii Joannis filii Zachariae operum - page 435 sur 731

nent, & priuatim capitis ſuperuacuum humorem exhauriunt, ac lutea bilem flauam euacuant, vt pituitam cepule, & atram bilem, nigrum detrahit. Cæterùm ventriculum ac inteſtina, ſua aſtrictione confirmant roborantq;. Torrefacta ablutaq; plurimum vis purgatoriæ exuunt, ſed tenuiorum partium euadunt, exiccantiaq; magis. Quare quibus fluxio deorſum proruens moleſta eſt, ac inteſtina vlcerat, hæc aſſumimus, quæ modicè humorem defluentem ſubducunt, & notatu dignum robur inteſtinis conciliant. Eandem & conſimilem facultatem obtinet, quod empeliliz, & quod emplitzi, barbara voce appellatur. Vnde & ex his quinque commiſtis, Barbari ſapientes medici id medicamentum, quod tryphalum paruam nuncupant, condunt: de quo paulò pòſt, cùm compoſita medicamenta purgantia recenſebimus, pertractabimus. Porrò quod ſene nominatur, & ipſe fructus quidam eſt, qui inde adportatur: drach. pondo aſſumptum citra noxam purgat, pituitam ac bilem educit. Poſt id admodum mediocriter caſia nigra & manna purgant: nempe caſia trium aut duarum drachmarũ ponduſculo, vix vtiq; purgabit: at manne pluſculũ etiam adſumitur: atq; hæc flauam bilem ſolum educit, & caſia ipſa quoque flauam vacuat, ſed eã potius, quæ iam retor-

rida

rida eſt, & in nigram migrauit, modicè præter ea pituitã educit. Exhibemus autem vtranq; quibus non licet aliud vehemens medicamentum offerre, nempe pueris, & fœminis vterum gerentibus, ſiquando vſus poſtulat, & neceſſitas vrget: adhæc, quos febris quæpiam exuperans, à reliquorum medicaminum aſſumptione arcet. Cæterùm quoniam purgantium medicaminum, quædam acriter, alia modicè ſuæ natura purgant, atq; hæc illum humorem, illa hunc educere ſolent, ſpectandum eſt, quo pacto aduerſus humores in ægris præpollentes medicamenta & miſcere & componere conuenit, ne alios aliorum loco humores vacuemus. non enim ægrotantem ſimpliciter inanire confert, ſed noxium humorem expurgare decet: atq; eò fit vt non omnes qui purgantur, leuiter ferant & citra noxam euacuentur. Præſtat autem humorem, niſi turgeat, coquere, ac meatus reſerare, aluumq; antea, ſi ita res exigit, eluere, aut per ea quæ modicè euacuãt, prius vacuare, quo medicamenta melius peneirent, magisq; efficacia reddantur, eiuſmodi ſunt Zulapia, quæ è radicibus vrinam pellendi vi præditis, componũtur: qualis eſt radix fœniculi, apij, anethi, intubi erratici, et ſylueſtris, atq; id genus alijs. Adhæc cõcoquentia & emollientia: talia ſunt quæ è malue ſemine, althæa, bugloſſo, buphthalmo

Actuarii Joannis filii Zachariae operum - page 437 sur 731

thalmo, dulci radicula, & adianto cõponuntur: atq; ex fructibus æstiuis, pruna Damascena, Zizipha, & uuæ passæ granis repurgatæ. Deinde ea quæ iecur aut lienem in primis infarctu liberant, aut humorem quempiam lacessunt, puta eupatorium, securidaca, trissago, ainga, centaurium, stœchas: & quæ ex arte et recta medendi ratione inseruntur, quæq; purgatorijs uiam sternunt, ex quorũ numero sunt etiam cucumeris & portulacæ semina, oxosac char, atq; id genus alia: & præsertim, in temperamentis affectibusq; calidioribus, ueluti postea de omnibus docebimus. Itaq; ne tibi sit difficile, ante purgationes, medicamẽta concinnare, quæ humores coquãt, & meatus obstructionibus uindicent, ubi paucis hæc uia ac ratione docendi explicuerimus, deinceps de purgationibus quoq; disseremus. Vbi itaq; flaua bilis deijcienda proponitur, si ipsa efferuescit, ac hominem exurit, & calida medicamenta renuit, huiusmodi Zulapium cõcinnamus, quod ante purgatorium, diluculo ieiuno exhibemus, donec in urinis concoctio conueniens apparuerit: seminis cucumerum quadrans, seminis portulacæ, seminis intubi, radicum intubi, intubi erratici, singulorum uncia, rosarum, uiolarum, nymphæa, ænanthæ, singulorum semuncia, seminis papaueris, & lactucæ, utriusq;

duella

©BIUM

duella, pruna Damascena trigintaquinq;, Zinziphа quinquagintaquinq;, myxaria, & Zartali, singula quinq; & quadraginta, saccharis libræ duæ: hoc bilis feruorem retundit, intestina emollit, & meatus infarctu liberat: quod si scammonium quoq; adieceris, sine molestia bilem expurgat. Verùm si bilis non admodum ferbuerit, ex his rebus Zulapium conficimus: radicum apij, radicum fœniculi, intubi erratici, fumariæ, radicum intubi syluestris, singulorum vncia, bugloßi, eupatorij, buphthalmi, dulcis radiculæ, seminis althææ, singulorum sextulæ quinq;, violarum seminis portulacæ, seminis intubi, singulorum semuncia, santali rubri, & lutei, vtriusq; duella, rosarum, nymphææ, croci, singulorum sextula, saccharis libræ duæ. Cùm verò pituitam vacuare in animo fuerit, si homo alioqui ætate fuerit vigente, & ferè calida temperatura, verùm ob errorem in victus ratione admissum, & frigidorum abusum, eam collegerit, huiusmodi componimus medicamentum, & præsertim si stomachus nimio humore maduerit, radicibus rursus quæ mouendæ vrinæ sunt, acceptis, ita miscemus: radicum apij, radicum fœniculi, radicis condimentariæ syluestris, radicum anethi, trissaginis, aungæ, centaury, seminis althææ & maluæ, securidacæ, singulorum vncia, mastiches, asari,

Actuarii Joannis filii Zachariae operum - page 439 sur 731

ſpicæ, ſingulorum ſemuncia, carnabadÿ, ſeminis fœniculi, ſeminis apÿ, aniſi dulcis, ſingulorum ſextulæ quatuor mellis libræ duæ: melius enim eſt ex melle conficere, vtpote quod abundè calidum eſt, magisq; attenuet, & obſtructiones extricet. Si frigidus omnino æger fuerit, corpusq; totum humidis frigidisq; ſuccis redundauerit, ſatius eſt ſicco Dioſpolitæ medicamento vti, aut alio aliquo conſimili, quod ſatis excalfaciat, & nimium humorem reſiccet. At cùm atrobilarem ſuccum detrahere voluerimus, hæc aſſumimus, potißimùm ſi qui purgatur, ſiccus eſſe videatur: radicum apÿ, radicum fœniculi ſylueſtris, fumariæ, ſtœchadis, buglоſſi, bupththalmi, ſingulorum vncia, aſplenÿ, triſſaginis, radicis capparis, ſeminis petroſelini, ſingulorum ſextulæ quinque, dauci ſeminis, ammis, dulcis aniſi, ſeminis fœniculi, ſingulorum ſemuncia, ficorum pinguium, dulcis radiculæ, vtriuſq; ſextulæ quinque, ſeminis ocimi duellæ, croci ſextula, mellis libræ duæ, aceti quadrans: ſi qua flaua bilis humori melancholico commiſceri putabitur, ita facito: capit ſpicæ, roſarum, vtriuſque vnciam, croci drachmam, ſeminis apÿ, ſeminis fœniculi, in aqua donec ſufficiet, feruefacito, deinde adiecta mellis ſelibra, & aceti quadrante, vſque ad conſiſtentiam & ſpiſſitudinem coquito.

De

De purgantibus medicamentis compositis.

CAPVT IX.

PORRÒ quoniam de simplicibus humoribus satis diximus, tibi licebit, inde de complicatis quoq; occasionem nacto, ea etiam componere, atq; exuperantiæ humorum complexorum, te quænam medicamina sint commiscenda docere poterunt. Quare iam reliquũ sanè est, vt de purgantibus, quæ maiores nostri composuerunt, verba faciamus, vnde & tu, & quiuis alius exorsus, cognitis simplicium cuiusq; facultatibus, solus quoq; medicamenta componas. Cæterùm medicamentis purgantibus commiscentur, alia quæ iniucunditatem retundant, quædam quæ calorem aliam'ue quampiam qualitatem deponant, nonnulla, quæ vẽtriculo robur adiũciant, (plerunq; enim deiectoria stomacho aduersantur) alia quæ illis viam parent, humorumq; crassitiem incidant: atqui eiusmodi, vel ex ipsis particulariũ specierum viribus disces, quæ in libris de simplicium medicamentorum facultate tradũtur. Cæterùm nos hic ipsa illa veterum purgantia medicamenta deponemus, quo pacto componantur. quosq; humores euocent, exponentes: tu verò, hinc sumens occasiouem, quibus opus erit, ad hanc rationem medicamenta conficito, & componito. Hoc tamen de his ignorasse

©BIUM

haud decet, quòd quædam in grana ſiue orbiculos effingimus, quæ magnitudine eruum, aut cicer æquent, eaq; præbemus, ſiquando iniucunditatem cælare volumus, aut cùm ventriculum humidiorem deprehendentes, humiditatem illi addere nolumus. Quædam in trituram redigimus, non quo inſuauitatem fallamus, ſed vt humorem vitemus, alia in bellaria digerimus, nonnulla in Zulapia: ſunt & quæ ceu emplaſtra, vnguentaq; conficientes, ſuper vmbilicum damus, quæ vmbilicaria quoq;, & Græcis ὑπομφάλια appellantur: aut pedes illinimus, & abundè euacuamus. Dicemus autem de ſingulis, vt omni ex parte libro oriatur perfectio. Compoſitio orbiculorum, quos Græci κοκκία nominant, ad detrahendum flauam hydropicorum aquam, & materiam quæ tumorem efficit diſcutiendam, valet & ad lumborum dolorem, & podagram, quam frigida cauſſa creauit. Capit euphorbij ſiliquum, ſurculorum tithymali drachmam, ammoniaci, ſagapeni, opopanacis, bdellij, ſeminis apij montani & hortenſis, ammis, ſpicæ, ſingulorum ſemidrachmam: tuſa cribrataq; cum oleo amygdalino cogito, & cum fœniculi ſucco ſubacta, in vmbra ſiccato. datur ſextula ex aqua calida. Aliud, quod flauam bilem educit, tumorem deprimit, & iecur roborat, recipit abſinthij,

©BIUM

thÿ, turpeti, (quæ pityusa nuncupatur) sagapeni, singulorum drachmas quinque, seminis apÿ hortensis & montani, seminis fæniculi, anisi, singulorum siliquum, scammonÿ, surculorum tithymali, mastiches, casiæ, cinamomi tenuis, singulorum drachmam: cõtusa & creta in orbiculos fingito. præbetur duella ex aqua tepida. Aliud, quod flauam atramq; bilem expurgat, crudos humores deÿcit, sanguinem attenuat: cæterùm quot dies aluum subducit, totidem quiescere decet, rursusq; medicamentum repetere, dum integra absoluatur purgatio Accipit myrobalanorum flauorum, & Indici, & nigri Damasonÿ, & chrysobalani, & pityusæ, singulorum sesquidrachmam, epithymi Cretensis, filiculæ, violarum, singulorum drachmas tres, rosarum, seminis fæniculi, anisi, seminis absinthÿ, iunci odorati, cinamomi, spicæ, mastiches, cardamomi, amomi, singulorum drachmam, scammonÿ drachmam cum semisse, saccharis sesquunciam: tusa cribrataq; in vase trituram habeto. Dantur drachmæ tres, & si febris adsit, datur ex aqua egelida. Oxosacchar, corpora calefacta potum iuuat. Valet & ad febres acutas sanguineas & biliosas, iecoris lienisq; calorem, eorumq; infarctus expedit. Capit corticis radicis capparis, apÿ, intubi, singulorũ drachmas viginti,

folior

foliorum roſarum, ſeminis ſæniculi, vtriuſque drachmas decem, ſpicæ, iunci odorati, ſeminis apij, ſingulorum drachmas quinq;, hæc in aceti acerrimi libris quatuor macerantur, ſtantq; ſimul noctẽ & diem, deinde molli igne coquuntur, donec dimidium ſuperſit: poſthæc croco & ſacchare adiecto, fit Zulapium. Inter coquendum autem ſcammonij ſextula teritur, & in linteo ligata inditur vt ferueat. Perfectus exhibitionis modus eſt ſextans, cum obſeruatione, & moderatione. Aliud, è fumaria ad ſtauæ bilis incendium, ſcabiem & vulnera, & iecinoris obſtructionem, valet & ad arquatũ, corpus repurgans. Corticis myrobalani lutei, cepule, & Indici, & Damaſonij, empelliz, & emplitz, florum violarum, filiculæ, abſinthij, epithymi, ſingulorum ſextans: ea confringantur, & diem noctemq; in aqua fumariæ macerentur, ac vſq; ad dimidias coquantur: dehinc percolata vſq; ad concrementum cum ſacchare decoquantur: potionis modus eſt ſextans, cum ſcammonij granis quatuor. Alia compoſitio decocti, aluum ſoluentis, iecinoris dolori opitulatur, bilem flauam, atramq; item pituitam, & caput purgat, ſi autumno & vere propinetur. Capit Damaſcena, Zinzipha, myxaria, ſingula triginta, adianti, florum bugloſſi, vtriuſq; manipulum, violarum drachmas octo,

roſar

roſarum ſiciliquum, dulcis radiculæ, filiculæ, epithymi, ſingulorum drachmas tres, corticis radicis apij, & fæniculi, & intubi, ſingulorum drachmas octo: coquantur in aquæ libris quinq; vſq; ad tertias, deinde decocto pulueris myrobalani lutei drachmæ octo, myrobalani cepule, drachmæ quinq; imponantur, & noctem diemq; macerentur: adhæc diluculo ius decocti calfactum ſacculis transfundatur, diſſoluanturq; in eo, mannæ, arundinis Indicæ drachmæ octo, palmæ ſylueſtris fructus, (ἀξυφοίνικα vocant Græci) ſeſquuncia, mannæ ſimplicis drachm. ſex, & rurſus per ſaccum tranſmittatur, deinde adiecta vnguenti nardi vncia, tepefactum exhibeatur. Compoſitio alia, quæ vere & autumno contra febres acutas præbetur: continet Zinzipha, Damaſcena, vuas paſſas ab Iconio, ſingulorum numero viginti, violarum ſeſquunciam, adianti, fumariæ, florum bugloſſi, intubi ſatiui, cuiuſq; manus plenæ faſciculum: vuarum paſſarum acinis repurgatarum vnciam: hæc feruefacito in aquæ ſeſquilibra, tantiſper dum dimidium ſuperſit: poſthæc ſubigito, & per ſaccum excolato: poſtea eiuſmodi liquori ſylueſtris palmæ fructus ſeſquunciam, arundinis Indicæ repurgatæ vnciam, mannæ drachmas ſex adijcito: rurſusq; ſubacta deſecato, atq; excalfaciens

ciens modicè, addito Zulapij violarum sextantem, & propinato diluculo. Orbiculi è sagapeno, valent aduersus articulorum morbos, coxendicem, ventum neruorum, morbumq; omnis generis, quem frigida crassaq; recrementa concitarunt. Capiunt sagapeni, myrobalani, cepule, pityusæ, hermodactyli, singulorum drachmas quinq;, scammonij castorij, capsici singulorum sesquiscrupulum, balsami, (quod sisymbrium appellatur) nepetæ, seminis cicutæ, singulorum drachmas octo: tusa cretaq; cum aqua apij subigito, masliches, anisi, stœchadis.

Alij orbiculi, ad pedum dolorem accommodati, sumuntur quouis tempore: aloës, hepaticæ, penidiorum, vtriusq; drachmæ decem, sagapeni, myrobalani flaui, & Damasonij, hermodactyli, singulorum drachmæ quinq;, piperis, piperis longi, vtriusq; siciliquus sesquiscrupulus, lacrymæ Cyrenaicæ, opopanacis, vtriusq; drachma, nasturtij candidi, capsici Indici, vtriusque drachma. contundito & cribrato, ac cum succo porrorum fermentato, ac orbiculos formato: modus exhibitionis est siciliquus. Aliud ad pedum dolores regium. Capit myrobalani flaui, Damasonij, emplitzi, zingiberis, singulorum sextulas quatuor, origani sextulas septem, capsici duellam, hermodactyli candidi, sextulas viginti, penidiorum

sextulas

ſextulas duodecim, bdellij ſextulas quindecim. tuſa cretaq; cum ſucco ſolani ſubigito, & in orbiculos cogito: & ſimul atque æger dolorem perſentit, ante vel poſt cibum, adſumat duellam ex aqua calida, aut vino. Parua triphylla dicta, prodeſt interaneorum doloribus ac ſtomachi, imbecillitatiq; eiuſdem ab humiditate contracta, integram valetudinem tutatur, eſtq; ad alia quæpiam vtilis. Capit corticem myrobalani cepule, & huius vice, ſi voles, Indici, empelilizi, & emplitzi, ſingulorum partem vnam: trita & cribrata miſce cum oleo roſaceo, & cum melle deſpumato ſubige. Dandi modus eſt duella, aut ſemuncia, ex aqua egelida. Qui voluerit perfectæ vtilitati interaneorum conſulere, vt ea à deiectionum labore liberet, bdellij cæſij partem adijciat, ſi verò ſanguini euacuãdo opem ferre cupis, adde gummis torrefacti partem, verùm ad vtilitatẽ ſtomachi imbecilli, & infernarum partium correctionem apponitur roſarum, & maſtiches pars, & aniſi, ac caryophyllorum dimidiata pars: contra cordis palpitationem, ligni aloës admiſce, & aduerſus ægritudines quas atra bilis gignit, pars epithymi adiungitur: ſi verò pituitam vacuare animus eſt, alypum adhibe: deniq; ad molẽ quam ſpiritus & flatus procreãt, cruditatesq;, & coitus incrementum, inſere.

Zingib

Zingiberis & galangæ, cuiuſq; partem, capſici Indici, piperis longi & tenuis cinamomi, ſingulorum partem dimidiam, ſitq; idoneum medicamentum. Non deſunt medici, qui vt color veſtuſtior reddatur, crocum adiiciant. Sacra amara Galeni, quæ ex aloë conficitur, valet aduerſus eos quibus in ore ventriculi, bilioſi, putreſq; humores impacti hærent, atq; ad tenebricoſam vertiginem inde enatam, oculorum hebetudinem, capitis dolorem, & ſtomachi amaritudinem, faciei pallorem, quin & ad ea quæ ob oculos ceu culices aut pili obuerſantur: fæces quoq; alui deducit, mediocriter purgans, & ad iecur vſq; progreditur: quare eos quibus id eſt calidius, offendit, & ſtomachum iuuat. Exhibitionis modus eſt à drachma vſq; ad ſiliquum: ſpecies quibus hæc conſtat ſunt, croci, ſpicæ, ligni balſami, maſtiches, ligni caſiæ, cinamomi, ſingulorum ſextula, aloës ſextulæ octo. Ea teruntur, & cum braſſicæ aut abſinthij ſucco vel vino, vt fermententur, ſubiguntur. Huic ſcammonium adiungentes, flauam bilem purgamus: ſi verò agaricum & medullam permiſcemus, pituitam euacuamus: quemadmodum adiicientes epithymum, ſuccum melancholicum educimus. Sunt qui vt ſtomacho aptius medicamentum ex aloë conſtituant, & minus aluum ſubducens, aloën

duplo

duplo ad ſpecies omnes pondere, conȳciant, tri tamq; prius abluant, & in aquam mittentes, ſubſidere ſinant: dein emergentem ſummatim aquam vnà cum innatantibus ſordibus abȳciant, idq; iterum atq; iterum faciunt: vbi verò abundè lauerint, medicamentum morſus expers, & ſtomacho idoneũ reddunt: & reliquis ſpeciebus, vt dictum fuit, admixtis, medicamentum ita concinnatum, imbecillibus ſtomachis accommodatum eſſe inquit Galenus. Dioclis medicamentum quod aluum ſubducit in pituitoſioribus habitibus. ficus pingues triginta, ſpumæ nitri drachmas quatuor & viginti, Cuici ſeminis drachmas quindecim. Hac accuratè trita, cum deſpumato melle in vnitatem cogito, ac fruſtula triginta facito, quorum ſingula quotidie ante cibum aſſumantur. Catapotia ex colocynthide, quæ capiunt aloës vnciam, medullæ colocynthidis vnciam, euphorbȳ ſemunciam, veratri nigri vnciam, bdellȳ, gummis, vtriuſq; vnciam, nitri ſemunciam: hoc ſemper vtere, cùm melancholicum ſuccum aut pituitam purgare placet: nihil enim æquè poteſt in vnum cogere, & purgare neruos ægrotantis & caput, ac catapotiorum horum miſtura, ſufficiunt ad quatuor aut ſex, pro laborantis viribus. Porrò haudquaquam opus eſt ad perfectum exhibitionis modum progredi, ſed à

©BIUM

duobus tribus've ſcrupulis ordiri, & ſic procedere. Mel roſaceum purgans: conſtat roſarum ſucci libris tribus, aut quinq;, ſcammonij quadrante, agarici ſextante, mellis libris ſex: hoc flauã bilem detrahit, eſtq; ventriculo idoneum pituitam quoq; mediocriter pellit. Decoctio magna ad melancholicos, capit hyſſopi, epithymi, vtriuſq; ſextantem, myrobalana lutea ſeptem, nucis vnguentariæ duellam, veratri, pæoniæ, ſcammonij, triſſaginis, polij, ſingulorum quadrantem, ammis, nardi Celticæ, aſari, caſtorij, agarici, ſeminis fœniculi, hyperici, centaurij, pulegij, ſerpilli, origani, ſingulorum ſextantem, libyſtici vnciam, calami odorati ſextulas quatuor, polypodij, alypiæ ſeminis, nepetæ, ſingulorum trientem, medullæ ſelibram, peplij ſelibram. Antidotum Sungeli, vtile ad capitis dolorem, oculorumq; hebetudinem fronti illitum, ad ſtomachicos, iecinoroſos, lienoſos, colicos, articulorum doloribus laborantes, podagricos: appetentiam excitat, animi alacritatem, & colorem reſtituit, ſi cum vino bene diluto, aut melle probè temperato præbeatur. Modus dandi, eſt nucis Ponticæ magnitudo: ijs verò qui purgari cupiunt, drachma, aut quantum virium robur perfert. Datur & ad affectus muliebres, quouis tempore antè & poſt cibum: ſpecies hæ

ſunt,

ſunt, piperis longi, piperis candidi, piperis communis, cinamomi, xylocinamomi, filiculæ, nucis aromaticæ, caryophyllorum, ſingulorum ſextans, Zingiberis triens, ſpicæ, maſtiches, floris roriſmarini, ſeminis alypiæ, ſcammonij, ſingulorum vncia, ſaccharis dextans, mellis quod ſatis eſt. Aceti mulſi purgantis compoſitio, ad corpora melancholica: hyſſopi, thymi, epithymi, agarici, filiculæ, origani, pulegij, cumini, aniſi, radicis apij, ſingulorum faſciculi qui manu prehendi poſſunt: madeant in aceto noctem & diem, deinde probè decoquuntur: poſtea abiectis herbis, acetum cum pari mellis pondere in vnum corpus coguntur, & vſque ad craſſamentum coquuntur, demum ſcammonij ſextans immittitur: modus exhibitionis eſt duellæ, aut pro viribus. Sacra Galeni aduerſus maxima et deterrima vitia, quæ humores extricatu difficiles expurgat, & facultates naturales recreat, omnes autem humores purgat: ſi verò quempiam præ cæteris educere cupimus, commoderatum ſimplex aliquod deiectorium potioni adijcimus, illumq; humorem vnà detrahimus. Vtilis quoque eſt melancholicis, & comitialibus. Cæterùm antea accuratè meatus infarctu ſunt vindicandi, humoresq; concoquendi. Capit colocynthidis trientem, ſcillæ aſſæ ſextantem, aut quadrantem,

ſpicæ ſextulas quatuor, iunci odorati, polÿ, pulegÿ, aiugæ, ſingulorum ſextulas quatuor, euphorbÿ ſemunciam, gentianæ ſextulas octo, agarici ſextantem, ammoniaci vnciam, veratri nigri ſextantem, bdellÿ ſeſquunciam, aloës ſeſquunciam, marrubÿ vnciam, trium piperũ, cuiuſque ſextulas quatuor, ſagapeni ſemunciam, croci duellam, ariſtolochiæ longæ, & rotundæ, vtriuſq; ſemunciã, zingiberis trientem, cinamomi ſemunciam, opopanacis, caſtorÿ, petroſelini, vniuſcuiuſq; ſemunciam, deſpumati mellis quãtum ſufficit, paſt quod ad lacrymas macerandas ſatis facit. Sacræ Rufi Epheſÿ miſtura, pituitoſos craſſoſq; humores educens: triſſaginis dextans, colocynthidis, ſagapeni, caſiæ, filiculæ, ſingulorum bes, petroſelini, piperis candidi, vtriuſque quincunx, ariſtolochiæ quincunx, cinamomi, croci, agarici, polÿ, ſpicæ, nardi, myrrhæ, ſingulorum triens, opopanacis quadrans & drachm. quatuor, mellis deſpumati quantum ſatis videbitur. Sacræ Logadÿ compoſitio, hac plus cæteris ſuccum melancholicum expurgat. Thymi, ſpicæ, myrrhæ, ſcillæ aſſæ, euphorbÿ, ammoniaci, bdellÿ, zingiberis, aloës, ſtæchadis, hyperici, triſſaginis, ſingulorum vncia, epithymi ſextans, cinamomi quadrans, veratri nigri ſeſquuncia, petroſelini ſextulæ quatuor ſeſquiſcripulum, amomi,

ſilÿ

folij Indici, caſiæ, piperis communis, piperis candidi, caſtorij, opopanacis, medullæ, ſagapeni, ſingulorum ſemuncia, ariſtolochiæ ſextula, mellis quantum ſufficit. Sacra Memphitæ, caput, aures, & oculos purgat, abſceſſus ſtomachi diſcutit, auxiliatur comitialibus, qui concidunt, & ore ſpumam commouent, & linguam mandunt, vt arbitreris ita affectos à dæmone detineri. Conuenit cholericis, elephantia laborantibus, ſi ab initio morbi exhibeatur: ſubuenit feris impetiginibus, corpus erodentibus, lethargo correptis, & ijs qui inuiti vel vrinam, vel alui recrementa emittunt: vtiliter præbetur & ijs qui medicamentũ lethale hauſerunt, prodeſt iecinoroſis, lienoſis, pleuriticis, cardiaco vitio affectis: fœminis menſes pellit, quinetiam iſchiadicis, & lumborum vitijs conflictatis, ſufficiens auxilium præſtat: omnibus deniq; vetuſtis vitijs medetur, datur bis térve menſe, ſumitur ex diluta aqua mulſa, ciceris magnitudine. Quod ſi humorem quempiam potius quàm cæteros, animus ſit purgare, aſſume illi accommodatum, ac priuatim dicatum deiectorium. Perfectus exhibitionis modus aſſumentibus antidotum, eſt ſiliquus, aut drachm. tres. Species verò quibus conſtat, ſunt, agarici, folij Indici, ammoniaci, veratri nigri, ſcillæ aſſæ, ſcammonij, piperis nigri,

Actuarii Joannis filii Zachariae operum - page 453 sur 731

ſingulorum grana quinq;, thymi, aloës, polij, caſiæ, hyperici, triſſaginis, bdellij, marrubij, epithymi, euphorbij, filiculæ, ſingulorum grana quatuor, piperis albi, caſtorij, ariſtolochiæ longæ, cinamomi, Zingiberis, petroſelini cuiuſque grana duo, piperis longi, ſagapeni, croci, ſingulorum grana duo cum dimidio, medullæ colocynthidis grana decem, mellis quod faciat ſatis. Compoſitio è prunis Damaſcenis, pituitam & bilem educens: carnium Damaſcenorum libræ duæ, mellis deſpumati libræ duæ, tithymali quadrans, ſcammonij vncia. Orbiculi ſtomachici, qui dolorem ſopiunt, viſcera roborant, ſtomacho ſuccurrunt caluariam purgant & ſi qua defluxio in oculos irruit, auxilio ſunt. dantur & ad hemicraniam, dolorem nimirum qui mediam caluariam vrget, obtenebrationem, & ſonitus aurium. Sunt mirè efficaces, ſi ſeptem ante cibum ſumantur, & poſt eſum quinq;. idq; quouis tempore. Capiunt nucis aromaticæ, ſpicæ, croci, xylaloës, galangæ, amomi, cinamomi, Zingiberis, caryophyllorum, zaduaris, cubebe, maceris, ſingulorum ſeſquidrachmam, rhei Indici, par pondus omnium ſpecierum, & aloës æqualem omnium menſuram. Trita cum vino candido fermententur, ac in orbiculos digerantur. Catapotia ex lapide Armeniaco, amaræ, epithymi, vtriuſq;

ſem

ſemuncia, agarici, Armeniaci lapidis, vtriuſq; drachm. quatuor, ſcammonij vncia, caryophyllorum grana octo, tuſa excipiuntur roſaceo malo, aut citriorum ſucco, vel melle roſaceo. Datur ſiliquus. hoc varios repurgat humores, præcipuè terreſtrem, ac melancholicum. Porrò lapis hic Armeniacus, vt ſuprà docuimus, & potus, & in catapotio deuoratus, citra moleſtiam aluum deijcit, neq; metus eſt, ne ſtrangulatio, aut ſyncope ſubſequatur, quemadmodum in purgatione per veratrum album vſu venire conſueuit. Cæterùm reliqua omnis victus ratio, ſit boni ſucci, coctuq; facilis, & virium refocillatrix: ita nanq; & per purgationem, & victum concoctu facilem, viribus roboratis, poterunt furioſum amarumq; morbum depellere. Quòd ſi quid reliquiarū etiamnum ſuperſit, neque mens ægri planè perpurgata videatur, auxilia iterato reuoca, iiſdem inſiſtens. Sal, qui aluum ſubducit, ventri, inteſtinisq; inhærentē pituitam, reliquosq; humores euacuat: purgat quoque modice bilem, commodiſſimus eſt articularijs, ſtomachicis, ſi quis ob ſtomachi vitium comitialis aſſiduè concidit, eoq; vtitur, magnas mihi gratias habebit. Qui eo familiariter vtuntur, à morbis ipſos vindicat. Petroſelini, maſtiches, Zingiberis ſingulorum drachmas tres, piperis, euphor-

Actuarii Joannis filii Zachariae operum - page 455 sur 731

bÿ vtriuſq; drachmas ſex, ſalis ammoniaci, drachmas quindecim, ſcammonÿ drachmas ſex, datur cochlearis dimidium in prandio, ad intinctum cum piſce vel gallina: pondus autẽ ſint drach. quatuor. Verùm ſi efficaciùs voluëris purgare, mane ieiuno ex ſucci ptiſſanæ, aut aquæ mulſæ drachmis ſex præbeto, ſed robuſtioribus drach. ſeptem, imbecillioribus verò drachm. quatuor dari poterunt. Aliud, quod citra noxam aluum ſoluit, nec ſtomachum ſubuertit, quod omni tempore & cuiuis ætati exhibetur: excernit fæces duriores, omnemq; putrẽ materiam à capite vſq; ad vngues: à furfuribus & reliquis exanthematis, quæ in capite efflorescunt, liberat: medetur tenebricoſæ vertigini, lippitudini, omnibusq; exanthematis, quæ in ſumma cute erumpunt. Vindicat à tertiana, quotidiana, & quartana, ſi in intermiſſionibus, bona nimirum coctione antea in vrinis apparente, præbeatur, ſed præ reliquis ſuccis bilem euacuat. Accipit Zingiberis, petroſelini, epithymi, ſilphÿ, ammis, ſeminis apÿ, cumini, libyſtici, piperis, ſingulorum drachmas quatuor ſcammonÿ ſemunciam, ſalis ammoniaci torrefacti ſeptuncem: frictum ſalem cum cæteris tundito, ſed ſcammonium tritum cribro excutitur, atq; in pila in vnitatem rediguntur. Dantur drachmæ nouem cum cremore ptiſſanæ

ne, vel aqua mulsa. Aquam ducens purgatorium, pituitam aquamq; euacuans: piperis, rutæ seminis, scobis eburneæ, euphorbij, pares singulorum portiones: modus exhibitionis sunt drachm. tres ex melle liquido. Colicis, & aqua inter cutem laborantibus auxiliatur. Aliud, quod citra molestiam purgat, ischiadicis, & ijs qui diuturnis morbis circuitu repetentibus, affligũtur, efficax. Colocynthidis medullæ quadrans, nitri sextans: probè trita dato robustis drachmam ex hydromelite, imbecillioribus verò siliquas nouem. Cæterùm quandoquidem abundè de purgantibus est pertractatum, hîc ei finis imponatur: tibi verò & alteri cuiuis, purgandi rationis studioso, hinc occasionem sumere licebit, & iuxta antea explicatas rationes ac distinctiones, ijs manus admoliri, atq; ab his extorso de alijs iudicium ferre, similiáq; condere.

Medicamenta quæ vel apposita, vel iniecta purgant. CAP. X.

VErum enimuerò, quoniam nonnulli per vmbilicaria medicamẽta, & inunctiones, & ea quæ subter in aluum dantur, (ὑπεμάτια vocant Græci) noxios humores eijcere tentant, de ijs quoq; tantum disseremus, quantum ea parte, hoc opus non esse mancum videatur. Vmbilicare deiectorium, quod idem

Actuarii Joannis filii Zachariae operum - page 457 sur 731

vomitum prouocat, ſi ventri ſuperimponatur, menſes qui ob vaſorum præcluſionem detinentur elicit, fœtus diſperdit, aluo atque lumbis admotum. Abſinthij, ſucci radicis cyclamini, colocynthidis medullæ, ſingulorum drachmæ decem, radicis cucumeris ſylueſtris, radicis artemiſiæ ſiccarum, elaterij, cuiuſque drach. ſex, farinæ lupinorum, chelidonij, ſeminis violæ albæ, ſingulorum drachmæ ſex, opopanacis ſiciliquus, ceræ drachmæ quinque, terebinthinæ drachmæ octo, olei Cyprini drachm. vel quãtum ſatis eſt. hoc adpoſitum, ſimul atq; ventrem emouit, ſummouere oportet. Emplaſtrum aliud purgans, quod ab egerendi neceſſitate, χεσαναγυα Græcis nominatur: hoc vmbilico impoſitum, aluum commouet, ſed ſi ſuper thoracem aut ventriculum datur, vomitum ciet, donec ſplenium abſtuleris, fœminarum menſes ducit, & fœtus necat, ſi imo ventri & lumbis admoueatur. Ratio componendi hæc eſt: Cocci Gnidii drach. tres, lapidis Aſij ſiciliquus, veratri candidi drachmæ quatuor, adipis caprini drachmæ quinque, elaterij, ſucci tithymali, vtriuſq; drachm. quatuor, amurcæ ſiciliquus, fellis taurini ſiciliquus, ſpumæ nitri drachmæ quinque, farinæ lupinorum amarorum ſextãs, comarum abſinthij ſiciliquus. Reliqua tunduntur & incernuntur, deinde fil

trium,

©BIUM

tritum, & amurca induntur, liquefactusq; adeps infunditur, atque in vaitatem redactis vtimur. Epithema aliud, quod sanguinem per nares elicere, si fronti imponatur, pollicetur: quando autem, inquit auctor, sanguinem sistere velis, auferto, & locum spongia posca aut frigida imbuta accuratè extergito. Imo vētri impositum quadrangulari figura, nouem digitorum magnitudine, menses ciet, & fœtus enecat. Admouetur & nephriticis in exacerbationibus. Capit ceræ, galbani, euphorbij, radicis lanariæ herbæ, (ἡρακλίου nominatur) singulorum vncia, talorum cerui crematorum, succi absinthi, vtriusq; drach. quatuor, terebinthinæ triens. Arida læuigata cernito, & cum felle vitulino rursus terito, vt strigmenti crassitudinē acquirat, & liquefacta superfundito, cumq; in vnū coierint, vtitor, ait, tāquam hominum opinionem fallente. Vnguenti deiectorij mistura, fellis taurini sextans, elaterij vncia, cocci Gnidij triens, succi lupinorum sextās, euphorbij, colocynthidis medullæ, vtriusq; vncia, adipis viperini quadrans semuncia, muscerdarum drachma, adipis vulpini recentis sextans, succi, pæoniæ, castorij, vtriusq; drachmæ quatuor, olei cyprini selibra, olei cōmunis libra. Aliud epithema, quod vmbilico admouetur, & lienem expurgat: veratri nigri

quadrans

quadrãs, veratri albi triens, ammoniaci, nitri, ſingulorum quadrans, ſcammonij ſextans, piperis grana triginta: tuſa cibrataq;, terebinthina excipito, vt malagmatis mollitiem contrahant, locoq; antea deterſo, & foro, ſplenium quadrangulare quinq; digitorum latitudine inducito, ac imponito. Pubi quoq; appoſitum, fœtus necat. Epithema ſanguinem ducens, vt ora venarum ſui officij moneat, & menſes muliebres ducat. Capit elaterij, myrrhæ, galbani, farinæ hordeaceæ, ſingulorum drachmas quatuor, foliorum rutæ viridis ſiliquum, fellis taurini quãtum ſufficit: vbi ſingula priuatim in ſummum læuorem redegeris, atq; deinde in vnitatẽ coëgeris, bilis quod ſufficiet affundito, & cùm vſus ita poſtulat, locum ſub vmbilico, circumq; ipſum vmbilicum, ac interdum lumbos ilinito. Menſes quoq; prolicit, & ora venarum anus aperit. Altera inunctio, quæ plantæ pedis illita, crudam pituitam expellit.

Medullæ ſextulæ quinquaginta, euphorbij ſextulæ triginta, lactis tithymali ſextulæ viginti. Tundatur medulla bene, atque affuſis aquæ libris tribus, triduum ita permaneat, quarto deinde die, vſque ad tertias coquatur, poſthæc liquori colato olei libra adijciatur, & molliuſculo igne, tantiſper coquatur, dum tertia pars ſuperſit, ijſq; ceræ quadrans additur,

quæ

©BIUM

quæ cũ fuerit dissoluta, euphorbium ac tithymali lac imponitur, omniaq; simul probè coquuntur, demum ab igne deponuntur, & in vasculũ nitidum infunduntur. Cumq; cuipiam mederi cupis, quem crudus humor, corporis medium propè renes infestat, aut spiritus in spina media insidentes, negocium facessunt, laboranti sagapeni sextulam præbeto potandam dum dormitum concedit, alteramq; sextulam sequenti die summo mane, ex aqua tepida, posthæc plantas pedum, genuq; medium iam dicta vnctione illinito. mirum enim in modum humorem crudum extricat ac repurgat: nihilo secus & citra sagapenum idem præstat.

De glandibus medicamentis quæ naribus induntur, & quæ mansa pituitam per os educunt. CAP. XI.

PRorsùs quia nonnulli, vsu aut necessitate quapiam ita suadente, glandibus & clysmatis ægrotantes repurgant, horum quoq; vna altera ve compositio est apponenda, vt inde ceu è rudimento quopiam, eiusmodi quædam medicamenta concinnare queas. Glandis compositio, ad humorem muccosum ex acetabulis ac spina extrahendum, atque ad ægritudinem colicam, quam frigus creauit. Recipit sagapeni siliquum, bdellij, sarcocollæ, colocynthidis, scãmonij, nitri, myrrhæ, fellis bubuli,

sing

singulorum drachmam : tusa cribrataq; vt fermenteſcant, ſubiguntur, & pro ſpecierum pondere mel concretum adijcitur : deinde oleo ſeſamino manibus illitis, glandes efformantur. Medicamentũ quod in nares inſeritur, ἐρρῖνον Græci vocant, purgans, Aſclepiadis, efficax ad eos qui vetuſta lippitudine infeſtantur: prodeſt & comitialibus, copioſum humorem eliciens, gith drachm. octo, ſalis ammoniaci, elaterij, vtriuſq; drachma: trita & in tenuiſſimũ pollinem redacta, oleo ſicyonio, aut vnguento irino, vel Cyprino excipito, vt cerati craſsitudinem nanciſcatur, & in corneam pyxidem ad vſum reponito : vſus tempore, nares illinito, iubetoq; vt ſurſum attrahat. Aliud, citra dolorem & moleſtiam purgans : cyclamini ſicci drach. octo, iridis ſiciliquus, nitri rubri drachma (ipſe elaterio vſus ſum) diligenter trita per arundinem inſufflato, admonens eos qui vtuntur vt ſurſum rapiant, deinde deorſum nutent, vt collectus humor defluat. Aliud ſternutamentum ciens, quod caput expurgat, Heraclidis Tarentini, Cumini Æthiopici, piperis candidi, herbæ lanariæ, caſtorij, æquas portiones, tuſas, atque incerniculo excuſſas, in æneam pyxidem recondito. Cùm vſus flagitabit, concuſſam pyxidem, naribus admoueto, aut digito ipſum inſerito, vel per arundinem

inſpir

©BIUM

inſpirato. Aliud, Zingiberis ſiliquus, herbæ lanariæ ſiliquuæ, piperis, caſiæ, vtriuſq; drachma: vtere vt prædictum ſuit. Aliud valet ad eos qui vetuſto capitis dolore infeſtantur, & tenebricoſa vertigine tentantur, atque comitiales: veratri candidi drachmæ quatuor, radicis cucumeris ſylueſtris, herbæ lanariæ, nitri, piperis candidi, ſingulorum drachma, caſtorij ſiliquus, vtere quo diximus modo.

Aliud, foliorum cucumeris ſylueſtris ſuccum ipſum per ſe, aut cum ſucco betæ, vel myrrham melle decoctam, naribus infunde. Aliud, elaterium erui magnitudine, lacte muliebri maceratum in nares inditur, & vbi purgationem ciuerit, nares in peluim demiſſæ abluũtur ciboq; reficitur æger. Porrò medicamenta quæ commanducata pituitam eliciunt, ἀποφλεγματίσμους Græci nuncupant, quæq; per emiſſaria palati caput expurgant, fiunt ex ſinapi, vel hyſſopo cum paſſo coctis, aut vua paſſa trita cum pipere, vel melle oleo admixto, aut herba pediculari ſeorſum, & ex melle detrita.

Alius apophlegmatiſmus, qui manſus caput repurgat, & copioſum elicit humorem. Piperis cãdidi, origani, vuæ paſſæ, ſingulorum ſiliquus: excipe vuis paſſis, exemptis vinaceis, aut ſicorum pinguium carne, & mandendum præbe. Debet autem mandens caput

deorſ

deorsum flectere, & ex interualis, vt collectus humor effluat, hiare: posthæc, aquam calidam ore continere: cumq; multus persentitur morsus, effundere. Aliud, quod manditur: nitri drachmæ sex, anisi drachmæ quatuor, herbæ pedicularis drachmæ tres, foliorum viridium lauri, & vuæ passæ domesticæ, detractis vinaceis, vtriusque pares portiones excipito, & pastillos formato, qui singuli pendeant drachmas tres, atque vsu appetente, vnum commanducandum exhibeto. Aliud, origani, hyssopi, herbæ pedicularis, singulorum drachmæ quatuor, spumæ nitri, sinapis, vtriusque siliquus, pyrethri drachma: in leuorem redige, ac vtere. Aliud, hyssopo, thymo, origano, & seorsum, & simul vtere. Habes tractationem de medicamentis quæ commansa pituitam ore educunt, & quæ in nares imponuntur, abundè tibi explicatam. Verùm quandoquidem nonnulli huiusmodi ac reliquis deiectorijs, parum circunspectè vtentes, interdum dolores, uel conuulsiones, aut superpurgationes, aut id genus alia inferunt, & inuamenti loco nonnunquam noxam creant, hæc de ijs haud ignorasse decet, quòd non omnes amice, eadem medicamẽta eodem sensu percipiunt, sed alij, ea etiam quæ admodum potentia sunt, ob corporis sensuum difficultatem,

vix

vix ſentiunt, alij quæuis vulgaria perſentiunt: quemadmodum nonnulli, quòd meatus natura ſint fluxiles, vel ob materiæ aptitudinem, inſtrumẽtorumq; mollitiem, mediocribus purgantibus cedunt, qui verò non ſunt huiuſmodi, tardè vel à potentioribus purgantur. Quo fit, vt priores in ſuperpurgationes, & conuulſiones, & contractiones ac refrigerationes incidant: poſteriores verò, animi deliquijs, torſionibus, doloribus, vertiginibus, & animi dejectionibus corripiantur. Porrò pro portione afficiuntur, qui parte aliqua purgantur. Denique, non à vehementibus, verum à moderatioribus in omnibus ijs quæ adſumuntur auſpicari oportet, partim vt ſenſus ægri exploretur, partim vt exercitatus vehementiora tolerare diſcat, ipſorumq; nimia vis, per medicamenta, quæ morſus ſunt expertia atq; emolliunt, eſt caſtiganda: nã ſi ita ex methodo medicamẽta offeres, ægrot⁹ nihil periculi ſubibit.

De medicamentis exitialibus. CAP. XII.

Æterùm quia purgantia medicamina, quantitate potius offendunt, cùm nimirum largiore modo aſſumuntur, dictumq; eſt antea, qua ratione ea ſint commiſcenda, quoq; ponderis modo exhibenda, atq; exitialia, qualitate potius nocent, nunc de his quæ ex omni parte offenſam gignunt, & plerunq;, vel co-

Actuarii Joannis filii Zachariae operum - page 465 sur 731

pia, vel qualitate perimunt, est disserendum. nam quandoquidem nonnulli casu quopiam ac ignoratione, alij vltro suaq; sponte vitam exosi, ceu qui sibi necem inferunt, aut laqueo spiritui viam præcludunt. quidam quoque qui aliorum vitæ insidiantur clanculum animalia exitialia, aut plantas, vel metallicas species, ferculis inijciunt: age de his quoq; quæ necessaria sunt dicamus, hac etiam in re, veteres artisq; inuentores secuti, & modo sensum mentemq; ipsorum proponentes, modo ipsa verba, sed in pauciora contracta, adferentes: hoc enim nostrum toto hoc opere propositum est, in illorum sententiam pedibus ire, & si quid compendiosum ab illis dictum est, id ad verbum huic volumini nonnunquam inserere. Quocirca si tu, aut alius quivis, quædam huius libelli in aliorum commentarijs scripta repererit, nos minimè ceu alienæ commentationis plagiarios eriminetur, sed compendio vbiq; studuisse arbitretur: & sicubi obuium atq; ad manum inuenimus, ei tanquam abundè satis facienti acquieuimus. Siquidem hoc ipsum & à Galeno, & à recẽtioribus, in libris de medicamẽtis factum fuisse cernimus, qui suis libris aliorũ inuenta immiscere haud despexerunt. Cæterùm hæc, prout cuiq; libet, ita & iudicet & disponat licet. Nos verò quibus propositum est de ijs quæ

quæ assumpta enecant, pertractare, singula excutiemus, doceamusq; quænam post assumptionẽ symptomata progignant, ac quibus medicamentis vniuscuiusq; periculum imminens propulsetur. Cæterùm lectores omnes, qui in hunc librum incident, & artis sacris initiati sunt, præmonitos velim, vt ipsi hæc ad hominum salutem ediscãt, neq; in eorum perniciem, quouis vindictæ prætextu, detorqueant, ne Deus iudex hic illorũ flagitium diuulget, meritasq; luant pœnas: parcat ve, vt in posterum iustiori supplicio vlciscatur, æternis nimirum pœnis condemnans: adhæc ne temerè ea cum alijs communicetis, ne is qui facinoribus oblectatur, eiusmodi rerum cognoscendarum studium, sui flagitij lucrum non contemnendum statuat, vosq; ob linguæ ffrenem incontinentiam sicario medicamentum mortiferum, in manum obtrudatis. Cæterùm de his hactenus: nos verò, vt polliciti sumus, tractationem capessamus. Itaq; animalia lethalia sunt, cantharis, bupresti, salamandra, pinorum eruca, πιτυοκάμπυ Græci nominãt, lepus marinus, rana rubeta, et muta, rana palustris, hirudines deuoratæ: ex seminibus, herba apollinaris, cicuta, coriandrũ, gith, psilliũ: ex liquoribus, meconiũ, opocarpasum: thapsiæ succus, elateriũ, succus mádragoræ: ex radicibus, chamæleon, aconi-

nitum, thapſia, veratrum, agaricum nigrum, ephemerum, quod nõnulli Colchicum, eo quòd in Colchide proueniat, appellant: ex ramoſis et oleribus, ſmilax, quam Romani taxum nominant, ſolanum furioſum, quod dorycnium quoq; vocant, herba Sardonia, quæ ranunculi ſpecies eſt, papauer corniculatum, pharicum, toxicum, ruta ſylueſtris, fungi: ex animalibus verò, ſanguis tauri nuper mactati, lac coagulatum, & mel quod in Heraclea Ponti ciuitate naſcitur: ex metallicis autem, gypſum, ceruſſa, calx, auripigmentum, ſandaracha, argenti ſpuma, adarce, plumbum, & quod vocatur argentum viuum: ex domeſticis & familiaribus deniq;, vinum copioſum confertim è balneo egreſſis potum, aut paſſum, aut frigida ſimiliter. Atq; hæc ſunt quæ interimunt. Verùm de ſingulis, quod neceſſum eſt, priuatim tractare oportet. Eos itaq; qui cantharidas aſſumpſerunt: hæc ferè indicia comitantur, omnia ab ore ad veſicam vſq; morderi ac vellicari ipſis videntur, guſtuiq; picis aut cedriæ aliquid ſimile ſapere putantur, dextra præcordia inflammatione tentantur, vrinaq; ægrè redditur: adhæc ſæpenumero ſanguinem quoq; lotio excernunt. venterq; ita ipſis affici videtur, vt ij quos inteſtinorum difficultas prehendit, animo linquũtur, & in tenebricoſas vertigines

tigines incidunt: deniq; mente alienantur. Proinde antequam hæc insequantur, exhibito oleo ad vomitum cogendi sunt, ac simul atque plurimam partem vomitione reiecerunt, clysftere cremor halicæ, aut oryzæ, aut tragi, vel ptissanæ, vel seminis lini, vel sænigræci, aut radicum althææ decoctum infundendum est. Quinetiam posthæc nitrum, vel hydromeli, vt ea quæ stomacho intestinisq; adhærent deorsum pellantur ac eluantur, præbere oportet, post quæ, si ipsa perrumpere nequeunt, mulsam aquam vna cum nitro, tritis nucibus pineis commistis, & seminibus cucumeris, vel lacte, exhibere decet. Efficax præterea est & adeps anserinus ex passo. Cæterùm partibus inflammatis farinam hordeaceã in mulsa decoctam, cataplasmatis more inducere conuenit, licet initio adhibita cataplasmata obsint, eo quòd assumptum venenum à caliditate retineatur, atq; in locis principatum tenentibus obsirmetur. Verùm vbi ipsum tempus traxerit, prosunt, quòd inflammationes relaxent, doloresq; sopiant ac mitigent. Eo quoq; tempore iuuat, si antea oleo calido illitum, in labellum dimissum corpus abluatur. Per summam item cutem ea quæ noxam creant, medicamentis euocanda sunt, vt omnis pernicioſus exortus quacunque ratione licet è corpore extrudatur, ne

Actuarii Joannis filii Zachariae operum - page 469 sur 731

©BIUM

affectus ſtabilis ac permanens euadat. Carnes porrò gallinaceæ, agninæ, ac porcellorum dandæ, ſed quæ pingues ſint, & tenerrimæ vnà cum ſemine lini decoctæ: aluum enim iuuant ac emolliunt, & acria retundũt. Vinũ item copioſum ac dulce, valet quoq;, ſi cortitis thuris, & terræ quæ ἀσὶς Græcis nuncupatur, vtriuſque drach. 4. tritæ, ex aqua aſſumantur quinetiam confert irinum ac roſaceum vnguentum in ruta excoctum: & vitis virgulta tenera ex paſſo. Verùm longè omnium efficaciſſima ſunt antidota, ſi ex mulſa quatuor drachmarum pondere bibantur. Porrò pinorum eruca deuorata, ſtatim dolor in ore ac palato oboritur: adhæc linguæ, ventriculi, ventriſq; valida inflammatio, ac inteſtinorum vehemens cruciatus, adeo vt interanea corrodi videantur, prehendit, atq; totius corporis incẽdium. His non aliter quàm ijs qui cantharidas deglutiuerũt, ſuccurrere decet, ſed priuatim ipſis, loco roſacei triniq; olei, melinum adhibetur, quod ex malis cotoneis, & oleo conficitur. Iam ijs qui bupreſtin epotarunt, in guſtu quippiam graueolenti ſimile percipi videtur, & dolor ſtomachi ſuccedit, & aqua inter cutem laborantium in morem totius corporis extima intenduntur, ac vrinæ ſupprimuntur.

Iuuant quæ ijs quoque qui cantharidas hauſer

©BIUM

lauerunt, auxilio sunt, sed peculiariter, vbi vomitione ac clysteribus iniectis euacuaris, prosunt ficus ficcæ, earumq; decoctum cum vino. Vbi autem periculum de suo acumine remisit, glandes Thebaicæ esu vel ex vino mulso lacte ve, tritæ, potæ auxiliantur. Omne quoque pyrorum genus comestum, lacq; muliebre epotum opitulatur. Eos qui salamandram ingesserunt, linguæ inflammatio, ratiocinationis impedimẽtum, atq; cum rigore quopiam ac exulceratione tremor supervenit. Quæpiam quoq; corporis partes liuescunt, etsi intus venenum permanserit, putrefactæ sæpenumero defluunt. Quibus vbi omnia ea quæ in cantharidibus admouerimus, peculiari quadam ratione medicamentum, quod resina pinea & galbano cum melle constat, loco eclegmatis offertur, ac aiugæ decoctum, in quo nuces pineæ leuigatæ fuerint, & folia vrticæ cum liliis & oleo decocta: valent & testudinis marinæ terrestris ve oua cocta, & ranunculorum ius, in quo eryngij radix fuerit incocta. Qui leporem marinum epotarunt, gustus piscosus ac virosus succedit: at vbi vetustum est malum, aluus indolet, & vrinæ cohibentur, ac cùm excernuntur, colore cernuntur purpureæ, omne piscium genus auersantur oderuntq;, & sudorem graueolentem emittunt.

Bilis præterea euomitur, quæ nonnunquam sanguini commiscetur. His assiduè lac asininum, aut passum, & maluæ radicis foliorumq; decoctum, aut cyclamini radix cum vino trita, vel veratrum nigrum, aut scammonij lacryma cum aqua mulsa, malorum item Punicorum acini, aut cedria læuigata cum vino datur: efficax quoq; est anserinus cruor calidus epotus. Quòd si ægri pisces ingerere nequeunt, solos fluuiatiles cancros coctos edant, bibantq; vinum cui ipsi sint admixti. Cæterùm salutare est, si pisces edere sustinent. Rana rubeta, aut palustris oblata, corporis tumorem cum pallore intenso, vt buxeo similis videatur, inducit, difficulter respiratur, os fœtet, & singultus subsequitur: quandoq; etiam semen præter voluntatem excernitur. Facilè autem à vomitu succurritur, assumpta multa meraci vini potione, & arundinis radicis siciliquo, aut cyperi totidem. Cæterùm cogendi sunt vt concitatius obambulent, & currant, ob torporem, qui ex hoc malo contrahitur, adhæc, vt singulis diebus lauentur. Hirudines in aqua absorptæ, & inter deuorandum in ore ventriculi adhærescentes, partes vlcerant, & exustionis imaginem repræsentant: quæ nota est hirudines esse deuoratas. expellit eas muria sorbitione oblata, & succus Cyrenaicus, aut laseris folia cum

aceto

©BIUM

aceto epota : gargarizandum quoq; atramentum ſutorium in læuorem redactum cum aceto, aut nitrum cum aqua. Eas verò quæ gutturi adhærent, in calidum lauacrum dimittentes, ac frigidam ore continendam dantes, eiicimus.

Herba apollinaris pota, mentis abalienationem ebrijs non diſſimilem infert: eſt autem curatu facilis ſi opem feras mulſa liberalius pota, & lacte, potiſſimum aſinino, ſin minus, bubulo, & ficuum aridarum decocto. Bene faciunt ipſis & nuclei pinei, necnon & cucumeris ſemen cum paſſo aſſumptũ: nitrum ſimiliter cum aquâ conducit, inſuper intubum erraticum, ſinapi, naſturtium, radicula, cepæ, allia, ſingula cum vino ſumpta. Cæterùm cogendus eſt conquieſcere, vt qui vinum biberunt. Coriandrum propter odorem latere nequit : epotum autem raucitatem facit, vocemq; denſat, & furorem ebrietati non abſimilem inducit: totius corporis ipſorum odor coriandrum indicat: ſuccurrit, ſimul atq; per oleum irinum vomitu reiectum fuerit, vt ſuprà monſtratum eſt, vinum cum abſinthio, & per ſe potum, ouaq; euacuata in ſeſe detrita, & tepefacta cum muria ac ſorpta, quinetiam muria bibita, & ius ſalſum tum gallinaceum, tum anſerinũ. Cicutæ potus tenebras caligmemq; inuehit, vt ſolem aſpicere nequeant : ſingultum item & mentis

Actuarii Joannis filii Zachariae operum - page 473 sur 731

©BIUM

alienationem, ac extremorum perfrictionem inducit: poſtremò conuulſi, præfocationis tenſione corripiuntur, arteriarum ſpiritu intercepto. Per initia igitur, quemadmodum & in alijs, vomitu eam educemus, deinde euacuatione vſi, quod ad inteſtina collapſum eſt, excernimus, poſthæc ad vini meri potionem, ceu præſentiſſimum remedium tranſimus, per interualla eam exhibentes: in quibus potum prodeſt lac aſininum, aut abſinthium cum pipere & vino, & caſtorium, & ruta cum vino, aut lauri ſemina, laſerpitium item, eiusq; liquor, cum oleo & paſſo: paſſum quoq; per ſe copioſum epotum, abunde ſuccurrit. Et quod vocatur pſyllium, potum corporis totius refrigerationem infert, torporemq; cum reſolutione, & animi triſtitia. Præſidio ſunt omnia quæ contra cicutæ potum valent. Papaueris lacrymam epotam ſubſequitur delatio in ſomnum (κατακοραν appellant) cum perfrictione & pruritu adeo intenſo, vt ſæpenumero veneno inualeſcente, tantus oboriatur, vt ab eo excitetur, & toto corpore veneni odor perſentitur.

Proficit poſt vomitiones oleo factas, acre clyſma iniectum, & acetum mulſum cum ſale potum, aut mel cum roſaceo calido, aut vinum meracius copioſius cum abſinthio et cinamomo, & aceum calidum per ſe: inſuper nitrum cum

aqua

©BIUM

quæ & origano, & ſemen rutæ ſylueſtris cum pipere & vino ac panace: piper item cum caſtorio & oxymelite, aut ſatureia, vel origano, vino addito. Cæterùm excitare ægros oportet ijs quæ naribus adhibentur odoranda, & in calidum labrum deducere, fomentiſq; propter accedentem pruritum adiuuare: à lauacro pinguibus iuſculis vti expedit cũ paſſo. Papauer, quod corniculatum appellatur, eſum potum've, eadem inducit quæ papaueris liquor: quocirca eadem admittit præſidia. Mandragoræ potum ilico carus, virium reſolutio, & valida in ſomnum delatio, quæ nihil ab eo vitio quod ἀβαχγες nuncupatur, differt, inſequitur. Antequam horum aliquod eueniat, cõpetit vomitus, poſt hunc aqua mulſa, nitrum, abſinthium, cum paſſo aſſumpta. Capitis item irrigatio, ἐμβροχὴν vocant, ex roſaceo & aceto. Motus quoq; corporis excitari debet, per ea quæ odoratum commouent: nempe eupatorio, pipere, ſinapi, caſtorio, & ruta ex aceto contritis, adhæc pice liquida, ipſiſq; lucernarum funiculis vſtis, necnon ijs quæ ſternutamenta mouent: aliis item auxilijs in his vti conuenit. Carpaſi ſuccus potus, carum, & ſtrangulatum præcipitem infert: qui ab ijs opem ſentiunt, quæ cicutæ epotæ auxiliantur. Quæ in Sardinia herba gignitur, & ranunculi ſpecies eſt, pota

vel

©BIUM

vel comesta, mentem abalienat, conuulsionem adfert cum labrorum contractione, vt risus imaginem præbeat: à qua affectione risus Sardonius, haud satis laudabili dicterio inter homines iactatur. His priuatim post vomitum conducet aqua mulsa liberalius exhibita, & lac: irrigatio item totiusq; corporis ex medicamentis calefacientibus inunctio, necnon & descessus in hydrelæum calidum: post lauacrum totum corpus inungi abundè, & perfricari debet. In summa, tota materia tanquam ad conuulsionis curationem aduocanda est. Ephemeron, quod nonnulli Colchicon, aut bulbū agrestem appellant, assomptum totum corpus prurire facit, veluti si ab vrtica scillave stimulare tur, interiora corrodit, & stomachū cum multa grauitate adurit. Inualescente verò malo, cruenta per aluum strigmentis mista egerūtur.

Adiuuantur vt ij qui salamandram potarunt, vomitibus & clysmatis, sed antequā vires acquirat venenum, dari debent quercus foliorum aut glandium, aut malicorij, aut serpilli decoctū cum lacte bibēdum, vel herbæ sanguinalis succus, aut vitis surculorum, aut medullæ ferulæ tenellæ, aut baccarū myrti, addito vino. Adeò verò accuratè succurrit lac bubulum potum calidum, oreq; detentum, vt qui eo abundant, nullo præterea alio auxilio indigeant.

Dorycn

©BIUM

Dorycnio, quod quidam ſolanum furioſum nominant, epoto, qualitas quædam ceu laĉtis guſtui repræſentatur: comitatur item ſingultus perpetuus, linguæ humiditas, & cumulata ſanguinis eduĉtio, et per aluum muccoſa feruntur, perinde ac ijs qui inteſtinorum difficultate laborant. Auxilio ſunt, antequam horum quippiã accedat, quæ prædiĉtis auxiliari diximus, vomitus, clyſma, & quæ epotum venenum educere poſſunt. Priuatim verò ſuccurrit mulſa aqua aut aſininũ caprininum've lac, & paſſum tepidum cum aniſo potum, amygdalæ item amaræ, & elixa gallinaceorũ pectora, omniaq; ea quæ craſſo ſucco cõſtant, ſi tam cruda quàm cocta comedantur: adhæc locuſtæ, & ἀγανοὶ, quos cammaros quidam appellant, & ius ex ipſis potui aſſumptum. Aconitum ſtatim vbi potum eſt, videtur cum aſtriĉtione quadã dulceſcere, tenebricoſam vertiginem, præcipuè inter exurgendum & oculorum humiditatẽ inducit: grauitatem item thoracis ac præcordiorum, ita vt multi flatus erumpant. In quibus ſtomachus vomitionibus elui debet, & aluus clyſtere ſubduci. Pro potione vſurpabimus origani aut abſinthij decoĉtum cum vino abſinthite, vel ſemperuiui, aut abrotoni, aut chamæleæ. Proderit & balſami liquoris drachma cũ melle, & caſtoriũ, & piper, & ruta cum vino: item

©BIUM

item coagulum hœdi aut leporis cum aceto, necnon ferri recrementum, ipſumq; ferrum, & aurum, & argentum candens in vino reſtinctum, eoq; liquore aſſumpto: adhæc lixiuium cum vino & gallina coctum, aut pingue bubulum ius cum aceto aſſumptum. fertur porrò aiuga peculiari ratione ipſis præſidio eſſe. Quæ ſmilax, & à quibuſdam thymium, à Romanis verò taxus nuncupatur, pota totius corporis refrigerationem, & ſtrangulatum, mortemq; ſubitaneam inducit. Quibus ea omnia opem ferunt, quæ & ijs qui cicutam hauſerunt. Pappus flos eius ſpinæ eſt, quæ cactos dicitur: vomitio illos qui eum aſſumpſerunt liberat. Toxicum inde nomẽ accepiſſe videtur, quòd Barbari τὰ τοξεύματα, hoc eſt ſagittas eo illinant: ſequitur qui id hauſerunt, labrorum linguæq; inflammatio, furor qui coërceri nequit, varias obijciens imagines, vt eapropter ægrè curationẽ admittant, ijq; qui ſumpſerunt rarò ſanitati reſtituantur, incolumes've ſuperſint. Oportet igitur eos vinculis cõtinere, cogereq; vt paſſum cum roſaceo bibant, euomantq;. item raporum ſemen cum vino peculiariter ipſis confert, & quinquefolij radix, & hircinus caprinusq; ſanguis ſimiliter aſſumptus: adhæc, quercus aut ilicis folia cum lacte trita. Mala quoq;, cotonea mãducata, aut cum aqua dulci pota: idem faciunt

©BIUM

faciunt amomum, & fructus balsami. Quòd si quidam periculum effugiunt, diu in lecto decumbunt, & cùm surrexerunt, stupidi reliquũ vitæ tempus transigunt. Ixia quæ & valophos vocatur, cùm sumitur, ocimum odore gustuq; præ se fert: validam verò linguæ inflammationem infert, & desipientiam, atq; omnes excretiones supprimit, murmurilla & strepitus cum animi deliquio excitat, nec tamẽ quicquam eijcitur. Succurrit, vbi venenum vomitu fuerit reiectum, absinthiũ in vino maceratum, aut aceto, aut oxymelitæ, vel rutæ sylvestris semen. Conueniunt quoq; nucis iuglandis surculi cum vino triti, aut resinæ, vel castorij, aut rutæ, singulorum drachma. Fungi alij genere, alij copia lædunt: omnes autem strangulatum procreant. Qui eos sumpserunt vomitu vacuandi sunt, prodestq; cinis ex lignis pyrastri cum posca, sale, ac nitro. Quin & pyra sylvestria foliaq; cum fungis decocta, vim strangulandi tollunt, eademq; in cibo conferunt: adhæc, oua gallinarum cum posca sorpta cum aristolochia & absinthio: valet & apiastrum cum vino, & fæx vini usta, & atramentum sutorium cum aceto, raphanus item, & sinapi, & cardamomum. Porrò eorum quoque quæ iuuamenti gratia offeruntur, habenda cura est, propter pericula quæ creare solent, quòd non minus

©BIUM

minus quàm alia venena ſint exitialia: ceu veratri, thapſiæ, elaterij, ac agarici nigri: hæc ſiquidem ſtrangulatum aut ſuperpurgationem inducunt. curantur ſtrãgulatus eo modo quem in fungis ac ſimilibus tradidimus: nimias verò purgationes ſupprimimus per ea quæ excretiones cohibere queunt. Nec illa quoq; negligi debent, quæ interdum periculum inferunt, e quorum numero eſt ſylueſtris ruta, gith, & recentes pappi. Qui mel, quod in Heraclea Pontica gignitur, comederunt, accidunt illa quæ ijs qui aconitum guſtauerunt. quare proſunt & ea quæ de aconito diximus. Facillimè autem adiuuantur, quòd maximum præſidium ab hydromelite perſentiant, ſi aſſiduè id bibatur, cui rutæ folia ſint admiſta. Sanguis tauri recens interfecti potus, reſpirationis difficultatem & ſtrangulatum infert, quòd meatus circa tonſillas obſtruat, deglutitionemq; cum valido ſtrangulatu impediat. Præterea eorum lingua rubere deprehenditur, denteſq; eodem colore infecti, atque inter eorum commiſſuras grumi quidam concreti. Exhibentur ergo, quæ ſanguinem congelatum diſſoluere queunt, aluumq; ſubducere. Proinde groſſi liquore pleni, cum poſca & nitro, & per ſe, & cum laſerpitij radice aut lacryma dantur, & coagulum cum aceto: braſſicæ item ſemen, lixiuiumq;

è cinere

©BIUM

è cinere ficulneo, & enulæ semen cum pipere & aceto, & rubi succus cum aceto, vt alvus subducatur. Solent ijs qui seruantur aluo deponi recrementa, quæ condimentis è sanguine confectis assimilantur, κερυνώδη Græci nominant: stomacho porrò & ventri hordeacea farina cum aqua mulsa, cataplasmatis more, obduci debet. Lac coagulatum confertim assumptum, multam strangulationem procreat, eo quòd in grumos coit. Exhiberi autem debet ceu antidotum, coagulum cum aceto, compellentes vt id sæpenumero hauriant, aut folia nepetæ, aut succus, vel laserpitij radix, lacrymáve cum posca, aut rhymus cum aceto: salsum verò nihil offerri debet, magis enim hinc lac coalescit, ac in caseum transit: sed nec hos quidem vomitus iuuat: nam dum id quod in grumos concreuit, per stomachũ assurgit, strangulat. Aqua frigida affatim pota, & vinum meracum copiosum, & passum, præsertim à balneo, aut cursu, validiúsq; exercitijs, strangulatus & cruciatus parit. In quibus sanguinis missio protinus adhibita, & manitio, ab impendenti periculo liberat. Cerussa ob colorem latere nequit, quoniam sponte sumpta, palatum, gingiuas, linguam, & dentium interstitia albo colore inficit. præterea singultum, tussim, linguæ siccitatem, extremorum perfrictionem,

cum mentis alienatione, & motus difficultate excitat. His prodeſt aquam mulſam, aut ficuũ, maluáve decoctum exhibere: item lac calidũ, vel ſeſamum cum vino tritum, aut lixiuium è vitium ſarmentis, aut oleum amaracinum, vel irinum, vel oua cum hordei decocto, vel thure, vel prunis, aut vlmi gummi: liquor quoq; qui in folliculis continetur, cum aqua tepida. Conuenit ijs & thapſiæ ſuccus cum aqua mulſa potus. Gypſum ſtrangulatum parit, in lapidem concreſcens: quare his exhibere prodeſt, quæ aduerſus fungos auxilio ſunt: adhæc cõfert & maluæ decoctum, loco olei, valet et oleum cum aqua mulſa, vel ficuum decocto. quin & lixiuium è cinere ficulneo, aut è vitis ſarmentis cum vino copioſo, item origanum, aut thymus, cum lixiuio, vel aceto, aut paſſo. Hos quoq; clyſtere ſubtus eluere oportet ex maluæ decocto. Qui argenti ſpumam aſſumpſerunt, ventris inteſtinorumq; dolor comitatur, cum torſionibus validis: nonnunquam & inteſtinum ob grauitatem erodit & vulnerat, color plumbeus fit cum deformitate. Confert poſt vomitiones, cum vino terebinthi agreſtis ſemen potum, aut piper, aut liguſtri flores cum vino, aut palumbis fimus ſiccus cum nardo, & vino.

Argentum viuum potum, eadem procreat quæ ſpuma argenti, atque eadem vſurpanda ſunt

sunt auxilia. Videtur autem iuuare lac epotum: cæterùm & his vomitus prolicietur. Iam calx, auripigmentum & sandaracha, potu sumpta, ventris & intestinorũ cruciatus concitat, cum vehementi rosione. Quare ea omnia, quæ & contemperare, & mitiora efficere, ac aluum lubricam reddere possunt, offerre oportet. è quorũ numero est ibisci & maluæ succus, qui valde lubricus est: adhæc præbere decet lini seminis decoctum, & herbæ tragi appellatæ succum, aut fructum, & oryzam, & lac copiosum cum aqua mulsa, & ius pingue, boniq; succi. Atq; de his hæc satisfaciant. Porrò quandoquidem antea, dum antidota recensueremus, nonnulla tradidimus, quæ ijs qui mortifera venena hauserunt, opitulantur: licet inde quoque quæ ad imminentia pericula accommodantur, colligere. Quare cùm hæc tractatio suum modum adepta sit, hic ei finem imponamus: & deinceps addamus, quæ vel plenè pollicitis satis fiat, deesse videntur.

Actuarii Joannis filii Zachariae operum - page 483 sur 731

ACTVARII ZACHARIÆ METHODI MEDENDI, LIBER SEXTVS.

*

Præfatio.

Videor mihi, qui omniũ quàm fieri potuit breuißimè, meminiſſe volui, vniuerſum propoſitum argumentum, ſuperiori volumine eſſe cõplexus: nam cùm innumera ferè ſint quæ aſſumuntur in vſum medicamenta, integraq; ea de re circunferantur volumina, placuit, quanuis omnia propemodum vtilitatem minimè contemnendam præſtent, quædam tamen inde quæ vtiliora viderentur ſeligere: quo factum eſt, vt, dum hæc illis ob multiplicem ſuum vſum prætuli, aliaq; rurſus, quòd ſigillatim nonnullis affectibus, quos mirum in modum iuuant, dicata ſint, addidi, volumen in eam excreuerit molem. Proinde in proximo libro, illorũ prius mihi mentionem habendam eſſe iudicaui, quæ intrò aſſumpta proſunt, cuiuſmodi ſint vera

amid

©BIUM

antidota, & quæ vocantur Zulapia, ac nonnulla alia liquida medicamenta: ea præterea, quæ purgandi facultatem obtinent, quibus in calce libri alia quoq; adiunguntur, quæ intus data perimere cõferreq; possunt. Porrò in reliquo extremoq; libro, ea reposita sunt, quæ exterius, tũ singulis quibusq; corporis affectibus, tum vniuersæ eius superficiei accommodantur: ea sunt, huius atq; illius generis vnguenta, olea vario modo confecta, emplastra, pastilli, pulueres, collyria, & cætera quæ ob curationem externam componũtur: quorum sigillatim vsus: conficiendiq; ratione progrediente oratione explicabimus, initio ab ijs quæ in capitis cute oboriuntur vitia, sumpto. Et quoniam ex capitis affectibus, qui sub oculorum conspectum cadunt, sunt capillorum defluuia, caluitium, ophiasis, alopecia: adhæc furfures, & manantia capitis vlcera (ἀχῶρας appellant) & quæ in eo protuberare solent, παναγκύμασα dicta, atq; demum exanthemata: quorum omnium species, & quo pacto distingui queant, curandi itidem rationes antea exposuimus: in præsentia ea tantum medicamenta adscribemus, quæ ex varijs libris collegimus, aut experientia non perscripta accepimus, vel nostro quoq; periculo facto vtilia reperimus: atq; ita vniuersum, ni fallor, debitum tibi exoluerimus.

Actuarii Joannis filii Zachariae operum - page 485 sur 731

©BIUM

Porrò quemadmodum in ijs quæ intro assumebantur, quædam magis, alia minus refrigerantia, aut calefacientia, vel attenuantia, aut purgantia, vel reprimentia, aut obstructione vindicantia, aliáve aliqua ratione hominem afficientia, haudquaquã ijsdem temerè offerebantur, sed cuiusq; habitus, & facultatis, & sensus acrimoniæ ratio habebatur: id hic quoque in omni medicamento quod extrà datur, observabitur: nam quoniã ex ijs aliqua calefaciendo, quædã refrigerando, alia astringendo aut exiccando, nonnulla impinguãdo, aut emolliẽdo, vel discutiendo, alióve modo corpus immutando prodesse creduntur, diligenter quæ quibus corporibus magis cõpetant, est animaduertendũ, atq; ita pro ratione eorum quæ proponuntur curanda, medicamenta quæ accõmodata sunt, applicare oportet. nam cùm varia sint aduersus eosdem affectus, ob varios corporum habitus, conscripta, tuum erit ea proportione reſpondentibus vitijs ceu calopodia quædam adaptare, modo vnum id serues, vt à facultate moderatioribus ad validiora progrediaris.

Ad capitis affectus qui oculis deprehenduntur.

CAPVT I.

Quoniam, vt diximus, pili pereunt aut ob humoris inopiam, veluti in caluitio, aut humoris corruptelã, ceu in ophiasi & alopecia,

©BIUM

pecia, vbi capitis cutis vt plurimum alteratur, et prò humoris copia, aut pallida, aut nigricãs, aut alba magis euadit: opus eſt vt is qui alopeciam ophiaſin' ve ſit curaturus, primùm enitatur, vt eum humorẽ quẽ exuperare coniecerit, iuxta eas quas ſuprà docuimus methodos, expurget: deinde localibus pugnet. Inquit Galenus, vbi de hoc affectu pertractat ſe ſemper per ſacram vocatã antidotum purgaſſe, ſed addidiſſe interdũ, vbi humorem atriorem eſſet purgare animus, veratrum nigrũ, & nonnunquã ſcammoniũ, ſi amaram bilem demoliri vellet. Quòd ſi pituitam redundare coniiciebat, nihil admiſcere ſolitũ eſſe: ſiquidem eiuſmodi hiera quæ colocynthide conſtat, caput vindicare ſolet: præterquam quòd alios quoque quoſpiam humores, etiam ſi ſcammonium, aut veratrum nigrum, aut epithymum non recipiat, eiicere poſſit. Quinetiam catapotia quæ ex alcẽ conficiuntur, & ſcammonium colocynthidaq; recipiunt, eos qui ità afficiuntur, non ſine vtilitate expurgant. Simul atq; totum corpus fuerit expurgatum, præſtat ad ea quæ mandendo humores euocant, accedere, atq; ita demum remediis loco affecto iniectis, τοπικὰ vocant, vti. Debent autem ea humoris noxij vacuandi vi prædita eſſe, quod facere nequeunt, quæ diſcutiendi facultate carent: diſcutere verò

Actuarii Joannis filii Zachariae operum - page 487 sur 731

non poſſunt, niſi calfaciant: ſed ſi ex nimis quæ calfacientium claſſe ſumantur, cutem vrent, atq; etſi non vrent, initio quidem generoſe iuuabunt, verùm capitis cutis perquam exiccata, temporis progreſſu talis euadet, qualem ij qui calui ſunt, obtinent. Atqui, ne ſimpliciter quidem modice calidum debet eſſe id medicamentum: nam tenuium ſit partiũ opus eſt, quo ad altum vſq; peruadere queat, eo ſcilicet, vbi pilorum radices ſuum ſumunt ortus principium. Quòd ſi præterquam quod prauos humores diſcutere commodè poßit medicamentum, ſanguinem quoq; prolicere queat, ceu thapſia, nihil eo fuerit præſtantius. Quòd ſi ea calidior fuerit, quàm affectus poſtulet, iure optimo cauendam eſt, ne ſola apponatur: conſueuit etenim cutem exulcerare, ac tumores quoſdam phlegmonoſos excitare: quamobrem admiſceri ſolet quippiam quod eius vehementiam mitigare poßit, cuiuſmodi eſt cerotum quod ex oleo conficitur, potißimùm ſi id fuerit tenuium partium, aut moderatè vetuſtum. Porrò quæ ex ſimplicium medicamentorum numero huic vitio accommodantur, inter ea quæ validè calfaciunt eſt euphorbium, quo eſt imbecillior thapſia: poſt euphorbium cenſetur ſinapi, & naſturtium. Alio verò vſus modo nihilo his eſt inferior λιμνᾶτις dicta, quæ ἀλάχιον quoque

&

©BIUM

& ἀλάρνη nominatur. His ſuccedit ſulphur, & nitri ſpuma, ipſumq; nitrum molle vſtum, quod etiam βοτρυίτιν nuncupatur, veluti etiã aphronitrum candidum, quod leue laxumq; eſt, neq; vllam in ſe terream obtinet aſpritudinem. Adhæc, veratrum vtrunq;, & erucæ ſemen: oleum quoque laurinum, & alcyonium vtrunq; tam vſtum quàm ignis expers, præfertur tamen quod vſtum eſt. Item arundinis radix & cortex, hæc etiam vtraq; aduſta. Quin etiam pix liquida, & cedrinum, quã κέδρίαν quoq; nonnulli vocant, & muſcerda, adepsq; vrſinus, licet præferatur qui vetuſtus eſt: ſed & hyænæ, leonis, pardalis, & anſeris idonei, ac in ſumma, cuncta quæ tenui ſubſtantia prædita ſunt. Amaræ itidem amygdalæ totæ crematæ conferunt, thusq; quod aceto fuerit acerrimo diſſolutum, aut in ſole pluſculis diebus cum aceto tritum. Itaq; his omnibus vti licet, ſi validioribus cerotum humidũ admiſcueris, imbecillioribus verò oleum laurinum affuderis. Quòd ſi malum vetuſtate curam renuat, validioribus certandum eſt: ſin nuper cœpit, exiguumq; ſit, leuibus ſatis fiet. Cæterùm compoſita medicamenta, quæ longa experientia comprobauit, ſunt hæc: euphorbij, thapſiæ, olei laurini, ſingulorũ drach. duæ: ſulphuris ignem non experti, veratri albi nigriq;, ſingulorum

Actuarii Joannis filii Zachariae operum - page 489 sur 731

©BIUM

drachma: his admiſce ceræ in laurino, aut ricinino, vel vetuſto oleo liquatæ, drachmæ ſex. Vſus eius ceu potentioris medicamenti in antiquatis curatuq; difficilibus: commiſcui nonnunquam naſturtij & alcyonij vſti vtriuſque drachmam, Verum in hunc vſum potius eſt, quod durius eſt aſperiusq;. Quòd ſi thapſia defuerit, in eius locum ſufficietur æquale pondus naſturtij ſeminis, aut erucæ. Si laurino quoque cares, picem liquidã miſceto: permiſcui adhæc interdum in vicem cerati mel, nihiloq; ſignius euaſit medicamentum. Quin & ea quæ ex adipibus conficiuntur, quæq; thapſiæ modicum accipiunt, ſimiliter iuuant: potiſſimum ſi adarcium & euphorbium addideris. Sint autem ex adipibus, leonini, & pardalij, & hyænæ ſingulorum portio vna: admiſceq;, ſi ad manus fuerit, anſerinum, & vrſinũ, & omniũ thapſiæ, aut euphorbij partẽ duodecimã: quòd ſi efficacius volueris reddere, vtrunq; ſimul injce. Attamen poſt primum vſum, vbi ſecundo vti decreueris, inſpiciendum eſt, ecquidnam adhibitum medicamentum locum affectũ commutarit: inſpectaq; mutatione, ad eius rationem medicamenti vis aut remittenda eſt, aut intendenda: ceu in hoc quem tractamus affectu, capilli nouacula tondere, affectamq; cutem linteo nec admodum aſpero, neq; molli perfricare

©BIUM

care oportet. Quòd si post paucas frictiones, locus erubuerit, mediocris existimandus est affectus: sin post multas, difficilior. Adhæc post primam probati medicamenti applicationem, primùm spectare decet, nunquid antequam perfricetur cutis, coloratior videatur: deinde, num cum modica & leui frictione meliorem contrahat colorem, aut num magis rubeat. Sed in primis obseruandum est, cùm valentia das medicamenta ne cutis nimis quàm par est incalescat. hoc autẽ patebit, tum ex colore flauiore, tum ex calore, qui iniectis digitis persentietur. Itaq; omnibus his animum diligenter aduertere oportet. periculũ enim subest ne cutis aduratur, post vnũ atq; alterum eius vsum. Quare ad molliora confugiendũ erit, aut idem, sed exoluta facultate cerati adipisve permistione, vsurpandum. Irrigare quoque locum oportet, oleo dulci calido, aut panis cataplasmatis in morem imponi, foueréq;, ac scalpello pertundere, cucurbitulasq; admouere, ac ceratum assumere. Vbi malum iam vetustescit, assiduè quoq; radere, & rubificantibus ex sinapi, ac insequentibus diebus frictionibus, pice illita aut oleo cedrino, ac post frictiones scarificationibus vti cõuenit. Nonnulli acubus iectis, quæ cuspide ac acie cutem tangant, ipsam pertuderunt. Vbi autem ex frictione locus erubuit,

©BIUM

buit, ſcarificatus q; eſt, ad medicamenta quæ ex alto educunt, μεταουγκριτικὰ appellant, profugiendum. Porrò in omnibus hic communis eſto ſcopus, vt tum verno tẽpore medicamentum demus, tum in loco potius aprico, vbi nulla aura cutem perflet: hyeme verò præſtat in balneo his medicamentis vti. Atqui hæc compoſitio ad fluentes pilos valet oleo aut vnguento diſſoluta, adhæc ijs qui in palpebrarum glabritiem, aut caluitium incidunt initio appoſita: eſt enim mire efficax. recipit, murium domeſticorum crematorum, lineæ veſtis attritæ vſtæ, dentium equinorum vſtorum, adipis vrſini, medullæ ceruinæ, arundinis corticis ſingulorum partem vnam: hæc terantur, deinde mellis quod ſatis eſt, vt in melleum coeat craſſamentum, admiſceatur, & alopecia perfricetur, donec pili enaſcantur. Eodem modo profluui pili perfricandi ſunt. Aut liquida pice cantharidas vſtas excipiens, vt ceratũ liquidum fiat, & nitro aſſato extergẽs, ſplenio imponito, & per noctem relinquito. Mane autem tolle, & ſine vt locus exiccetur, donec perfringatur. Vbi autem pili ſuboriri cœperint, aſſiduè locũ abrade, aut ficulneis foliis, vel leui pumice cruore euocato, amygdalas crematas vnà cum aceto aut melle inunge: atq; id aſſiduè facito, ac radito: ilico enim augentur pili.

Idem

©BIUM

Idem pollent nuces Ponticæ crematæ, & herba pedicularis cum vnguento laurino. In vetustis verò mirè efficax est, quod capit thapsiæ succum, aut radicem: id autẽ cerato excipies, locoq; impones, nulla alia cura adhibita: abscedit enim superne superficies, saniemq; fundit & sua sponte pili exoriuntur. Aliud, spumæ nitri partes duæ, salis ammoniaci pars, ea vsta tere, & aceto quàm acerrimo maceratis, donec sordis cœperint crassamentum, vtere: atque antea leuiter alopecia abrasa, vt locus densetur, & cruentus modicè euadat, eo caput inunge, ac perfrica donec combiberit, & medicamentum quod antea inunxeris in altum penetrauerit: deinde quiescere permittimus in proximam auraram, eoq; tum sub vesperam, ac tertio quartoq; die, repetito, magnam inuenimus factam esse immutationẽ, sistitur enim ipsum vlcus depascens, pilliq; vellicati ac vi vulsi obnituntur, neq; se euelli patiuntur. posthæc, insequenti die aceto refricantes, sinimus quiescere in crepusculum, eoq; peracto cataplasma imponimus, donec pustulæ oboriantur, cutisq; summa exulcerentur. Pustulis adhæc scalpello disruptis, vbi biduo profluxerit humor qui ab vlceribus emanat, denuò eodem vtimur linimento, abstinentes à locis vlceratis, eosq; transilientes. Sanos autẽ abradimus,

& modicè refricamus, in ſeptimum aut octauum vſq; diem, quo tempore non amplius ab extremis alopeciæ tenues lanuginoſoſq; pilos, vt antea, ſed robuſtiores prodire conſpicimus, aliosq; deinde paulatim, ſemper è locis glabris emergere, rurſuſq; tenues & imbecilles deficere. Simile enim quiddam hîc accidit, quod in his qui exulcerati ſunt. Siquidem in vlceribus, cicatrix ab extremo ſuum ſumit initium, atq; ita extremas mediasq; partes vlceris abſoluit: ſic in alopecia partes quæ loco pilis obſito adiacent, primùm robuſtiores fiunt, & crebreſcunt: mediæ verò poſtremò omnium pilos progignunt. Proinde cùm ita curatio procedit, nihil opus eſt alijs præterea medicamentis, ſed eo longiore tempore vſi ſumus, & placidè ceſſit affectus, vbi omnino nulla permagna eſſet nuditas. Interea tẽporis perpetuò ſcalpello abradimus, atq; interdum cuſpide acus cutem ferientes, è puncturis modicũ cruorem elicimus. Quòd ſi pili ſerius exoriuntur, ad ſubſcriptas facultates profugimus. herinacei terreſtris capite aut cute exuſta tritaq; in leuorem redige, & melle ſubigens vtere. Aut hippocampum marinum, & nitri pauxillum vnà comburens, adipemq; anſerinum commiſcens, illine ſimul atq; locũ antea nitro abſterſeris. Aliud, pumice rubificatorio antea abſtergito, & loco

præſõ

præfomentato, thapſiæ ſuccum illinito, deinde cerato roſaceo vtitor. Aut arundinis foliorum & radicis vſtorum, adianti, adipis vrſini, picis liquidæ, pilorum caprarũ vſtorum, cedriæ, omnium par pondus accipe, liquidaq; cum aridis committe, delinc illine, neq; abradens, neq; antea extergens. Aut fici folia cum aceto, donec lanugo prodierit affrica, & herbæ quæ ſtœbe nuncupatur, ſuccum illine. Aut ranas albas exure, & pici liquidæ tepidæ inſperge & illine, neque præradens, neque præfricans. Aut ſpumæ nitri drachmæ quatuor, ſtercoris muris, corticis arundinis vſtæ, vtriuſq; drachmas duas pice liquida excipe, & ſplenium ſorma, & loco antea abraſo nitroq; præparato impone, neque ante biduum vel triduum auferto. Ad eos qui præter ætatem calueſcunt: pericalamitidis, hoc eſt arundinis cum cortice, vel lemniſtri, quod etiam adarcium vocatur, eo quod arundinibus adnaſcatur, drachma, myropiſſoceri, hoc eſt picis & ceræ cum laurino, aut lentiſcino, aut cedrino liquefactis, barbæ hircinæ ſordis, & pilorum, hoc eſt ladani, eo quòd in hircorum caprarumq; barbis aliquibus in locis reperiatur, ſingulorum ſelibra: adipis infantis infermis, hoc eſt vrſini libra: foliorum Dionyſiacorum tenellorum ſucci, hoc eſt vitis: ladonidis foliorum tenerorum, hoc eſt lauri

lauri, ſucci callicereos, quod eſt fœnugræci, ſuci herbæ verbenacæ, ſucci foliorum arundinis, ſingulorum cyathi tres: cynomori hoc eſt rubi caninæ, herinaceorum marinorum crematorum, vtriuſque vnciæ duæ, acanthionis terreſtris cutem vſtam, hoc eſt herinacei terreſtris: hæc omnia in plumbeo mortario pluribus diebus in læuorem redigere oportet, vt omnia læuigata probè vniantur, atq; etiam à mortario quippiam deterſum accedat, vtere, locum anteà crudo linteo perfricans, deinde autem cum althææ coæqualis radicè detergens, illine. Hoc, inquit Galenus, medicamentum reperit Claudianus ſodalis eius, ſcriptum in libello ex membranis contexto, eo qui illo fuerat vſus, vita defuncto: multi autem faciebat eius poſſeſſionem, propterea quòd quoſdam calueſcere iam incipientes eo curatos conſpexiſſet, ita vt neq; vlterius caluities progrederetur, ipſéq; denudatus locus pilis denſus redderetur. at verò nos ipſum ænigmaticè conſcriptum, planius, quo ad eius fieri potuit, explicauimus.

Aliud, Adipis taurini inſolati libram, adarces vncias duas, ſucci thapſiæ vnciam, myrthæ bonæ vnciam, polythichi libræ dimidium, callitrichi libræ dimidium, membri aſſinini libram, ſplenis aſſinini libram, ladani tantundem. Ladanum vino modico madefactum

conter

conterito admixto adipe: deinde membrum asininum assum radito, donec absumptum fuerit: splenem verò cum polytricho & callitricho in olla noua torrefacito, & contusis quæ contundi debent ac cribratis, gleucino aut sabino oleo excipito: & ante balneum caput pectens vtitor. Patet autem, quòd eadem medicamenta admenti quoq; pilos non enascentes accommodantur. Aliud, fænugræci sextarios quatuor seminis lini sextarios duos, ladani bessem, succi acaciæ selibram, foliorum malabathri sesquuncem, gallas numero viginti, unguis aromatici, bdellij, singulorum sextantem, myrti tusi sextarium, bryi (alij splagni aromatici) quadrantem, iridis sextantem, arundinis Syriacæ sextantem & vnciæ dimidium. Contundito & in vase asseruato, deinde permistum vino Italico odorato vt liquidum fiat, & carbonibus impositum, rudicula agitato, donec semel bulliat, sedulò cauens ne vratur. Deinde illines & irrigabis medicamento, sensimq; in solio sedenti affricabis, vt moris tui est & caput totum ablues. Posthæc, herbam etiam pedicularem per se tusam ac cribratam, post quartum vsus diem medicamento cõmiscebis, similiterq; decoctum eodem modo illines, id prospiciens ne in oculos defluat. Vnguento autem à balneo vteris huiusmodi, olei myrtini

11 libra,

libra, ædani triente. Minimè fallax & certæ est eius facultas. Porrò duo quæ subsequuntur medicamenta, admiranda sunt, quæ ex verbis tradentis ita se habent: Ad alopecias, caluitia, pilorum raritatem ægrè curabilem in mento, in supercilijs: pilorũ ouis vnciam, radicis arundinis selibram, filicis cum radice sesquuncem, castaneorum hispidi corticis quadrantem, lanarum succidarum sesquuncem, capita muscarum numero triginta, muscas quinque sine capitibus, omnia in nouam ollam indita, furno imposito, deinde cinerem ipsorum terito: habeas autem in vino Aminæo prius trita ladani vnciam, myrrhæ vnciam, olei vetusti sextantem, cedrini vnciam, fœniculi vncias duas, posthæc insperfis aridis excipe: vbi autem antea alopeciam linteo perfricueris, & leuiter vellicaueris aut allio, aut scylla, vel filijs ficulneis seipseris, sensim affricãs medicamentum illine. Atq; vbi abstueris, valide linteo exsiccans, insequẽtibus diebus idem obito, & ad duos vsq; menses inungendo progreditor: quòd si amplius perseueraueris, caluitiẽ quoq; persanabis. Cæterùm fluentium pilorum affectus, à prædictis generibus differt, quare neq; eundem cũ alopecijs scopum obtinet: siquidem in alopecijs propositus scopus est cacochymiam exhaurire, hic verò capitis habitus est roborandus,

randus, efficiendumq; vt probus humor adsit, cutiq; quod ad raritatem denſitatemq; ſpectat, mediocritas reſtituatur: quocirca humectantibus medicamẽtis, aliquid quoq; quod aſtringendi vi polleat admiſcendum eſt, cuiuſmodi eſt ladanum, quod in ſe vtrunq; quod ad hoc ſymptoma idoneum eſt obtinet, nempe commoderatum calorem cũ aſtrictione ei proportione reſpondente: quocirca oleo commiſtum vt illini poſſit, fluentium pilorum ſiſtit ſymptoma. Liquet autem quòd capitis frictio, vſum medicamenti præcedere debet, & ſi denſi ſunt capilli, auferendi: quinimmo, ſi anni tempus patitur, omnino ſunt tollendi. nanq; poſt peractas frictiones inunctionesq;, cutis robuſtæ calidáque erit, habebitq; denſitatis commoderationem natiuam. Solet hic capillorum morbus ſæpenumero ægritudinibus ſuccedere, raróque citra morbum accidere, ac potius victus ratione, quæ à morbo ſe recreantibus competit, aut ſanitatem tuetur, opus habet, ſæpeq; citra medicamentorum opem, integrè ueſtigio perſanatur. Ne capilli capitis deſluant, ladanum vino auſtero maceratum lauigato, oleum myrtinum vinumq; viciſſim affundens, quo mellis acquirat craſſitudinem, eoq; caput antè & poſt balneum illinito. præſtat etiam polytrichi, quod nõnulli ad-

iantum appellant, dimidium ad ladanum portione adȳcere, & cũ myrtino nardino ve vti.

Aliud, ad gignendum capillos in capite: arundinum tenerarum radices tusas exuccato, et muscas in pulticula torrefacito, adipemq; vrsinum & oleum cedrinum sigillatim terito, atq; simul commista exhibeto ad illinendum, ac quo odorem retundas, vinum dulce ammisceto. Aliud, ad capillos ex morbo defluos, brassicam aridam tritam ex aqua impone, aut loti radicem eodem modo, aut anemones florem tritum cum oleo illine, aut verbenacam rectam vnà cum radicibus exiccatam & tritam cribrato: deinde, affuso oleo vt stigmentitiam habeat crassitudinẽ, inungito. Aliud, baccarũ myrti, seminis apÿ, seminis betæ, myrti surculorum, singulorum sextulam, ladani sextulæ dimidium, adianti tantundem, vini nigri sextarios sex: coque donec omnino dissoluantur, cumq; ad tertias excocta fuerint, olei aut alterius hedysmatis sextarios duos adȳce, rursusq; coque: vbi autem bis ter ve ebullierit, liquore expresso, & sedulò per saccum excolato, in hydria repone. Vsu verò expetẽte, eo omnino succusso vtitor, inunctis ex eo bis in die capillis. Aliud, seminis apÿ, seminis betæ, callitrichi, ladani, thuris, singulorum sextans, nuces iuglandes numero quindecim, corticis nucis pinea

neæ libra, omnia in nouam ollam coniecta, & osculo argillo obturato, in balnei fornace assato, deinde exempta terito, & adiecta adipis vrsini libra, subactaq; in pyxide ilignea recondito. vsus verò tẽpore medicamenti quod satis est accipito, & quod lubet hedysmate cõquassato, & caput bis interdiu illinito. Quidam capite deraso, medicamentum inungunt, solo adipe vrsino subactum. Aliud, valet & ad caluitium: leporum vẽtres sex in vase testaceo torreto, adhæc baccarũ, virgultorumq; myrti, succi acaciæ, adianti singulorum quadrantem, tosta, tritaq; per cribellum excernito, iniecta adipis vrsini libra, & vitulæ marinæ tantundem, ac emollito & in pyxidem plumbeã conijcito: cumq; vsus exigit, sume medicamenti quantũ sufficit, & quo voles hedysmate subigito. Cæterùm quia nonnulli canos dedecori probroq; ac senio esse ducũt, nolunteq; tales videri, etsi præstaret nullam eorum haberi rationem, attamen ne, si quando eiusmodi postulant, atq; instant, ignorare videamur, qua ratione capilli nigri, aut flaui, aut crispi reddantur, eatenus meminisse oportet, ne stupidos offendamus si eiusmodi prætermitterentur. Quæ capillos denigrant hæc sunt, Capparis radices cum lacte muliebri, aut asmino vsq; ad tertias coctas noctu cataplasmatis in morem im-

ponito, aut lotio canino ad quinq; dies adſeruato abſtergito, aut ilicis corticem coquito donec mollis euadat, atq; eam pro cataplaſmate inducito, aqua verò detergeto, aut argenti ſpumam, cimoliam, alumen liquidum æquis portionibus commiſceto, eoq; capillos exiccatos noctu illinito, & betæ folia ſuperuè illigato: aut ſalignæ corticis ſuccum cum oleo affricato, ſummè enim denigrat. Aliud, barbam denigrans, ſuber non maceratum, & plumbū uſtum cum betæ crudæ ſucco mellis ſpiſſitudine illita, uſq; ad prandium ſinito, deinde eluito: aut ferri retrimentum & plumbum in aceto cocta, uſque ad tertias, citra oleum illinito. Ruſos porrò reddunt lupini crudi cum aqua & nitro illiti. Criſpos verò capillos facies, ſi ſpuma ſalis cum myrrha deterſeris: aut ſucco carpaſi illine, eruntq; criſpi & nigri, aut myrti baccis & betæ ſemine æquali pondere cū oleo tritis utere: aut haſtulæ regiæ radicem cum mero illine: aut lupinorū cortices & nitri parum in aqua macerato diebus quatuor, ac utitor. Cæterùm quemadmodum medicamentorum capillos augentium uſus alius ad medicum ſpectat, alius ad eum qui de ornatu pertractat: ita & eorum qui capillos vitiant & corrumpunt. nonnunquam enim illis quoq; utendi offertur occaſio, iuxta triplicem eorum differentiam. dico

triplic

triplicem, quoniam alia peculiari nomine appellantur, depilatoria, Græcè verò ψιλωθρα, alia capillos attenuantia, & quædam penitus tollentia. Atq; horum quidem quæ postremo loco recensui, vsus periculosus est: siquidem non modo ijs illitæ corporis partes depiles in posterum prorsus redduntur, verùm caput quoque & mentum, & supercilia, ac cilia pilis denudantur. Reliqua verò duo periculo vacant: nam pilos decutientia, quæ priuatim dixi ψιλωθρα & depilatoria appellari, in quotidiano vsu versantur mulierculis propè omnibus & viris quibusdam. Quæ autem tenues reddunt capillos, ac minores, accommodata sunt ijs quibus duri, multi, magni crassiq; sunt, atq; idcirco à suillis parum differunt. Proinde quædam ex his erodentem vim obtinent, alia adurentem, cuiusmodi est lixiuium quod stillatitium nominatur, & liquidum est: atq; ex metallicis, auripigmentum, & sandaracha, & calx, quam nonnulli solum ἄσβεστον, nostri viuam appellitant. Præferuntur quæ erodẽte facultate prædita sunt, quia vsu innocua sunt: nam quæ vrentem vim possident, si nonnihil in loco negliguntur, vrentia in cute pustulas vlcerag; excitant: veruntamen eorum vstionis vehementiam, imbecilliorum medicamentorum commistio refringit ac retundit. Pilorũm

capillorum, calcis non extinctæ partes duas, auripigmenti partem, in mortarium plumbeum proiecta, aqua aut ptissanæ succo affuso terito, atq; vbi nigra reddentur, calefacta illinere iubeto, atq; id in balneo. Aliud, Paridis saltatoris, euestigio pilos aufert: sandarachæ & calcis viuæ æquas partes terito, & in aqua diligẽter coquito, cumq; agere cœperit, auferẽtoet vtitor: id autem cognosces, si in psilothrum penna demissa statim glabra fiat. Aliud, amyli, auripigmenti, vtriusq; vnciam, calcis non extinctæ sesquunciam, tusa cribrataq; repone, atq; vt dictum fuit, vtere. Aliud, lixiuij, calcis viuæ, pumicis cremati, cimoliæ, auripigmenti, singulorum pares portiones: vtere vt iam dictum fuit. Cæterùm eorũ vsus præstantior est, quemadmodum hac quoq; tempestate mulieres vtuntur, quæ corpus illinunt, ac deinde in tepidam balnei domum ingressæ, simul atq; sudare cœperint, strigili medicamentum ab aliqua corporis parte detrahunt: adhæc, si vnà quoq; pilos auferri senserint, reliquum totum corpus abluunt. Cæterùm componunt etiam medicamenta, vt id quoq; non ignores, quæ pilos disperdant, ex lepore marino, iecinore thunni putrefacto, & cedria, & ranarum earũ quæ inter arundines degunt, sanie, & testudinis marinæ cruore, lacryma vitis albæ similiterq; bryoniæ

bryoniæ, ac oleo quod insulsum nuncupatur, ex marinis item scolopendris, vrticaq; marina, & marinis stellis, admista ijs nitri, amurcæ, cædriæq; parte. Quinetiam alia ex herinaceis & salamandra his validiora conficiunt, oleo percoquentes: quibus etiã alcyonia, sandarachã, & id genus alia commiscent. Iam verò pilos attenuantia, quæ etiam ῥυπτικὰ, hoc est sordes extergentia, appellamus, differunt inter se maioris minorisq; ratione. Proinde ea quæ ex hordeo, fabis, eruo item, aphronitro, & nitro constãt iam omnibus sunt familiaria, quippe quibus ad sordium detractionem vtuntur: assiduus autem eorum vsus statim pilos quoq; attenuat. Porrò quæ valentiorem vim extergentem obtinent, ijs quibus duri magniq; pili sunt, commodè adaptãtur: eiusmodi autem sunt: nitrum vstum, & nitri spuma, ipsumq; aphronitrum spumosum. Sunt in continuo vsu vasa quoq; Alexandreotica, quæ καλαίνα appellantur, contusa nimirum & tenui cribro excreta. Ego, inquit Galenus, & fictilium, cribaniq; testas, & pumicem non vstum, & vstum pauperibus indicaui. Qui haud procul à mari degit, is facile & gratis habere etiam potest, buccinarum, purpurarumq;, atq; id genus testas, easq; vrere. Sepiæ verò testa etiam citra vstionem valet, alcyoniũq; et lanaria herba, adhæc,

veratrum, bryoniæ radix, itemq; dracunculi, aristolochia & canchry, panacisq; radix, atq; eiusmodi alia. Quòd si odorata efficere voles, cyperum, & melilotum, iunciq; odorati florem, & rosas, necnon iridem & apiastrum, nardum item Indicam ac Celticam, amomumq; & thus, crocum, costum, & hedychroum admiscebis. Smegma totius corporis, Butæ inuentum: ollam nouam capito quæ operculum habeat, in eamq; conijce glebas cimoliæ, post hæc mala cotonea recentia, deinde cimoliam, rursus cotonea, atq; ita donec eam impleueris facito. Olla deinde operculata mala marcescere sinito, vsu verò expetente, quod satis est sumito, & terito. Monet autem eo vtendum esse post pstilotbri impositionem. Aliud, rosas quæ in vmbra per diem contabuerunt in vase figulino compone, itemq; glebas cimoliæ eo quo dictum fuit modo, vt rosæ substernantur: & rursus inter glebas interponantur: deinde operculo impositio sinito cõbibere: vsus est qui iam fuit indicatus. Quæ vocatur porrigo & furfures à prauis seroſisq; humoribus ortum ducunt, quos discutientibus extergentibusq; medicamentis explodere oportet, vniuerso antea præparato corpore, si prauis humoribus videbitur refertum, idq; cibis boni succi & minimè excremẽtitijs, quinetiam si res postulabit, medicamentis

purgat

pargatorijs: siquidem eius vbiq; te meminisse velim, etiamsi interdum inter commentandum prætermissum fuerit. sunt qui prædictis medicamentis, astringentium quippiam admiscuerunt, robur affectæ regioni addere cupientes, ne seroſos humores eo confluentes facilè admittat, sed renitatur repellatq; Itaque quibus furfures caput occuparunt, admisce fœnugræco & betæ succo cum nitro cimoliam, & felle bubulo aut suillo & aceto subactam illine, deinde post horæ spatium eluas, oblinasq; atramentum sutorium, & nitrum cum oleo trita: aut myrobalanum farinamq; fabaceam æquali pondere in læuorem redacta, coquito & affricato: aut amygdalas amaras detracto cortice cum aqua vel aceto affrica, & vbi capilli exaruerint calida ablue. aut maluæ sylueſtrem aqua marina excoctam, donec quinta pars superſit, terito atq; affricato. Aut nitri spumam, & atramentum sutorium æquis portionibus cum vino ter aut quater in mense affrica. hoc adeo efficax, vt in posterum gigni non permittat. Aut vini fece roſacei ve, aut pumice & nitro æquali pondere cum lupinis affrica. Aut cimolia cum lupinorũ cremore. Aut nitro assa, & bulbo: his citra salem læuigatis vtere. Aut picis liquidæ sero illito alumen insperge. Pedículorum generatio quibusdã contingit confertim

in cap

in capite ex humoribus quamplurimis & calidis, non tamen eo caliditatis progreſſi, quo acres ſeroſiq; perueniunt. Ex quo liquet, pediculationis affectum in profunda cute oboriri, vbi hæc animalia gigni poſſunt: non autem in ſuperficie, in qua porriginem conſiſtere diximus. Itaq; neceſſe eſt, vt eorum medicamenta ſint exiccandi vi prædita, quæ vniuerſum humorem ex alto trahere euacuareq; queant, idq; efficacius, quam eã quæ ſurfuribus accõmodãtur. Adyciam autem ex ijs pauca quædã exempli gratia: herbæ pedicularis partes duas, ſandarachæ & nitri ſingulorum partem, cum aceto & oleo caput inunge. Aut rhoën culinariũ cum oleo tritum illine. Aut acuti rumicis radicem cum oleo. Aut veratrum album, & herbam pedicularem, & nitrum æquali portione cum oleo in balneo adhibe. Aut cum aqua marina, aut muria meraca & aceto perfunde. Quòd ſi glabrum caput fuerit, herbam pedicularem cum aceto & oleo pro cataplaſmate imponito. Manans vlcus, quod ἀχὼρ nuncupatur Græcis, in capitis cute oboritur, & perquàm exiguis foraminibus tenuem humorem fundentibus, modicè viſcoſum, pertunditur. Proximè ad id ſpecie accedit alia cutis affectio, quam favum & Græci κηρίον nominant, ſed maiora habet foramina, quæ humorem melli adſimi

adſimilem contineant. Gignitur ex humore mixto, qui partim tenuem ſeroſumq; ac mordacem, partim craſſum in ſe habeat ſuccum. Itaq; qui tenuis eſt, vt pote mordax, primùm ſcalpere cogit: temporis verò longinquitate, poſt ſcalpturam tumor increſcit, & perforatur. Quare perſpicuum euadit, euacuandos eſſe humores qui affectum committunt. Quòd ſi quid etiamnum adfluit, impediendus eſt affluxus, tum capitis euacuatione, tum qui hanc præcedere debet totius purgatione, quemadmodum de alopecijs antea diximus. Competunt autem, ob craſſitiem & lentorem humoris ipſum gignentis, ea quæ incidunt, & facultate ſua neceſſariò diſcutiunt. Habet autem acetum, quod in incidẽtium ordine recenſetur, egregiũ quippiam, quòd præterquam quòd diſcutiat, reprimat repellatq; influxum, vt pote ſubſtantia ſua modicè calidum, & plurimum habens frigoris, idq; tenuium partium. Sit igitur acetum inſigniter acre, nullam penitus præ ſe ferens vini qualitatem: quo modo hæc, modo illa metallica medicamenta imbues, & achoribus medebere. Cæterùm ab imbecillioribus eſt inchoandũ, potiſſimùm ſi dolor fuerit coniunctus. Ad hoc igitur idonea eſt cimolia, & Cretica Samiaq; terra, & pompholyx aut ſpodium, argentiq; ſpuma & cadmia. Patet autem, quòd antea abraſis

abraſis capillis id perages. Quòd ſi his vitium non ceſſerit, medicamentum ſiccum ex charta aceto imbutum illine. Quòd ſi acrius id tibi viſum fuerit, eius vires exolue, admixta argenti ſpuma. Inquit autem Galenus, quòd cùm aliquando ruri degeret, neq; medicamentum quod ex charta conſtat, ei ad manum eſſet, ſe arrepta charta ac exuſta, acetoq; diluta locum affectum illeuiſſe, hominemq; ita ſanaſſe: fieret autem medicamenti vim, ſi alioqui duram habuerit carnem. Quòd ſi quando in vlcus manans phlegmonoſum, dolensq; incideris, dolor primùm liquido medicamento leniendus eſt, quod emolliendi coquendiq; facultatẽ habeat, & morſus ſit expers, cuiuſmodi eſt quod ἀάφυγρον nominatur. Conueniunt & ea quæ ad ſedes dolentes ob vlcus aut rupturam idonea ſunt, de quibus ſuo loco dicetur, veluti & ea quæ cancros mitigant. Ad manantia vlcera bryonia cum melle vtitor, aut lente cum melle, aut pinus cortice cum cerato, aut cadmia cum oleo veteri illita, aut cinnabarim ſimiliter in leuorem redige, & cataplaſmatis more impone, admiſtis ei myrti baccis, aut hordeo vſto, aut oſtreis crematis, horum ſingula cum oleo veteri adhibe, aut betæ decocto cum pauxilla cimoliæ, aut vini fæce cũ aceto vetuſto vtitor, aut ficuum agreſtium decocto foueto, aut chal-

citide

citide cum myrto, aut felle ſuillo liquido illinito. Ex his quæ mediocrem obtinent facultatem, moderatioribus achoribus ſuccurrunt: quæ verò validiorem, eos quoq; qui ex craſſis admodùm lentiſq; humoribus nati ſunt, & ita cuti impacti, vt ægrè elui queant, euacuare poſſunt. Aliud, terræ cimoliæ, ſulphuris ignem non experti æquas portiones cum aceto terito, & in balneo affricato. Aliud, argenti ſpumæ drachm. octo, tenellorum rutæ foliorum drachmæ quinq;, olei roſacei aut myrtei drachmæ octo, aceri heminæ quatuor, his tritis caput illine: hoc ſatis multa experientia nobis fuit comprobatum. Aliud, ad achoras recentes, gluten fabrile aqua incoctum illine, aut ficus virgultæ, teneriora've folia trita cum aqua cataplaſmatis inſtar impone. Quòd ſi vetuſti fuerint, cum aceto terito. Aut internam partem nucum amararum in tepidam aquam conie-ctam, ac decorticatam, cum aqua terito, & ad cerati craſſitudinem redacta capiti antea abraſo imponito: in diuturnioribus verò, cum aceto diſſoluito. Aliud, ſmegma ad achoras, porriginem, aſperitudinem, & ſcabiē: terræ cimoliæ, nitri rubri, ſingulorū libra, myrobalani retrimenti ſelibra, myrrhæ uncia, piperis albi, & iridis tantundē, nardi Celticæ, caſiæ, coſti, ſingulorum drach. quatuor: tuſa, cribrataq; repone: vſus

vſus eius eſt in balneo. Ad pſydracia, achoras, puſtulas vlceroſas quas nuncupant ἐλκυόδρια, capitiq; exanthemata, idoneum. Victus ratione & purgatione tum corporis, tum capitis vti conuenit, catapotijs ex aloë, colocynthide, & ſcammonio, ſucco braſſicæ exceptis, poſthæc ad partialem curationem accedendum eſt, ceu dictum fuit. Egregiè item diſcutit lutij radix affricta, & thus cum vino aut aqua, & lupinorum amarorũ decoctum, thus ex aceto, malicoria cum laurino: aut anchuſæ radices vſtas, tritasq; cũ oleo ad ſordium vſq; craſſamentum, penna illine, & iuuabis, ſed quæ capitis cutem infeſtant vitia hæc ſunt, itaq; ſunt curanda.

De capitis internis vitiis. CAP. II.

PRorsùs quia dum recenſemus quæ foris imponuntur, commentatio eas quoque affectiones attigit, quæ intus latent (quippe quòd quæ extra adhibentur, interdum in altum penetrant) age ea annectamus quæ exterius data ijs quibus ob quamuis affectionem caput dolet, opitulantur, ne laborantibus partibus externum etiam auxilium deeſſe videatur, etſi morbus interim intus infeſtet. Quinetiã hoc in reliquis corporis partibus faciemus, ſatius eſſe rati eandem rem nonnunquã repetere, quàm ſi id crimen euitare vellemus, multa quæ tradi debebant, prætermittere: quoniam itaq;

itaq; vitia capitis ex intemperie antea explicata fuerunt, quoq; modo ea sint dignoscenda, & qua victus ratione emendanda per ea quæ intro assumuntur, reliquum est vt pauca quædam addamus, quæ exterius applicãtur. Igitur si capitis dolor ex solis ardore enatus fuerit, caput assiduè rosaceo perfunde, & lanei panni partem rosaceo imbutam impone, aut eodem modo vnguento melino vtere, aut portulacæ folia minutim secta, tum per se, tum cũ farina tenella cataplasmatis modo adhibe, similiterq; solanum: aut sesamum tritum, cui rosaceum stillatim affusum fuerit imponito. Quòd si ob refrigerationem caput vexetur, post reliquam quæ tradita fuit diætam, caput irino vnguento perfunde, ac linteis laneisq; pannis eo intinctis vtere, similiterq; vnguento laurino. Ligustrum quoq; tunde, & adipe anserino permixtũ, capiti inunge. Prodest & spongijs calida imbutis ac expressis fouere, & maximè si in ea lauri tenella folia, aut amaraci, aut cyperi fuerint decocta. Cæterùm in antiquioribus capitis doloribus, caput necesse est abradere: aut cute tenus tondere, atq; ita quàm breuissimos habẽti capillos medicamẽta adhibere liquida, vel quæ emplastri aut cerati formam obtineant: est autem eorum multiplex materia, quæ magis minusq; refrigerent, aut calfaciant, & quæ pro-

grediente commentatione doceberis. Subnectã verò vnum atq; alterum exempli loco. Si itaq; calfacere est animus, cape euphorbij vnciam, ceræ quadrantem, olei libram: hæc liquefacta iungito. Sin contrà cupis refrigerare, sume oleũ rosaceum ac violaceum, & ceram albam: ea ad cerati crassitudinẽ redacta, aceto vel aqua, aut stillatitio rosarum liquore elue tantisper dum ceratum eorum qualitatem imbibat. Porrò tu ab hoc veluti rudimento, alia calefacientia aut refrigerantia conficere poteris medicamenta. Quibus ob ebrietatẽ caput dolet, aqua calida prius ebibita, eos vomere præstat, posthæc, aluum quoq; eluere: abstinere ab omni calidiori flatulentoq; edulio oportet. Quòd si post coctionem etiamnum doluerit, refrigerantia reprimentiaq; super caput danda, cuiusmodi est rosaceum per se, & cum aceto, aut hederæ brassicæ ve succo. Quin ipsa quoque brassicæ folia, calida madefacta, capitiq; imposita & alligata, peculiari quadam naturæ dote crapulæ aduersantur. Porrò ijs quibus ob vitiosum aliquem succum in ventriculo collectum caput dolet, satius est primùm causſas præscindere, tum leuibus boniq; succi cibis, tum medicamentis quæ stomachum ventremq; abstergant: inter quæ omnium est præstantissimum, quod ex aloë conficitur, cuius anteà quoq;

quoq; meminimus, posthæc capiti per ea quæ foris applicantur, consulendum, quòd ipsum ab vaporibus, qui inde exhalant, vnà etiam afficiatur. Ei autem cuncta quæ tenuium sunt partium, & discutiendi cõcoquendiq; vi prædita sunt, opem ferre putantur: cuiusmodi sunt amygdalæ amaræ decorticatæ & tritæ, quæ cum aceto ac oleo macerata, & ad cerati crassitudinem redacta, per linteũ fronti imponuntur. Aut mentam syluestrem, amygdalas amaras, iridem, æquali portione cum aceto & rosaceo infunde, aut muscerdam cum aceto itidem ac rosaceo. Aliud, rutæ folia, mentæ, peucedani, iridis, singulorum drachm. duas, seminis ocimi drach. octo, seminis papaueris nigri drachm. quatuor, poscæ sextarium, coque ad dimidias, deinde expresso humore, rosaceo adsperso disseca, eoq; assiduè caput irriga. Aliud, ad eos qui inueterato capitis dolore tenentur. Irini vnguenti expressionis, peucedani, castorij, singulorum partem, baccarum lauri, seminis viticis, rosarum siccarum, singulorum partes duas, rutæ, virgultorum foliorum partes quatuor: aceto dissoluta excipe cerato quod ex rosaceo constat, deinde linteo emplastri more inducta capiti abrasis antea capillis impone, fasciaq; obligatum in sequentem diem serua, & rursum impone. Si qui ob bilẽ

in ſtomacho coaceruatam, ac immerſam, capite dolent, ea per victum ac purgatoria illi rei idonea, ſublata à dolore eueſtigio liberantur. Cæterùm de horum curatione, iam antè quæ neceſſaria ſunt docuimus. Porrò in κεφαλαίᾳ vocata, quæ vetuſtas eſt & qui ægrè ſolui poteſt capitis dolor, alia cura eſt certandũ, veluti diximus: verũ capiti exterius proſpicies, ſiquando vſus poſtulat ea quæ reuellendi vim obtinent, per repellẽtes irrigationes. Quinetiã poſt totius corporis vacuationẽ, iam ijs quæ caput quoq; inanire valent, ac deinde roborare vtendum eſt. Repellunt quidem oleum omphacinũ roſaceumq; tum per ſe, tum cum aceto: & quæ ex capitibus papauerum, oleæq; ramulis, ac hederæ corymbis, & menta parantur. ſed ſi plenitudo frigidior fuerit ac crudiuſcula, remedia ſunt tepida applicanda: contrà, ſi calidior ac bilioſior, calida. Diſcutiunt oleum dulciſſimũ, & magis vetuſtum, ac Sicyoniũ. Quòd ſi humorum plenitudo fuerit craſſior, ſpondyliũ, aut ſerpillum oleo incoctum, vel pulegij coma, aut nepeta, vel menta eam euacuare valent, atque hæc eadem robur parti conciliant: quare ipſis etiam quouſq; planè corroborata fuerit, vti licet. Verùm præ cæteris diſcutit prorſusq; roborat verbenaca recta, & potiſſimũ viridis: quin & ſicca vnà cum radicibus in oleo excocta prod

prodeſt: ita nanq; omni capitis dolori, quẽ craſſorum humorum putredo genuit, medeberis. In primis quoq; proſunt aſelli, qui ſub hydrũs ſtabulantur, oleo incocti. Cæterùm quod neceſſarius hìc ſit eorũ quæ mandendo pituitam educunt, (ἀποφλεγματισμὸν Græci nuncupant) & quæ in nares induntur, ἐρῤῥινα dicta, vſus, iam antea dictũ fuit, perſcriptaq; materia, ex qua concinnari poſſint, quare inde ea quæ opportuna ſunt colligere oportet. Porrò ἡμικρανίαι, ijſdẽ doloribus quibus cephalæa caput invadit, eaſdemq; habet ſuæ originis cauſſas: ſed in eo diſſidet, quod cephalæa totum caput, hemicrania verò ſolam dimidiã eius partẽ quæcunque tandem ea fuerit, dextra nimirum vel ſiniſtra, dolore infeſtet. Eadem quoq; qua cephalæa curatur victus ratione. Paſtillus ad capitis dolorem mirè efficax, bis terve à temporibus in tempora illitus: capit croci drachmas quindecim, atramenti ſutorij drachmam, aluminis ſciſßilis vncias tredecim, mirrhæ, opij, omphacij ſingulorum drach. tres, chalcitis vſtæ drach. tres, gummi drac. decem & octo, omnibus contritis affunde vini auſteri quod ſatis eſt, ac poſthæc in hemicranijs, in dimidia capitis affecta parte, in totius verò doloribus, in tota fronte, poſca diſſolutus imponitur.

Aliud, continet ſcammonij drach. ſex, croci

Actuarii Joannis filii Zachariae operum - page 517 sur 731

©BIUM

drach. duas, comæ hederæ drach. ſex, ſulphuris ignem nõ experti drach. quatuor, ſeminis aniſi drach. octo, ſeminis apÿ totidem: diligenter trita ocimi ſucco in paſtillos cogito, hoc copioſiori roſaceo diſſolutum, ſit capitis irrigatio, quæ lethargicos iuuet. Ad eadem, ac præterea tenebricoſam vertiginem valet, peucedani radicis drach. quatuor, viridis drach. duæ, violarũ, acori, ſingulorum drach. ſpondylÿ drach. quatuor, piperis, caſiorÿ, ſingulorũ drach. duæ & ſemis, ſerpilli drachm. quatuor & ſemis, baccæ lauri numero 45. rutæ viridis drach. octo, mentæ viridis drach. quatuor. opÿ drach. hæc aceto excepta in paſtillos efforma. Vſu verò expetente oxyrhodino diſſolue, & illine, quinetiã cerato quod roſaceo conſtat, exceptum, ceu malagma imponitur. Adhæc, euphorbÿ pars vna, cũ tribus ceræ partibus, & duodecim, olei valet ad hemicraniam, ſi eo dimidia frontis pars vnà cum muſculo temporali illinatur: nam id ſæpenumero vel ſemel illitum ante balnei ingreſſum, repente affectionem curauit, vt poſt balneum ægri in ſanitatẽ ſint reſtituti. Iuuat præterea eos, oleum quoq; calidum in aurem inſtillatum, ſi in olei libram euphorbÿ exiguũ inÿciatur. Cæterùm vbi ſuſpicio fuerit, hemicraniam à calidis vaporibus aut humoribus ortã eſſe, non eſt hoc medicamentum accerſendum.

Dø

De aurium affectibus, & parotidibus.

CAPVT III.

PORRÒ cùm variis de cauſsis dolor aures exercere ſoleat, ſi eum ex refrigeratione natum ſuſpicamur, cæpe exculptum oleo implentes, idq; in calido cinere feruere ſinẽtes, hoc vtemur: aut piper tritum inijciemus, aut aliquid ex reliquis calefacientibus, quale eſt oleũ amaracinum, & rutaceum. Quòd ſi inflammatio quæpiam obſidet, optimum eſt medicamentum, vnguentum nardinum infuſum, cum exiguo eius quod nominatur βασιλικὸν, hoc eſt regium, quodq; τέρεβινθέμινον quoq; nuncupatur: quemadmodum & id quod ex adipibus componitur, de quo paulo poſt loquemur. Quòd ſi dolor vim fecerit, neceſſe eſt vti ijs quæ ſenſum ſtupefaciunt: quare opium lacti muliebri, & oui albumini permiſcetur, quæ ipſa per ſe ſæpenumero plegmonis profuere: porrò opium quoque caſtorio commiſcetur, at multo ante vſum tempore permiſtum ſiue pari pondere, ſiue duplo caſtorio, præparatum eſſe conuenit. Liquor verò ſit ſapa ex muſto. ea enim multò magis dolorem ſedat, quàm vina dulcia. Cæterum hæc tria, cùm vſus exigit, probè denuò ſapa diſſoluantur, ad eam vſque conſiſtentiam, vt per auricularium clyſterem, quem ὠτέγχυτον Græci appellant, in lucerna

tepefactum, infundi queat: sit autem adeò tepi
dum vt ne suo calore offendat, perpetuò caues,
non modò ne meatus tãgatur, eumq; molestet,
verùm etiam ne reliqua auris. Si flatulentum
aliquem spiritum, crassum'ue aut viscidum
humorem, qui exitũ non reperiat, includi con-
ieceris, quippiam ex medicamentis quæ infar-
ctu liberant, admisceto, cuiusmodi est nitrũ, &
oleum amygdalinum: eius generis est, & stru
thium, & amygdalæ amaræ, & vtrũq; vera-
trum, & aristolochiæ, necnon & iris, ac cinna
momum, carpesiumq;. Aurium autem meatus
obstructione expediunt etiam ea quæ in reni-
bus calculos confringunt, & quicquid citra
morsum, ne dolor exacerbetur, tenuium est par
tium: inter quæ recensetur & radix cucumeris
syluestris, & bryoniæ, & ari, & dracũculi, &
centaurij, & in summa amarorum omnium.
siquidem citra rosionẽ molestiamq; hæc mea-
tus expurgant, eaq; quæ obstruunt disiciunt,
& incidunt. Porrò mediocres phlegmonæ, &
quæ non pulsant, etiam per acetum, quod cum
rosaceo exquisitè fuerit permixtum iuuantur:
quemadmodum & per glaucium, quod in co-
te medica cum aceto fuerit tritum. Quinetiam
collyria quæ glaucio & croco constant, cum
aceto attrita instillataq; prosunt. Auricularis
ad omnem dolorem, omneq; vlcus, quo in fe-
briente

briente quopiam, ac ob dolorem delirante vſus ſum, & diuinum quippiam accidit: Myrrhæ drachma, thuris drachm. tres, alij ſeptẽ, aphroniti drachm. tres, croci drachm. quatuor, alij vna, papaueris ſucci drach. tres, galbani tantundem, amygdalæ amaræ delibratæ numero viginti: excipe aceto diſſolutũ. Heras hoc vnũ medicamentum ad omnem aurium dolorẽ vlcuſq; ſcripſiſſe fuit contentus: verùm ego dolores aurium, tum ſitu qui fit per id quod ex adipibus conſtat, vt dictum eſt, tum vnguento nardino vnà cum tetrapharmaco leniri aſſero, vnaq; & affectiones ipſarũ iuuari, velut etiã oui candido cum lacte muliebri, mitigari verò ſolùm, ſed affectiones haudquaquam iuuari, per papaueris ſuccum, niſi quis per accidẽs affectionibus opitulari dixerit. ſedato ſiquidem dolore, & ſomno accedente, natura affectiones quæ dolorem committebant, concoquit. Equidem aurium vlcera, perpetuò glaucio ex aceto curaui, quemadmodum ea quæ cum fluxione infeſtabant, aut pus alebant, paſtillis, à mitioribus orſus, cuiuſmodi eſt Polyidæ, & poſt eum Andronius, et ab hoc qui vocatur Bithynus. Verùm non ſemper omnium vſus eſt neceſſarius, ſed vnus omnino ſufficit, ſi quis eo vti noluerit, aliquando ſapa diluens, cùm mitius reddere velit medicamentũ, & rurſus vino dulci,

deinde aceto non acri, posthæc acri, postremò acerrimo. Quare cùm per eiusmodi missuram aliàs aliter factam medicamenti vim exolueres ac remittere potes, validissimũ præparatum tantum habere poteris. Ad siccas & humiditatum expertes vlcerationes, est etiam pessus præclara, hyssopi, medullæ ceruinæ, adipis anserini, ceræ Tyrrhenicæ, singulorum drachmæ tres, terebinthinæ drachma, olei ricinini, amygdalini, & cyprini, singulorum cyathi duo, olei picini cyathus: compone & vtere, oleo nardino diluens, vt mellis sit crassitudo. Aliud, ad purulentas vetustasq; affectiones: croci drach. tres, myrrhæ drachma, nuces amaræ repurgatæ numero triginta, spumæ nitri, nardi Syriaci, aluminis scissilis, singulorum drachma oboli tres: aceto acerrimo excipe, & ex aceto dilue. Ad sanguinis ex auribus profluuium: marrubij succum expressum, & aceto commixtum infunde, aut mali punicæ in aceto coctæ succum, vel sanguinalis herbæ succum, aut acaciam, aut lycium cum aceto. Porrò in quibus vermes sunt, veratrum album immitte, aut aridum insuffla, aut succum rubi infunde. Cæterùm sonitus, qui ob stomachi refrigerationem calorémve, aut eiusmodi aliquem humorẽ exhalantem, adhæc ob vini potum, aut febrem, aut ventris obstructionem gignuntur, causis huiusm

huiusmodi ſublatis, ſedantur. Quid ſi humor quiſpiam inpactus fuerit, qui ſpiritus generet, prætermittenda nõ ſunt medicamenta. Quemadmodum cùm homo exquiſitum auditum obtinet, & ob ſenſus acrimoniam minima quæq; ſentit, admiſcenda ſunt medicamenta quæ ſenſum ſtupefaciunt, cuiuſmodi eſt ſuccus mandragoræ, & lacryma papaueris. In eo verò ſonitu, qui derepente oboritur, acetum cum roſaceo infunde, aut cuminum oleumq; ad mellis ſpiſſitudinem redactum, aut radicis cucumeris agreſtis ſuccum, aut ipſam radicem oleo incoque. Quòd ſi pluſculum temporis perſeuerauerit, omnibus amaris & acribus & attenuantibus, ac diſcutientibus, ijsq; quæ ad dolorem ex craſſis humoribus enatũ deſcripta ſunt, vtaris: ſingulis in aceto coctis, et admixto melle. Aut reclinato ægro, & nitro crudo trito in aurem inſperſo, acre acetum tepidum infunde: aut alliũ, cæpe, adipem anſerinũ æquali põdere trita, & percolata infunde. Porrò ſurdaſtri, tum hiera, tum catapotijs ex colocynthide purgandi ſunt: quinetiam pituita per ea quæ ipſam mandendo proliciunt, eſt detrahenda, caputq; ſiccandum, ac omni via ei robur eſt addendum, vtendum etiam victus ratione attenuante. In aurem verò injcienda ſunt medicamenta, quæ viſcidos craſſosq; humores

diſſer

diſſecent, incidant, ac attenuent. Ad auditus grauitatem repentinam, atq; è capitis dolore enatam, abſynthium aquæ incoquito, & foueto, nempe arundine halitum excipiens, aut baccis lauri, aut foliis, aut origano, vel hyſſopo, aut aqua marina & aceto, eodē modo vtitor, vel adipem anſerinū, felq; bouis, & laurinum æquis portionibus mixta inſtilla. Aut hederæ agreſtis baccarum ſuccum guttatim immitte, vel veratrum nigrum cum aceto tritum melli diutius incoque, & fac collyria quæ glandis formam exprimant, ac impone: & ad quinque dies ſine, aut ſerpentis ſenium tritum cum aceto inſtilla: idem & cum felle bubulo aut caprillo, vel teſtudinis marinæ, et naſturtij modo ſufficienti valet, & fac collyria quæ auditus meatui congruant, & impone, ac poſt triduum exime: hoc ſordes educit, & extemplo malum leuius reddit. In iſdem quoque vtendum eſt ſotu ex olla: oportet vt altera arundinis extremitas in auris cauitate adaptetur, et altera in olla, quæ operculum habeat perforatū & vndiquaq; probè obturatū, in qua ſit abſynthium in aqua feruens, vt ſublatus halitus in meatum auditorium illabatur. Quinetiam tauri maximè lotiū, vel ſi id deſit, bouis validius in ollā anguſti oris infundito, & aceti tertiam ad lotium partem tritam, ac myrtum conciſam,

deinde

deinde testam igni candentem in ollam conjicito, ac reclinatũ hominem, apposita ad ollam aure, foueto. Circum aurem verò fasciculum è lana facere oportet, ne circunsita loca aduranturatq; hoc pacto eiusmodi fomenta cõferent, verùm in dolentibus haudquam conueniunt. Eodem modo in auditus difficultate, raphani succum cũ rosaceo aut cyprino tepefactum instilla, aut galbanum cum aceto & melle madefactum, aut collyrijs ex ficubus, nitro, & sinapi immissis, per triduum non extrahimus. Post id verò acutis vocibus assiduis, & vicissim grauibus acclamamus, & demum per tubam sono immisso liberamus. Posthac hastulæ regiæ radicem oleo veteri incoctam, vtiliter infundimus, assidueq; lotio caprino eluimus. Cæterùm ad surditatẽ ex capitis dolore, radiculæ succum cum rosaceo infunde, aut foliorum cucumeris sylvestris succum, aut castorium cum lauri baccis ac aceto. Quòd si aqua in aurem inciderit, auxiliatur, si vno pede eius lateris, cuius auris affecta fuerit, sese inclinans assiliat: nam facilè inde ita excernitur. Et exustio per os exile aut etiam per arundinẽ summe attrahit: debine per lanã ex prædictis vnguentis quippiam instilla: si verò calculus, aut faba, aut aliud quippiam in oris meatum inciderit, elue, aut circum auricularium specillum lana

lana obuoluta, reſinaq; intincta, aut per eorum quæ glutino cõficiuntur, aliquod medicamentum protrahe. Quod ſi neq; ſic ſequatur, in nares ſternutatorio indito, os ac nares obturato: ſiquidem per ſpiritus concluſi contentionem, id quod incidit, eliditur: idq; perpetuò donec elabatur facito: ſi enim intus manſerit, aurem phlegmone prehendit, & cõuulſiones infert. Optimè etiam facit ad eorum quæ ciderunt, exploſionẽ, concuſſio. Proinde, ſi puer fuerit, pede apprehenſum, & in caput ſublatum, concutiẽs vibrabis: ſin æger fuerit adulta ætate, ipſum ſuper tabulã in id latus verſus, cuius auris eo modo laborat, caput ad tabulã firmare præcipito: deinde ſublata tabulæ, cui caput innititur parte deferri ſinito: atq; id ſæpius repetito: mouebitur enim id quod incidit, & ad tractabiliores meatus partes prolabetur: poſtea anguſta & concaua ſpecilli parte demiſſa ſcitè extrahito. Si verò fãba aut cõſimile quippiam quod inciderit, intus manſerit, ac madefactum intumeſcensq; dolores inferet, fieri non poterit vt integrum eximatur. Quare ſpecilli cyathiſco, id dextrè diuidendũ eſt, atq; ita paulatim educendũ: deinde ſapam vel vinũ dulce calidum infundere oportet, ac meatum ex lancinatione offenſum, lenire. Quòd ſi animal aliquod illapſum ſit, ſcãmonium aceto diſſolutum

aut

aut abſynthij ſuccũ, aut peucedani pluſculum & nitrum ſulphur've cum radiculæ ſucco inũce. Eodem modo ad pulices, & vermes & reliquos quibus aures corripiuntur affectus, acetum & oleum inſtilla, vel capparis ſuccũ, aut veratrum album tritũ inſperge, vel ariſtolochiam tritã, aut nepetæ ſuccum, vel cinnabaris viridis aliquid inſtilla. Porrò in auribus contuſis, myrrham, mãnam, tĩus, terrã qua aliqui ſeceu ſmegmate confricant, cũ aceto acri probè vnita ad cerati craſsitudinem imponito, ac nequaquam irritato. Itidem quibus aures ſunt contuſæ, internam expeditiorẽ ac tractabiliorem cõcauitatem cartilagineam terra figulina expleto, & ſequenti die, vbi exaruerit, ſolanũ cum abſynthio donec in integrum reſtituãtur, inungito. Inflãmata autem in aurium puerorum puellarúm ve fibris foramina, oleo in ænea lucerna quæ eruginẽ contraxit, illinens perſanabis: aut aloës partem vnã admixtam impone: ſunt etiam qui mannam cõmiſcent, aut butyrum, & lac muliebre, adipémve anſerinum inſtilla. Ad exulceratas verò ex ictu diffractaſq; aures, panis calidi medullam tritã cum melle impone: aut myrrham tritam cum vino vetere illine: aut cochleas cum teſtis & myrrham cõmiſce, & dimidiã partem impone: aut pice circunlitis ſulphur ignem non expertum

aut

aut mannam trita insperge. Verũ hæc ne obliuiscaris, néve frequenter epithemata auferto. Secundum aurẽ abscessus, quos παρωτίδας Græci nominant, inter genera inflãmationum recensentur: generantur autem cũ glandulæ circa aures inflammantur, non tamen curatione inflãmationibus dicata, vt plurimũ in ijs vtimur, quando non fuerit malignũ aut multum quod influxit, neq; corpus totum plenitudine grauatur. ita nanq; vel sola spongia ex posca imposita, incipientes p hlegmonas repressit, nec quicquam inde corpus perpessum est. Verum in parotidibus contrà facimus, quippe qui attrahentibus medicamentis vtimur: quæ si nihil memorabile præstiterint, cucurbitulam quoq; affigimus, aut frequẽter locum fouemus: cupimus enim noxium humorem ex alto ad cutem prolicere. Verùm cum vehementi impetu fluxus irruit, nihil nos præterea curiosius agimus, sed totum negocium naturæ committimus. Quare tunc humorum propensionem haudquaquã adiuuare decet, sed mitigare potius, ac medicamentis, quæ maxima leniendi vi prædita sunt vti: cuiusmodi est, quod ex frumenti, aut hordei, vel seminis lini farina, cum mulsa: aut fœnigræci, vel althææ, aut chamæmelorum decocto, coquitur: & quæcunq; præterquam quod moderatè humectã caliditatem

obtin

obtineant, ob quam dolores mulcere queunt, hoc etiam habent, vt humores influentes concoquere, & ad suppurationem perducere possint: quale est, farina frumenti cum caricarum decocto & oleo, & quod ex polline fermẽtoq; constat. Vbi verò suppuratæ fuerint parotides, tunc aut per sectionem pus elicere oportet, vlcusq; persanare, velut hac in re omnibus est confessum, aut acri medicamento perrumpere, cuiusmodi est smelinum, et quod ex allijs compoaitur: vel demũ enitendum est, vt ipsum medicamẽtis tenuium partium, quæq; tractoriam simul facultatem obtinent, discutiamus, & si durities quæpiam, simul atque maior puris portio fuerit dissipata, reliqua fuerit, eam emollire oportet. Porrò Archigenes hæc ad parotidas tradit: parotidas dissoluere volentes, plántaginem cum sale tritam assiduè cataplasmatis modo imponimus, aut caprillum stercus cum aceto, aut rumicis sylvestris radices coctas in vino, aut ficus tritas coctas cũ atramento sutorio, aut ficus coctas cum absynthio & vino tritas, aut buccinas marinas purpuras ve vstas melle excipe, & impone, & ilico discutientur: idem præstat & ostreæ testa cremata, & cum melle imposita, aut ceratum rosaceum, cyprinum ve, ruta exceptũ, aut sulphur ve viuo emollitũ, vel cimolia cum aceto. Discu-

tit quoq; maximè in aqua marina aut muria cocta, & trita imposita. Idipsum efficit et marrubium cum sale, ac lana butyro imbuta, & incipientibus parotidibus impositæ prodest, aut lupinorum amarorum farinam cum melle coctam, modica calce viua addita, pro cataplasmate imponito.

De nasi vitiis. CAP. IIII.

EX genere tumorũ præter naturam polypi in naribus gignuntur, ex vlcerum verò censu, oZenæ, atq; ex numero excretionũ præter naturam habendæ sunt, sanguinis eruptiones. Itaq; de ozænis primũ verba faciam, quæ ex humorũ acrium putriumq; influxu generantur, ita vt si acres solùm sint, ægre curabilia vlcera producere soleant, nõ tamen graviter olentia. Curatio communis est his & polypo: nam primum exiccare, caputq; roborare oportet: liquet enim quod ob prauorũ humorum redundantiam, defluxus inde proueniat. Cùm igitur caput validũ reddideris, ad naris curationem in oZænis accede, hocvsũ spectans, vt per medicamenta reprimentia discutientiaq; partem affectam exicces: quorũ alia austera sunt & acerba, alia facultate calida & sicca. Proinde cùm ozæna in naribus resident, nepetæ succũ infunde, aut ipsam nepetã siccam insuffla, aut veratrum album cum nasturtij se-

minis

mie quotidie inſpira, aut pſoricum cum melle, vel mel inſtilla, & ſternutatorio facta concuſſione, cruſtas vlceri obductas excutito: aut myrrham & naſturtium cũ melle. Acre item acetum in vaſculum anguſti oris conijce, & ad multũ ſatis tẽpus reſpirationi appone, deinde miſy Cyprij, & nardi Indicæ dimidium cum vino Chio tritum ad melleam craſſitudinem redige, ex eoq; meatus pẽna illine, & lana obſtrue. Vlcera verò in naſo, ex malorũ punicorum ſucco in æneo vaſe quouſq; dimidium ſuperſit, cocto perline. Aliud Lamponis: facit ad ozenas, & ægilopas, & polypos, & quæcunq; citra ſectionẽ vſtionemq; velis ſubmouere. oſſa quoq; corrupta abſcedere facit: valet et ad ſerpentia vlcera, ac putrida inſperſum, & ad ſordida vlcera, linamẽto exceptum cũ melle: ſcobis æris rubri vnciam, ſalis ammoniaci, ammoniaci ſuffimenti, ſingulorũ ſextantem, aluminis quadrantẽ, aceti heminas ſex, arida terito affuſo aceto, excipitoq; in vaſe æris rubri, atq; in ſole, radio æris donec medicamentũ exiccatum fuerit, agitato. Deinde in mortarium tranſlatum, diligẽter terito, et in fictili adſeruato, Vſu verò expetente, aquam ſorbendam, oreq; continendam dato, & medicamentum per fiſtulam inſufflato. Aliud, habet adipis anſerinæ drach. quatuor, hyſſopi drachmã vnam ſemis,

medullæ ceruinæ drachm. duas, ceræ Tyrrhenicæ drachm. octo, plumbi vsti & loti drachm. octo, ladani, adipis vitulini, cerussæ, singulorum drachmas duas, terebinthinæ drachmas quatuor, argenti spumæ drachmam, rosacei quod satis est. Rosaceo dissolue & subline. Cæterùm ea quæ in nares illabuntur, auriscalpro, aut volsella exime, aut sternutamentum ciens medicamentum exhibe, ore apprehenso, & nare altera (nisi in vtraq; fuerit affectus) compressa. Verùm quibus ego, inquit Galenus, vsus sum, in polypis narium & ozænis probatissima reperi subscripta. Ac primum, medicamentum quod ex malis punicis componitur. Sumantur autem ex tribus eorum differentijs æquali numero. aliqua enim ex ipsis austera sunt, alia dulcia, quædam acida. Ea itaq; recentia ac matura contundenda sunt, atque integra accuratè confringenda, quo succus ex ijs exprimi queat, quē in vase stanneo reconditum obseruare oportet, modicè coctū, si quidem liquidior quàm par est videatur. Quod verò ex ipsis reliquum est solidum & crassum, denuò diligenter contundi oportet, quo post contusionem, in pila rursus atteri possit, ac in collyria, quæ nari ægroti accommodata sint effor mari. Inducatur enim in naris meatū, quam polypus obsidet, quo citra morsum ac consensum,

quatem

qualem acria medicamenta excitant, longiori mora ipſum repurgent. Quòd ſi humidior, molliorq; tibi polypus apparebit pluſculum ex auſteris punicis conjicies: ſi durior, ex acidis. Verùm quia perpetuò tolerare collyrium, moleſtum eſt, eius vſum intermittere conuenit, atq; eo tempore quo non imponitur, expreſſum ſuccum aſſumere. Quinetiam ægrum vehementer hiantem, ea parte qua naſus ad palatum perforatus eſt, liquido expreſſo medicamento illinere oportet, idq; vel penna, vel lana ſpecillo quod oliuæ nucleum referat, obuoluta. Cæterum ex aridis medicamentis, diphryge citra mordacitatem, interdum temporis longinquitate abſumptum polypum eſſe noui: probè quoq; facit prædictum collyrium, quod ex malis punicis conſtat, ſi vbi exaruerit, ritè contundatur, & tritum inſuffletur. Omnia autem hæc nullo intermiſſo tẽpore ſunt obeunda, vt nunquã ab affecta parte medicamentum abſit facile nanq; præ humiditate eluitur. Quemadmodum igitur in lippientibus, ita & in his, ſi fieri poteſt, nunquam non medicamentũ oportet imponere: abluitur enim facilè, vt dixi, ab influente humiditate. Porrò cùm quidam eunuchus nullum medicamentum adhibitum ferret, ſed ab omnibus irritaretur, roſis aridis contuſis, ac accuratè contritis, & inditis, citra

Actuarii Joannis filii Zachariae operum - page 533 sur 731

©BIUM

morſum ſimul & mirum in modum hominem ab ijs adiutum eſſe cognoui. Quare rurſus in mollibus humidisq; corporibus, et quibus ægrè vlcera perſanantur, eo vſus ſum: nam ex duobus alterum contigit, vt aut nihil læderet, aut omnino ſine moleſtia ageret: ſiquidem plurima ex efficacibus quæ polypos detrahunt, ſi quando ſcopum nõ attingunt, eos exacerbare ſolent. Verùm vlcera in narium meatibus ſemper paſtillis curaui, nempe Andronio, & Paſionis, & Polyidæ, Bithynoq;, & quem ego cõpoſui: terens eos interdum vino dulci, aliàs auſtero, & quandoq; mediocris ætatis, & nõnunquam vetuſto, & aliquando aceto, quod eaſdem quas vinum haberet differentias. In diuite verò quopiam, qui odoratum medicamentum ſibi adhiberi poſtulabat, in oZænæ curatione, hedychroi quod appellatur, vſum excogitaui, diſſoluens ipſum veteri vino Falerno, & mirum quàm celeriter curatus eſt. Ad ſanguinis è naribus eruptiones, linamentum longum lycio imbutum indito, deinde exterius digitis naſum comprimito, aut chalcitidem mediocriter læuigatam & aqua intinctam eodem pacto per linamentum imponito: aut thus cum ſanguinalis herbæ ſucco, aut ſpongiam aridam inſere, aut madefactã aceto, preme autẽ ſpecillo, donec propellatur: verũ ſatius eſt principiũ

filo

©BIUM

filo alligari, vt facilius educi possit, extrahe verò, simul atq; opus suum peregisse credideris. Si verò inaresciit spongia, atq; intus agglutinatur, per auricularem clysterem frigidam aquam immitte. Accommodatum quoque est, frontem spongijs posca imbutis refrigerare, & artus laqueis excipere, adhæc potui dare ea quæ ad sanguinis reiectiones conferunt, & aures linteis obturare aut cera, ac ore quoq; frigidam continere. Quòd si cruoris aliquid deglutitum esse videbitur, etiam idipsum vbi multa eius sit copia, per euacuans aliquod medicamẽtum educito: in grumos enim coactũ in ventre ac intestinis incendium excitat. Eodem modo platani pilulas exiccatas attere super pannum asperum: & semen quidẽ abijce, tomenta verò collecta asserua, & lanuginosa in arundinem indita insuffia. Gypso verò aut cœno figulino, narem frontemq; obline Ἰσχαιμον, hoc est sanguinem sistens, magna: Misyos, atramenti sutorij, singulorũ drachmas septem, corticis pini, squamæ æris, mannæ thuris, singulorum drachmas quatuor, æris vsti, chalcitidis, singulorũ drachmas quindecim, caleis viuæ drachmas octo, gypsi torrefacti drachmas quinq;: Tritis ad omnem sanguinis eruptionem vtere.

De affectionibus oculorum.

CAP. V.

Actuarii Joannis filii Zachariae operum - page 535 sur 731

DE affectibus qui oculis contingunt, quinam sint, & quibus de caussis oboriantur, quomodoq; sint dignoscendi dictum fuit antea, nunc de ipsorum curatione, quibusq; medicamentis vti oportet, tradetur, iis scilicet, quæ antiquioribus ac recentioribus, tum Græcis, tum Barbaris celeberrimis, hodie maximè approbantur, nobisq; vtilissima videntur. Proinde hinc arrepto sermone, de singulis medicamentis, quemadmodum in cæteris fecimus, agemus: distinctionesq; quaspiam præstantissimorum olim medicorum, tum antiquiorum, tum recentium, tam Græcorum quàm Barbarorum commentationi apponemus. Itaq; cùm etiamnum phlegmone, aut dolor quispiam oculos affligit, collyrys ex thure, & mesallicis lotis, succisq; minimè mordacibus vtimur. Verùm cùm ex eorum vsu sordida fiant vlcera, aliquid ex extergentibus iis est commiscendum quale est paccianum ex vino croceum, quo vtimur, modicum eius prædictis medicamentis admiscentes: accipit id plurimum croci, atq; inde croceum nominatur. Ei præterea etiam metallica extergentia admixta sunt quo fit vt asperitates non modò exiguas, verùm etiam magnas (quas ficus vocant, & Græci σῦκα,) detrahendi vim obtineat. Quinetiam vngues attenuat. Vlcera verò quæ ob erosionem corneæ enascuntur, vt

vuca

©BIUM

nueæ quædam portiuncula procidat, tum ſua de cauſſa, tum ob id quod procidit, repellentibus aſtringentibuſq; opus habere, neminem latet. Verum ex eorum numero ea ſeligenda ſunt, quæ nullam efficiunt aſperitatem. His verò contrarijs, nempe diſcutientibus, tum puſtulæ, tum pus quod nonnunquam intra corneã generatur, opus habẽt. Itaq; recentia ac etiamnum inflammata, ijs quæ ex myrrha, thure & croco conſtant, compeſcuntur: quæ vetuſtiora ſunt, etiam ex diſcutientibus quippiam poſtulant, veluti tunicarum quoq; inflammationes, quæ in ſcirrhum abierunt: ſiquidem in his medicamenta quæ ex acribus ſuccis conficiuntur, commendantur: quæq; in collyriorum formam efformantur, & à medicis peculiari nomine facultates liquidæ ἐγχριστὰ ad illinendum ſilicet aptæ vocantur, cuiuſmodi inchoantibus etiam ſuffuſionibus parare ſolent. Verùm in vuguibus & ficubus ea quæ extergendi magis vi prædita ſunt, adhibentur, quorum alia in collyriorum formam rediguntur, alia ſicca citra conformationem imponuntur, quibus nonnulli etiam ex aſtringentibus quippiam admiſcuerũt. His proxima ſunt, quæ ſcabroſis palbebrarum affectionibus medentur, atq; idcirco etiã ψωρικὰ appellantur. Omnium autem validiſſima ſunt, quæ vetuſtos callos eliquant, & nun-

©BIUM

cupatas alulas vel vngues, (πτερύγια Græci nominant) curant, & ex detergẽtibus aſtringentibuſq; medicamentis conficiuntur. Itaq; minimè omnium mordax in oculorum affectibus, eſt fœnugræci decoctum, lac, & vui liquor candidus. In quorum genere habendum eſt gummi, & tragacantha. Poſthæc ſuccedunt quæ exiguum morſum obtinent, eo quòd ipſis quædam ex ijs quæ nonnihil aſtringunt aut extergẽt admiſcentur: cuiuſmodi ſunt roſæ & thus: quòd exiguam aſtrictionem roſæ, & modicam extergendi vim thus obtineat: verùm cum thus facultate calidum ſit, habet ob id aliquam coquendi poteſtatem, & dolorem ſedat. In eodem cenſu quod quidem ad concoquendum, & modice diſcutiendum ſpectat, connumerantur crocus & myrrha: quæ hoc inter ſe diſſident, quòd ille moderatè aſtringat, hæc verò citra aſtrictionem non inſtrenuè diſcutiat, humiditatesq; exiccet: ſuntq; generoſiora facultatibus quàm thus, quapropter etiam diſcutiunt magis, verùm quòd detergendi vi careant, in vlcerum curatione thuri ceu inferiora cedunt. Ex hoc medicamentorum genere, quod concoquat inquam & diſcutiat, eſt & lycium Indicum, non hoc quod in noſtris prouincijs oritur, & caſtorium. Ad quæ facultate propè accedit ea quæ nuncupatur ſarcocolla, quod

quod coquens discutiensq; est medicamentum: quibus facultatibus eam galbanum antecellit. Enulæ campanæ decoctum præter concoquentem facultatem habet etiam astringens quippiam, quod croco ferè affine congenerq; est. Et lapis hæmatites appellatus, qui exiccandi vi præditus est, nõ secus quàm cadmia. Cæterùm hac mitius medicamentum est lapis, vtpote qui ex humida substantia, & non terrestri ceu cadmia, suum ortum ducit: siquidem talem eius essenaturam indicat dissolutio in cote medica: quòd in attritu cum quopiam liquore in succum resoluatur, quinetiam separatim absq; liquore tritus, non vt cadmia in fiustula dissilit, sed in corpus quoddam similare ac continuum. Consimilis ei substantiæ est lapis quoq;, qui σχιστὸς quasi sciſſilis dicas, nominatur, nisi quod facultate validior sit. Stibium verò quod nuncupatur, si non est lotum, validam præ se fert astringentem vim: verùm vbi eluitur, retunditur adeo vt ferè sit morsus expers. Valentioris eo extergentis facultatis est æs vstum, eiusq; squama & flos. Non minus est efficax, licet non æquè mordeat, chalcitis vsta. Quòd si eiusmodi lauentur, adhuc extergentem potestatem retinent, verùm eo sunt in actionibus imbecilliora, quo fiunt minus mordacia. Huius generis est & misy, & ærugo, validissima

medica

©BIUM

medicamẽta, ſi ijs quæ ad ficoſas colloſasq; palpebras adaptantur, permiſceas: quidam ijs etiam gallas, validè aſtringens medicamẽtum adiecerunt: quemadmodum nonnulli id quoq; omnium horum eſt vehementiſsimum, quod ad aſtrictionem ſimul & acrimoniam pertinet, quod χάλκανθον Græci, nobis atramentum ſutorium nominatur. Liquet autem quòd multo euadat moderatius, ſi vratur lauetúrq;. Ex huiuſmodi materia eſt & squama quoq; τομώτατος, ita dicta, quòd ex acie aut mucronibus decutitur. Cortex adhæc thuris, & ipſe non ignauiter aſtringit, verùm ſuperioribus omnibus longè eſt inferior. Quinetiam miſy appellatum, tum ad eaſdem affectiones, tum ad ſcabioſas palpebras quidam collyrijs admiſcuerunt. Porrò mannam priuatim appellant, quod ex confracto in magnis oneribus thure ſuccutitur: in ea ſiquidem fruntur exigua confracta fruſtula corticis thuris: diſtat id medicamentum à thure eo quòd exiguam quampiam aſtrictionem nactum ſit. Proinde ex ſufficienter aſtringentibus quæ terreſtri conſtant conſiſtentia, ea aſperitudines, & ficus, calloſq; liquant. Quæ verò in ordine ſuccorum recenſentur, ceu omphacium, & hypocyſtis, facilè, vt pote cum lacrymis effluentia, in inunctionibus eluuntur: huius claſſis eſt glaucium, &

acacia.

acacia. Porrò citra morſum exterget cerui cornu vſtum, velut & caprarum. Dictum autem fuit thus quoq; ex eorũ numero eſſe, niſi quòd hoc, ceu docuimus, omnino exiguæ detergentis facultatis eſt particeps, doloremq; ſedat, & concoquentem vim obtinet. At prædictorum animalium cornua, ſunt quidem extergentia, verùm nihil habent quod dolorem mitiget, aut concoquat, quippe quæ frigida ſiccaq; ſunt temperamento. Obtinet autem extergẽs quippiam id quod nuncupatur Armenium, velut id quoque quod Indicum nigrum vocitatur, quare etiam phlegmones expertibus vlceribus citra moleſtiam inditur. Cæterùm mixta quodammodo facultate conſtat aloë, quemadmodum & roſa: habet enim quippiam amarum, quòd extergere aptum eſt, ac præterea aſtringens quoddam, quo contrahere, ac ad cicatricem perducere vlcera poteſt. Porrò ex medicamentis quæ ad ſcabras affectiones aptantur ſunt ſales ammoniaci, & lapis Aſſius, tum ipſe, tum eius flos, adhæc pſoricum quod vocatur, quod neq; ſimplex quippiam eſt, neq; ſua ſponte enaſcitur, ſed habet quandam præparãdi rationem: admiſcetur his & miſy vſtum, & ſandaracha, & quod dicitur Græcis ἀρρενικὸν, noſtris auripigmentum. Ex medicamentis tam aromaticis, caſſiam & malabathri folium,

folium, amomumq; & cinnamomum quidam facultatibus ocularibus commiſcuerunt, quorum cinnamomum facultatem habet diſcutientem, reliqua verò etiam aſtrictionem participant. At verò id in vniuerſum de omnibus extergentibus medicamentis non ignoraſſe licet, tum mediocria, tum quæ ficus calloſq; abſumunt, ea omnia craſſis quoque cicatricibus competere. earum enim craſſitiem extenuant, & de ſuperficiei ſubſtantia demoliuntur. Cæterùm facultates, quæ ad induratas oculorum tunicas conueniunt, velut antea quoq; dictum fuit, ex ſuccis & ammoniaco thymiamate concinnantur: quibus etiam ex moderatioribus, quæ facultate non aduerſantur, aliquid commiſcetur, myrrha videlicet, thus, ac galbanum, & cætera id genus. Ad ſuffuſos verò facultates quoq; medici compoſuerunt, ex quibus inter liquida medicamenta primum ferè locum obtinet ea quæ ex fœniculi ſucco, & felle hiænæ, ac melle Attico conditur: alij caprinum fel capiunt. Poſthæc, alius aliud fel admiſcuit: hic enim galli, alius viperæ, ille teſtudinis marinæ, quidam callionymi piſcis. Hac tempeſtate celebre eſt, quod ex felle ſcarorum paratur medicamentum, quemadmodum & id quod ex myrrha ſtacte conſtat. Ex præſcripta materia medicis arida quoq; medicamenta conficiuntur, quæ

©BIUM

quæ ab ipsis priuatim ξηροναλώμια, hoc est arida collyria nuncupantur: quorum quædam liquant absumuntq; callos & ficus, excrescentes item in nasi angulo caruncula, κυνάβιδας appellatas, ac vngues: alia scabris palpebris idonea sunt, earumq; pilorum defluuijs, μιλφοσις nominant, opitulantur: quæ aliam ab acribus collyrijs retinent facultatem, quare à quibusdam medicis, ἀποδακρυτικὰ & ἀποκρουστικὰ, hoc est Lacrymas repellentia, & reprimentia: non secus quàm ipsa collyria appellantur. Ex his plurima hebetibus oculis ob senium, aut humorum oculorum crassitiem refrigerationemve, vel spiritus caligmosi copiam, non parum opis adferunt. Nonnulli adhæc ex siccis medicamentis, quippe quæ humorum defluxus coërcent, vnde oculi male affici solent, affectum aliquem consistere non permittunt. Inter ea præstantissimum experientia probatum videtur quod ego composui, atque idcirco apud multos, & propemodum apud omnes gentes, quibus Romani imperant, in vsu est, quod oculis bene valentibus prospicit. Lapis Phrygius in minutas partes confractus: vt maxima non excedat nucem Ponticam, vritur. Vrendi autẽ modus est, quem in alijs quoq; seruamus. Lapidem in ollulam nouã conijcimus, deinde luto foris obturamus, operculo impositoquoq;

quod vel in vertice ſolo fuerit perforatum, vel quod etiam ſatius eſt, alijs pluribus partibus, quo promptius per eas fuliginoſæ fumidæq; eorum quæ vruntur exhalationes efferantur. Simul atq; verò lapis fuerit candens, tunc ollula euacuata in nitidum quoddam vaſculum, butyrum minimè vetuſtum affundere oportet, & partes vſti lapidis tandiu agitare, donec omnes extinguantur. Poſthæc eas denuò in ollulam conjectas, ardentibus prunis, quo nihil fumidi ſentiant, ſuperimponere, & flabello, vt citius vſtio perficiatur, ventilare. Deinde vbi lapides fuerint igniti, nullaq; amplius fuligo exhalauerit, eos exemptos rurſus vino Falerno, alióve fuluo & odorato extinguere. Adhæc, denuò in ollulam immiſſos, tertiò carbonibus ardentibus vt nullum fumum habeant, vrere: ac poſtquam lapis candet, iterum Attico melle non multo reſtinguere: euadet enim medicamentum non ſiccum, ſed quod lentoris quippiã habebit. Verùm ſint ad manus antea trita hæc ſubſcripta, æris vſti vncia, piperis albi tantundem, foliorum malabathri æquale põdus, ſtibij drach. duodecim, his admiſce lapidis vſti libram. Atq; vbi omnia probè fuerint in lenorem redacta, & medicamẽtum volueris excipere, adjice opobalſami Syriaci ſeſquunciam: ſit autem tenue & pellucidum, quod ad conſiſtentiam

ſtentiam ſpectat, non craſſum, quale eſt quod ſubſidet: nam quod ita craſſum eſt impedimento erit, quo minus medicamentum ſit aridum. Vſus autem illius eſt in palpebris tantùm, inducendo ſpecillum citra tunicarum oculi contactum. Oportet adhæc eum qui inungitur, palpebras tenere apertas, atq; vbi illitum fuerit, non cõniuere, nictaréue. Hoc ego medicamentum cõcinnaui, quod eũ qui rite vtitur, haudquaquã lippitudine corripi ſinit. Deinceps autem ſcribã, quæ ad varias affectiones accõmodantur. Pſoricũ aridum ad maiores oculi angulos eroſos, Spodij Ciprij drach. quatuor, omphacij aridi drachmas duas, nardi obolos tres, piperis fricti grana quindecim: tritis vtere. Alij pſoricum, Cadmiæ trientem, æris vſti drachmas duas: cum aceto in ſole terito, & exſiccato, ac diſſoluto excipiens vtitor. Aliud, ad ſiccam lippitudinem, & ficum, & putredinem, & carnem excreſcentem, Cadmiæ drach. decem, chalcitidis drachm. octo, piperis grana duodecim, nardi Celticæ drachma. Tere chalcitidem Cadmiamq; cum vino, cumq; exaruerint inũce nardum ac piper: atq; in puluiſculum redactis vtere. Ad glaucos oculos vt nigri fiant, Malicorij dulcis ſuccum infunde, deinde ſpatio interpoſito, herbæ apollinaris florem cum vino tritum, inſtilla, aut herbæ apollinaris ſuccum.

Aliud acaciæ fructum, & gallarum exiguum diligenter tritum, anemones ſucco excipe, vt mellis habeat craſsitudinem: deinde liquorem ſeduló per linteum expreſſum, repone, vtereq; vt dictum fuit. Ad eos quibus pili inutiles & pungentes in palpebris enaſcuntur, τριχιῶν/ς appellantur: auis qui cinædus nominatur fel, & aconiti dimidium miſce & repone, cumq; vſus poſtulauerit, pilo euulſo, medicamento locum illine. Aliud, Fel piſcis pagri, & aconiti dimidium in ſquama ferri lota, adipe ſubigito, huiq; olei amygdalini exiguum adijcito, & ſanguinis veſpertilionis modus qui ſufficit, deinde mixtis & exceptis vtitor. Agglutinatorium pilorum: Cæræ, picis, lithocollæ æquas portiones ſimul liquefacito, & ſpecilli ſummo pilos agglutinato. Aliud, Reſinæ ſiccæ, picis aridæ, ſulfuris ignem non experti, bituminis, ſingulorum drachma, ceræ drach. dimidium: liquefactis vtere. Ad palpebrarum hordea, quas κριθιὰς Græci nuncupant. Galbani partem vnam cum nitro modico mixtam imponito. Aliud, Ceram & miſyos crudi exiguum, commixta impone. Valent & ficus aridæ in vino mulſo coctæ & tritæ, modico ſimul galbano contrito. Aliud, Sagapenum cum aceto terito, & vnà cũ farina hordeacea vtitor. Ad ægilopas, Succi illecebræ, ſucci ſolani,

vtr

vtriuſq; libræ dimidium, thuris drach octo, maſtiches quadrãtem, galbani libram dimidiam: ſuccos cum thure coquito, cumq; diſſolutum fuerit, galbanum iniecto. maſtichen enim repudiamus. Cataplaſmata lippientium, ad ingentes dolores, & maximos humorum impetus, Roſarum viridium aut ſiccarum drach. quatuor, croci, opij, vtriuſq; drachmam: excipe ſertulæ Campanæ decocto & paſſo. Aliud, Roſarum, violarum albarum, ſertulæ Campanæ, capitum papaueris, ſingulorum drachm. duas, croci, opij, myrrhæ, ſingulorum drachmam, oui aſſi vitellum, tritis & paſſo exceptis vtere vt dictum eſt. Illitiones ad dolores ingentes. Aloës, lycij Indici, roſarum viridium, croci, opij, myrrhæ, vniuſcuiuſq; æquas partes vino ſubactas in paſtillos redigito, eosq; in vmbra ſiccato, vſu poſtulante paſſo dilutos, oculis illinito, & fronti, & temporibus. Agglutinatorium quod fluxiones coërcet: Pollinis, myrrhæ, mannæ thuris, omnium æquas partes excipe oui candido, deinde linteolo inducta, temporibus ac fronti impone. Aliud, Seminis apollinaris herbæ drachmas duas, opij drachmam, croci, pollinis, ſingulorum drachmas quatuor, ouorum aſſatorum vitellos duos, caſtorij drachmam: omnia ſubacta excipe & vtere. Collyrium Heronis pſittacus ad ingentes

Actuarii Joannis filii Zachariae operum - page 547 sur 731

dolores & fluxum largum, ueſtigio ſomnum conciliat: Glaucij drachmas ſexdecim, croci, ſarcocollæ, vtriuſque drachmas octo, opij drachmas quatuor, ſucci mandragoræ drachmas duas, tragacãthæ drachmas duas, aqua pluuia ſubige. Aliud, ad ingentem dolorem, omnemq; phlegmonem, ac intenſas inflãmationes: Glaucij drach. vigintiquatuor, ſarcocollæ, croci, opij, miſyos vſti, ſingulorum drachmas octo, myrrhæ drachmas quatuor, gummi drach. duodecim: aqua pluuiali formato. Vſus eius eſt cum ouo φαιῷ, hoc eſt fuſcum inſcriptum, ad omnẽ fluxionem, omnemq; lippitudinem: in alio παιδικῷ, hoc eſt puerile legitur. Aeris vſti drachmas duodecim, cadmiæ drachm. triginta duas, gummi drachmas triginta duas, myrrhæ, opij, vtriuſq; drachmas quatuor: aqua pluuia. Nectarium, valet ad inchoantes lippitudines, & fluxionum multarum curſus, chemoſes, tumores, membranarum extuberationes, & ad omnem prope lippitudinem: facit & ad craſſas palpebras. Opus eſt ante omnia fouere, deinde fluxionis initio infundere aqueo oui liquore, at progrediẽte curatione temperamentum intendere & augere. Verùm ad aſperas palpebras vtimur collyrio ex aqua. Apud alios appellatur σφραγὶς, hoc eſt ſigillum. Aëris vſti & eloti, Cadmiæ, acaciæ, ſingulorum drach

drach.quatuor,croci,opij,vtriusq; drach.duas, gũmi drach.sex:aqua excipe,& vtere. Aliud Neapolitæ, Valet ad maximos humorum impetus,potissimùm in oculis qui ægrè humectantur,& qui in phlegmonis subalbicant,vt chemosi adsimile quippiam appareat:hoc nos vsi sumus,monentes vt ab illitionibus lauarẽtur. Lapidis schisti, æris vsti & loti, opij, gummi, singulorum drach. octo, thuris drach.septem, myrrhæ drach. quatuor, vino efforma. Vsus eius est ex ouo: temperamentum est aquosum. Malabathrium Galeni:facit ad ingentes dolores, & affectiones in declinatione: Cadmiæ drach.sexdecim,acaciæ drachm.quadraginta, æris vsti & loti drachm. quatuordecim, opij drach.duas,lycij drach.duas,myrrhæ drachm. quatuor, malabathri drachmas duas, nardi, castorij, croci, aloës, singulorum drach. duas, cerussæ,stibij loti,vtriusq; drachm.octo,gummi drachmas quadraginta:aqua excipe,& vtere cum ouo. Aliud ex thure, ad fluxiones & chemoses,Cadmiæ,thuris,vtriusq; drach.octo. cerussæ quadraginta, opij, gummi, vtriusque drach.sex:aqua pluuia excipe. Verùm nos ita parauimus,Cadmiæ,pompholygis, thuris, singulorum drachmas decem, cerussæ drachmas quadraginta, opij, gummi, vtriusq; drachmas sex: excipe aqua pluuiali, & vtere ex ouo.

Doloris expers ad omnem fluxionem, vlcera omnis generis, ingentes dolores, pustulas quae ψύδακας nominant, oculi procidentias, chemoses: quo suis affectus. Cerussae, terrae Samiae, vtriusque drachm. octo, spodij, pompholygis, tragacanthae, singulorum drachm. duodecim, opij, gummi, vtriusque drachmas duas, excipito aqua pluuiali, & cum ouo vtitor. Aliud cyonus inscriptus reginae, ad maximos dolores, & ingentes affectiones, Cadmiae drachm. sexdecim, cerussae lotae drachm. octo, amyli, tragacanthae, acaciae, opij, gummi, singulorum drachmas duas: excipe aqua pluuiali, & ad excipiendum adijce ouorum crudorum recentium albumina quatuor. Collyrium ὑγιάδιον inscriptum: cadmiae, myrrhae, vtriusque drac. octo, acaciae drac. sex, opij, aeris vsti & loti, myrrhae, galbani, singulorum drachm. octo: aquae excipe. Medicamentum ex galbano, quo vsus est Nicetes, ad dolores & lippitudines: Cadmiae, spodij Cyprij, aeris vsti & loti, opij, myrrhae, galbani, singulorum drach. octo, aquae excipe, ex valde probatis est, recipitq; amplius gummi drach. octo, alia exemplaria spodium non habent. Aliud ex rosis, ὀρᾶιον appellatum, ad ingentes dolores, fluxionem largam & tenuem, pustulas, oculi procidentiae: Rosarum resectis vnguibus drachm. viginti quatuor,

croc

croci drachm. duodecim, amyli drach. ſex, floris ſylueſtris punici, opij, vtriuſque drach. quatuor, tragacanthæ drach. octo, foliorum herbæ apollinaris ſucco excipe. Aliud ex roſis, quod roſarum ſeptuagintaduabus drachm. conſtat, magnum appellatum. Eo vſus eſt Lucius præceptor, ad dolores ingẽtes, puſtulas, inuſtiones, vuationes, oculorum prolapſus, ſugillata, fluxiones vetuſtas, inueteratas lippitudines, & affectiones ægrè cedentes, Roſarũ vir. diũ citra vngues drachm. ſeptuagintaduas, cadmiæ vſtæ & lotæ drac. viginti quatuor, croci drach. ſex, opij drach. tres, ſtibij drach. tres, alij ſex, æruginis drach. duas, alij tres, ſquamæ æris, nardi Indicæ, vtriuſq; drachmas duas, myrrhæ drac. ſex, gummi drac. viginti quatuor: excipe aqua pluuiali. Melinum delicatum, commodum iis qui nullum penitus medicamentorum morſum perferre poſſunt: Valet ad puſtulas, inuſtiones, procidentias, fluxionem largam & acrem, & ad recentes affectiones. Cadmiæ vſtæ, & lacte extinctæ drachm. ſexdecim, ceruſſæ lotæ drac. octo, croci drach. quatuor, opij drachmam, tragacanthæ drachmas duas, aqua pluuiali excipitur, vſus eius eſt ex ouo. Aliud, quod ſumme valet ad multam, antiquã, & tenuem fluxionem, vlceraq;. Pompholygis drachm. quatuor, opij fricti tres obolos, gummi drach. qua-

tuor: aqua pluuia aut fontana. Cæterùm ad cruentas ſuffuſiones ex ictu, & ſugillationes prodeſt columbæ ſanguis inſtillatus, præcipuè qui ex tenellis pennis exprimitur. Quinetiam oui albumen ſi oculo infunditur, eodem pacto opitulatur. Confert & oui aſſati vitellus, cataplaſmatis modo cum vino inductus, aut ſertula Campana cum vino cocta & impoſita. Adhæc & folia roſarũ ac flos per ſe, & cum vino trita, aut braſſicæ folia cataplaſmatis more impoſita. Quòd ſi ἀγύλωψ perſtiterit, thus, bithumen, æquis partibus miſceto, & oculum ſuffito, aut hyſſopi comã tritam accipe, et in panno lineo illigatã in feruentem aquam demitte, atque oculo admoue: inſequitur enim cruor vt ex linteolo cõpreſſo exprimatur. Ad tumores ex ictu circa oculos enatos, conuenit vt aſſiduè molli ſpongia foueãtur, deinde ſpongia noua aceto diluto madefacta imponatur, adhæc valet & ſinapi vetuſtum ex aqua tritum, & nunquã non appoſitum atq; ablatum, naſturtium item, ſi poſt eius ablationem locus perpetuò aqua foueatur. Ad oculos propter ſolem aut omnino puluerem ſicca ſcabraq; lippitudine laborantes, aqua copioſa æſtate quidem frigida, hyeme verò calida affuſa iuuat, aut ſpongiæ ex calida aqua, aut lentis decocto imbutæ fotus. Ipſis verò oculorũ angulis, rubi, lentiſc

lentiſci,myrti,roſarum ſuccum priuatim quenque cum aqua adhibeto. In his qui craſſas ac calloſas palpebras habent & pilis carent,pilos egregiè reſtituit id quod accipit,acaciæ drac. duas,atramenti ſcriptorij aridi drach.quinq; ſucci porri heminas quatuor,vini tantundem: coque donec ſtrigmenti habeat craſsitiem: aut muſcerdas ſimum caprinũ,pari menſura vſta, cineris arundinis Græcæ duplum cũ melle illinito. Ad palpebrarũ glabrities,æruginis tritæ partem,ammoniaci tantundem:trita adapta-to. Hoc ſummè quoq; prodeſt ſcabris oculis,aut Cadmiam tritam melle ſubigito, & in ollula aſſato, deinde æris vſti tantundem admiſceto, ac tritis vtitor. Ad pilos in palpebris enaſcentes,pilos euelle,& cimicis ſanguinem illine,ac in poſterum haudquaquã renaſcentur: aut ricini à cane fœmina cruore,aut erinacei terreſtris ſuccũ,& ſanguinis eiuſdem pares partes. aut euulſis pilis,cicutæ folia,& cædriam æquis partibus cum veſpertilionis cruore inunge,& contine donec exareſcat. nam ſi oculum contigerit, ledit: aut felle caprino cum braſsicæ ſucco illine. Vuationes tolles,ſi cantharidum ſuccum illeueris. Albugines verò ilico ſanat nitrum cum oleo vetuſto diligenter tritum, illitumq;: aut croci,piperis æquas partes cum felle felis in collyria efforma ac illine. Aut ſepiæ

teſtam tritam cum melle ſubigito, & tritam inungito. Porrò obſcurationem omnem, aut incboantem ſuffuſionem curat vulturis fel cum ſucco marrubij, & melle Attico: aut teſtudinis marinæ fel cum melle quadruplo: aut fel vrſinum cum aqua. In vnguibus verò oculorum atramenti ſutorij, ſalis ammoniaci æquas portiones, gummi dimidium, aceto in collyrium eſ forma, & illine. Ad glaucos oculos, Solani ſuccus infuſus nigros oculos reddit. In noctu cæcutientibus, elaterij obolum, ſeminis portulacæ drachmam, cũ melle illine. Enata hordeola, muſcæ capite abiecto, reliquo corpore confrica. In ſugillatis, ὑπώπια Græcis vocatis, cũ nimirum exigui grumuli, ex diſperſo in multas cutis partes ſanguine coguntur, priuſquam nigreſcant, diſſipare decet: nam vbi in grumos coaluit, ægrè diſcuti poteſt. Verùm ne ſolum is ſanguis qui effuſus eſt per halitum digeratur, verum etiam vt aliquid qui in contuſis venis continetur, ſanguinis per rimulas extrahatur, cũ diſcutientibus medicamentis aliquid quoq; aſtringentium commiſcetur. Vbi verò venulæ ad ſtatum ſuum naturalem redierint, tunc etiã citra aſtringentium admixtionem ad diſſipantia medicamenta eſt oportunum tranſire. Itaque collyrium Nili ex roſis ex aqua in ocularia cote cõterens, inunge ſugillationem, ac fertulæ

tulæ Campanæ, fœnigræcíq; decocto foue, atq; inde cũ his collyrium diſſolue, poſtea per ipſum ſolum fœnũgræcum. Quòd ſi aliquæ adhuc ſuperfuerint reliquiæ, collyria, quòd ex myrrha conſtent, Διὰ σμύρνα vocantur, in fœnigræci decocto diſſoluta inunge. Porrò præſtat medicamentum bis in die inungere, ſimulq; anteà per ſpõgiam mollem calidis decoctis imbutam fouere, principiò quidem, ex fœnigræci & ſertulæ Campanæ decocto: deinde vetuſteſcente affectu, ex ſolo fœnogræco. Eodem modo radicula pro cataplaſmate impoſita perſanat, verùm ſimul atque rodere cœperit, tollenda eſt: nam ſi relicta fuerit, ſua mordacitate venarum oſcula reſerabit: quare circa initia ea haudquaquam vtendum eſt, vti diximus. Vbi verò inueteratæ fuerint fugillationes, cùm iam nigreſcunt, etiam ſi quis longiori ipſam impoſitam relinquat, magis iuuabit. Valet & nitrum cum hyſſopo, & vua paſſa, melleq; mixtum: & ſinapi cum adipe ouillo, præcipuè in antiquioribus, ſic & farina fabacea cũ melle, potiſſimùm ſi fabam maſticaueris: oui itidem vitellus, aut cardamomũ cum myrrha impoſitum, aut cuminum panno indue, eoq; in feruenti aqua intincto foue: aut ſinapi cum cerato impone, aut mabalabathrũ tritum, aut hordeaceam farinam, cum aceto mulſo coctam. In

recent

recentibus verò cicutam cum aqua cataplasmatis more impone, vel absynthium cũ aqua. quod ab Hera est conscriptum, aufert ipsas, vt inquit, trium horarum spatio: vult autem cum adest phlegmone, vt antea caseus viridis pro cataplasmate imponatur, & pane foueatur. Capit cicutæ succi obolos duos, croci drachm. duas, myrrhæ drachmã, opij drach. duas, succi thapsiæ drachmam, gummi drachmam: aqua excipe. Hoc Heras scripsit, at ego, inquit Galenus, periculum feci nucis quæ per ætatem iam oleosa euasit, & interdum cruentatos persanauit: debet autem ea diligenter teri atq; ita homini supinè reclinato imponi, vt medicamentum duabus tribusq; horis adhæreat: nam si ita fecerit, etiam si postea assurrexerit, diu tamen adhærebit, debetq; vbi prius deciderit, alterum ilico apponi. Αἰγίλωψ, qui abscessurus quispiam est inter nasum & magnum oculi angulum, sæpenumero perrumpitur in angulum. Proinde curandus est medicamentis discutiendi vi præditis, quæ citra morsum id agunt, nanq; ab acribus oculus vnà afficitur, ipsaq; affecta pars inflãmata augetur: quippe vt in oculos inde aliquid confluat necesse est. Valent ad ægilopas maluæ folia cum sale & melle. Cæterùm in nondum perforatis herbam pediculárem, & ammoniacum thymiama cum

ma cum melle ceu ſplenium impone, aut alumen ſciſsile cum terebinthina. Quòd ſi ita non fuerint perſanati, oſſe denudato cauterium adige, ita nanq; ſquamæ abſcedent, & ſanabuntur. Quidam diuiſo angulo, oſſi qua parte perforatũ eſt, anguſtum infundibulum admouent, ac plumbo liquefacto infiſo vrunt, atque ita optimè ſanant. Aſclepiades, ſucci illecebræ libræ dimidium, ſucci ſolani, thuris, vtriuſque drach. octo, maſtiches drach. tres, galbani libram dimidiam: ſuccos cum thure coquito, atq; vbi diſſolutum fuerit, galbanum adjcito: maſtichem verò repudiamus. Aliud, Thuris ladani, vtriuſque drach. octo. ceræ, aluminis ſciſsilis, coaguli leporis, ſpumæ nitri, ſingulorum drach. quatuor: tunde medicamentum, & cum irini vnguenti fæce emollito.

De faciei vitiis. CAP. VI.

NAevus, qui ἴονθος Græcis nuncupatur, exiguus duruſq; tumor eſt, qui in faciei cute enaſcitur, et ab humore craſſo generatur: emollientibus opus habet diſcutientibuſq; medicamentis, perinde atq; ficoſi tumores, qui in mento exoriuntur: differunt autem hi à varis, quòd non ſolùm craſſus ſit, qui eos excitat humor, verùm tenuiſsimus quoq;, ac tenui cuiuſdam ſaniei ſimilis ſit particeps. Quare niſi curentur vt decet, celeriter exulcerantur. Quapropter

propter magis exsiccantibus, quàm vari indigent medicamentis. Adhæc & tumores lichenosi in mento ex mixto quopiam humore oriuntur: vbi tenues serosiq; humores cũ acribus commiscentur, atq; idcirco celeriter in scabiem lepramq; commigrant: indigent autem validè exsiccantibus: simul verò atq; in scabiem aut lepram transierint, præter exsiccantia quibus egent, etiã detergentibus opus habent. Quin & rèliqua exanthemata in mento, & ipsa quoq; exsiccantibus medicamentis egent. Porrò furunculi ex consimilibus quibus vari, humoribus in toto corpore creãtur, suntq; quadantenus duûm generum: quidam enim sunt, vt ita dixerim, varosi, duri, ægreq; concoctiles, alij sunt phlegmonosi, ex quibus febres quoq; interdum consistunt, & quorum tumor in molem excrescit, atq; in pus commutatur: vnde curatio eorum, vt plurimum eadem est cum phlegmones cura. Atq; de his hactenus, nunc sigillatim de medicamentis agemus, quæ ab antiquioribus medicis tradita sunt. Crito igitur ait, mellis & aceti æquas portiones diligenter misceto, & digito varos confricans inungito. Aut spumæ argenti chemam, terebinthinæ, fabæ Ægyptiæ magnitudinem, his adde olei albi parum, deinde detersa facie digito medicamenti exiguum cape, & varos inunge.

unge. Aut amygdalas amaras aceto dissolue, & tere, ac faciem illine. Quod si vetustiores fuerint, hæc facito. Saponis Gallici drach. quatuor, ammoniaci suffimenti, thuris, vtriusque drachmam, aqua dissoluta ad cerati crassitudinem redige, eoq; inunge, ac post horæ spatium tepida faciem abluere iube. Aut nitri rubri, pulegij viridis, salis fossilis, costi Indici, seminis ocimi singulorum æquas partes tusas ac cribro excussas, adipe anserino vel gallinaceo, vt cerati fiat crassitudo, excipe: ex eo verò in linteolum inducito, & donec omnino liberetur, imponito. Ad affectus eminentes, facieiq; pruritus, ac principium elephantiæ: Gummi albi, nitri spumæ, thuris, sulphuris viui, vniuscuiusque pares partes aceto dissolutas, seduloq; tritas in pastilia conformato, atque in vmbra siccato. Vsu verò expetente, aceto dissolue & inunge, vbi exiccati fuerint subscripta compositione deterge. Aliud ad varos, Saponis Gallici libram, ammoniaci suffimenti tantundem, thuris, masticbes, vtriusq; quadrantem, spumæ nitri drachmas tres. Saponem & ammoniacum in vas fictile coniectum, in duobus sextarijs aquæ coquito, cumq; dissolutum fuerit, arida contrita ac creta adijcito. Deinde in pilam conjecta, ac diligenter contusa, in vase vitreo recondito. Cumq; vsus flagitat, faciem

ex eo

ex eo inquinato, & paruo interposito tempore liberali aquã ipsam sedulò perfricans, abluito. Vtendum est autem hac inunctione per totam varorum curationem. Ad ficosa menti tubercula, Argenti spumæ, misyos crudi æquales portiones terito, & pro cataplasmate imponito. Aut thuris drachmas duas, spumæ argenti drachmas quatuor, salis fossilis drachm. octo, sandarachæ drach. octo, in læuorem redacta impone. Quòd si vlcerata fuerint vliginosa, (aqua enim ab ipsis defluit) vtendum est hoc quod capit squamæ æris drach. quatuor, atramenti sutorij, aluminis scissilis, glutini fabrilis, singulorum siciliquum: glutinum aceto maceratur, deinde cum reliquis teritur, ac formantur pastilli. Vsus tempore aceto dissoluimus ac inungimus: hoc etiam fistullarũ callos exterit. Ad recentes in mento, aut alia quapiam parte impetigines, Tritici grana multa incudi imponito, deinde laminã æris igne candẽtem tritico superponito, ac humorem inde emanantem adhuc calidum colligito, & impetigines illinito. Eodem pacto maluæ syluestris semen tenerum collectum mundato, ac tundito, & succum reponito, eoq; assiduè illinito. Eodem modo portulacæ quoq; succũ, aut vlmi lacrymam aceto dilutam illine. In inueteratis verò vtendum est subscriptis: Viticis folia cum exiguo

aceto

aceto trita imponito: eodem modo & cappa-
ris folia. Pastillus lichenicus, Glutinis fabrilis
drach. quatuor, allij siciliquũ: sulphuris ignem
non experti drach. duas, chamæleonis drach.
quatuor, thuris siciliquum, aceti heminæ dimi-
dium: gluten aceto dissoluitur, dehinc aridis
adijcitur. Vsis expetente, aceto quod satis faciat
dissolutum calidum impone. Aliud, Alcyonij
vsti siciliquũ, chamæleonis nigri drach. qua-
tuor, radicis hastulæ regiæ drach. quatuor, sul-
phuris viui, thuris, pyrethri, spumæ nitri, sin-
gulorum siciliquum, glutinis taurini drachm.
quatuor, aceti quod satis est. Vbi increscit af-
fectio, & calloſa euadit, subscriptis cõpositio-
nibus est vtendum. Humida ad impetiginum
affectiones. Misyos, thuris, mirrhæ, aluminis
scissilis, singulorum drach. octo, aloës, sulphuris
ignem non experti, vtriusq; drach. quatuor:
excipe passo vt ad strigmentitiam veniat spis-
situdinem, & bis ter ve in die detersis inunge,
& foris membranam fellis tutelæ gratia im-
pone. Illitio cocta ad lichenas inueteratos, vt
citra exulcerationem liberet: Atramenti su-
torij, fœnigræci molitj, cardamomi, cuiusq; sici-
liquum, gith, foliorum caprifici, vtriusq; ses-
quidrachmam, aceti quod sufficit: trita misce-
to, quousq; in mellis crassitiem coëat, deinde
coquito: cumq; nigrum euaserit, & condensa-

tum, tollito & inungito, anteà ablutis impetiginibus. Aliud, Aceti acerrimi ſextarios ſex, farinæ hordeaceæ ſextarios duos, mannæ ſextarium, radicis rumicis agreſtis drachm. viginti, veratri albi drachmas decem, alcyonij drach. quindecim, cardamomi drachmam, cimoliæ drachmas octo, glutinis taurini, & ſpumæ nitri, vtriuſque drach. ſexdecim, virgultorum viridium halicacabi manipulum componito. Verùm quia complures, facultates medicamentorum quæ illinendo ſunt idoneæ renuunt, maluntq; emplaſtra, quæ neq; ſudoribus obortis diſſluunt, neq; exſiccata cutẽ extendunt, de his quoq; eſt agendum. Emplaſtrum lichenici, valet ad impetigines ſublatas aceleuatas adeò vt reprimat ea quæ reliquæ eſſe videntur. Mannæ, thuris, picis, bituminis, ceræ, reſinæ pineæ, ſulphuris viui, ſingulorum drachm. octo, olei Cyprini parũ: coque, & in linteolum inducto vtere. Aliud, Picis Brutiæ liquidæ, mannæ, ſulphuris viui, farinæ lupinorum, ſingulorum drachmam. Compone, deinde adde galbani ſiciliquum. Eſt ex eorum numero quæ valde probata ſunt. Quòd ſi affectus pertinaciùs perſeueret, atque eiuſmodi non proſint, medicamentis excoriatorijs vocatis eſt vtendum: etenim ſupremam cutem de repente abſcedere faciunt. Aliud impetiginum excoriatorium:

torium: squamæ æris drach. tres, auripigmenti, sandarachæ, vtriusque drachm. quatuor, æris cremati, veratri, ventrium cantharidum, singulorum sesquidrachmam. Tere vnumquodq; sigillatim, deinde simul mixta excipe cedria, & ad spissamẽtum strigmentitium redactum, in pyxidem æream repone. Cùm vsus postulat, nitro ac exiguo aceto lichenas abstergens inunge spatula, atq; affrica: deinde detersos spathula abrade, & denuò medicamentum impone: posthæc vbi bis ter've illud peregeris, & leuiter abraseris, enitere iterũ imponere, illita loca fellis alicuius animalis vesicula cooperiẽs: etenim ea obstat, ne medicamentum diffluat, & leuis est: post pelliculæ verò impositionem fasciolam leuiter inducito, ac finito pernoctare. Quòd si hoc non lieuerit, saltem aliquod horarum spatio permaneat, donec pustulas excitauerit, quæ saniem crassam glutinosamq; contineant. Adhæc lauare iubemus, & in balneo quod curationi opitulatur, morari. Quòd si quid obstat, quo minus balneo vti possit. larga calida aqua fouere oportet, deinde abstergere, & panem mulsa subactum pro cataplasmato imponere. Vbi sordida fuerint vlcera emplastrum viride impone, adiecto pauxillo excoriatorij. Cæterùm, sanie iam expurgata, cùm non amplius crustula incumbit, album cum

splenio impone, atque hac vtitor curandi ratione, donec cicatrix planè obducta fuerit: verùm singulis diebus foueto, recensq; splenium inducito. Postquam iam cicatrice locus penitus coaluit, si qua restat suspicio, eandem curationis viam teneto. Verùm antea quàm excoriatoria imponantur, loca extra impetiginem medicamento quod inflammationem prohibere potest splenio inducto tutari oportet, linea circum lichenem anteà designata. Aliud quod ad alopecias quoque valet: verùm alopeciæ in sole aut iuxta ignem sunt inungendæ, cumq; pustula eruperit, acu est pungenda, dehinc excreto humore, locus ceratis est persanandus: post inductam autem cicatricem, pili enascuntur. At in impetiginibus ita, vt prædictum fuit, est aggrediendum. Sandarachæ, auripigmenti, squamæ æris, cuiusque siliquum, veratri nigri, elaterij, ventris cantharidum, singulorum drachm. excipe cedria. Emplastrum viride, quod in mentagra appellata, post rupturam pustulæ, quæ ob vsum excoriatorium oboritur, imponi debet. Ceræ libram, æruginis rasæ quadrantem, resinæ frictæ libram, olei cyathos quatuor, aceti quod satis est: ærugo in sole cum aceto terenda est, & quæ liquari possunt, liquantur, ac refrigerantur, posthæc liquidis adijciuntur. Viride

Heroph

Herophili, Æruginis drachmas duodecim, mannæ drachmas quatuor, adipis vitulini drachm. duodecim, galbani drachm. tres, ceræ drach. octoginta, resinæ drachm. viginti, aceti quod sufficit. Post viridia, mundis iam factis ab excoriatione vlceribus, huiusmodi est vtendum, quæ multam ad tactum leuitatem inferūt. Album post impetiginum excoriationem, Spumæ argenti, ceræ, cerussæ, vniuscuiusq; libram, olei sextarium, aquæ sextarium. Spumam argēti, cerussam, et aquam terito, cumq; optimè in læuorem redacta fuerint, paulatim oleū instilla, assidueq; tere. Vbi vnitum fuerit, in vas fictile trāsferto, igniq; impositum assiduè agitato, & absumpta iam aqua, ceram adycito. Pancratiastarum ἁνθερὸν, hoc est delicatum appellatum: valet ad ambusta, vt citra cicatricis vestigium sanentur. Spumæ argenti, cerussæ, plumbaginis, singulorum drach. vigintiquinq;, ceræ terebinthinæ, vtriusq; drach. sexdecim, olei heminam, & aquæ tantundem, cōpone quemadmodum prædictum fuit. Aliud, Diophantis, ad ambusta, & intertrigines: faciem quoque præmunit, ac præseruat, si rosaceo dissoluatur. Argenti spumæ frictæ siliquum, medullæ ceruinæ drach. sexdecim, cerussæ torrefactæ siliquum, ceræ, thuris, terebinthinæ, singulorum drach. octo, olei heminas quatuor. Ad menti

exanthemata, Baccarum myrti, malicorij, argenti ſpumæ, floris æris æquas portiones cum vino inunge. Porrò in ficoſis menti eruptionibus quas mentagras, & nonnulli lichenas feros appellant, valent ex his quæ ad impetigines tradita ſunt, valentiora: adhæc, ea quoq; quæ ad ſcabies & lepras inſcribuntur. Verùm mirè celebratur hoc quod capit, atramenti ſutorij, veratri nigri, auripigmenti, ſingulorum drachmam, ventrium cantharidum, ſiliquum, nonnulli obolos tres: tritis vtere cum oleo, aut cedria, aut roſaceo, loco antea abſterſo. Puſtulis autem quæ enaſcuntur diſruptis, cuſpide ſpecilli locum attere, quo medicamenti quippiam penetrare mordereq; poſſit. Deinde vbi locum foueris poſt horæ ſpatium, ceratum roſaceum ſuperinjce, atq; id donec cicatrice coëat effice. Quòd ſi primùm præualere nequiuerit, ter quaterq; inunge. Valet eximiè & ad lepras, & vitiligines, quas λεύκας appellant, & alopecias, & ſcabies. Aliud ad capitis & menti ficoſos tumores, aut ſi alia quapiam parte vlcera prominent. Elaterij & ſalis paribus partibus commixtis vtere: ſuprà verò ſemen lini crudum cum aqua impone, aut ficus tritas. Eodem ad tubercula quoque, quæ φύμαθα vocant, vtendum eſt.

De oris affectibus. CAP. VII.

Cùm

CVm dentes doleant partim ob neruos qui illis inſeruntur, partim ob ſuam ſubſtantiam, aut gingiuas, quæ vel ex intemperie quapiam, aut humorum quorundam defluxu laborent: aliàs item proprium ſuum affectum ſentiant, aliàs ob caput materiam ſuppeditans, quemadmodum & cùm totum corpus plenitudine abundat, patiantur: auxilia quæ affectui proportione reſpondeant, adnocanda ſunt. Quare aut totum corpus, aut caput tantũ, vel etiam vtrunque purgatorio inanimus. Et vt propter humorum defluxum phlegmonæ enaſcuntur, ita dentes etiam ex humorum acrium erodentiumq; defluxione perforantur, non ſecus quàm vlcera in cute oboriuntur. Proinde perſpicuum eſt, quòd corpora quæ eroduntur, per ea quæ vitioſum confluentem humorem exſiccent curari debent: dentesq; qui exeduntur, ceu quibus idipſum præ nimia mollitie accidat, per auſtera aſtringentiaq; medicamenta duriores atq; ad patiendum ineptiores reddi. Eos verò qui liuidi ſunt, per exſiccantia, (quippe quibus id ob prauorum humorum copiam eueniat.) ſanare oportet: eandem enim quam perforati curationem poſtulant. Quòd ſi gingiuæ ob inflammationem doluerint, oleum lentiſcinum, ſi moderatè calidum ore cõtineatur, præſtantiſſimum eſt remedium. ſit autem recens, nam quod

vetuſtum eſt, deterius eſt: porrò id in duplici vaſe calefieri debet. Eſt igitur hoc gingiuarum inflammationi quàm maximè accommodatũ, nec verò minus, ſi quis in alia quapiam parte membranæ, tum linguam veſtientis, tum ſuccingentis totum os, dolor ob inflammationem oriatur, cùm lentiſcinum ſedare poteſt: repellit enim placidè, & citra aſperitatem, quam auſterorum plurima obtinent: adhæc, abſq; morſu diſcutit. quo inflammata omnia in primis opus habent: nam quæ validè aſtringunt, partes exaſperant, ipſiſq; ſimile quippiam, quale in contuſionibus vſu venit, nimirum quòd ipſarum ſubſtantia violenter contrahatur. Ab ijs verò quæ vehementer per halitum digerunt diſcutiuntq;, quòd ea acria iam ſint, eroſioni quippiam adſimile oboritur. Cæterùm dolentes dentes aceto acri calido, cum galla: aut halicacabi radice collue, aut tædulis pinguibus cum aceto, aut cappari, vel alijs, cucumeris ve agreſtis radice. Egregiè verò conferre fertur, ranæ in aceto & aqua probe coctæ decoctum, ore contentum. Itidem, ſi dentem caninum vſtum triueris, deinde cum aceto benè calido coctum ore cõtinueris, aut acetum ſquillaticum ore retentum: aut tædarum ramenta, malicorium, alumen, in aceto ad tertias coquito, & ore contineto: cumq; os ſaliua fuerit refertum,

eo hiãs

eo hiante effluere finito. Aut pyrethrum cum hyssopo & colocynthide, itidem in aceto decoctum ore teneto. Aut alliorum, seminis erucæ, & nitri decocto collue. Oblitionibus verò & epithematis huiusmodi vtitor: sory resina terebinthina exceptum obline, eaq; cauernulæ insere. Aut compositionem ex duobus piperibus nardino aut rosaceo, sed potissimum amygdalino dissolutam, impone, atq; in aurem eiusdem lateris instilla. Aut sulphur ignem non expertum cum lycio excipe, & in exesu in dentem inde. In maximis dētium doloribus valet hoc: anguis senectam, & ad mellis crassitudinem redactam cum oleo obline, & in cauernam impone. Aut terræ intestina frige tereq;, & in cauernulam insere. In aurem oleum sesaminum, in quo terræ intestina fuerint incocta, infunde. Apophlegmatismi quoq; sunt dentibus dolentibus accōmodatissimi: in aduersam verò aurem, duos hederæ corymbos rosaceo subactos instilla. Quòd si eximere dentem animus fuerit, pyrethrū acerrimo aceto dies quadraginta maceratum terito ac reponito: vsu verò expetente, vbi reliquos cera obducta muniueris, ipsumq; dolentem præmundaueris, medicamentum illine, deinde horæ interiecto spatio, digitis extrahe. Aut sory cum aceto acerrimo pluribus diebus oblinito: educit eximiè tithymali

succus, & sory vnà cum galbano impositum. Quinetiam betæ radicis succus in narem inditus, dentium dolores sedat, reliquaq; omnia medicamenta quæ naribus inseruntur, de quibus antea egimus. Vt dentes eroſi non confringantur, nec grauiter oleant, veratrum nigrum erui magnitudine melle coquito & inserito: sal fossile melle subactum assa & tere, & myrrha admixta vtere. Arida ad dentes emotos & vacillantes. Terebinthi fructus torrefacti drachm. octo, aluminis sciſsilis cremati, sylvestris Punicæ florum: vuæ acerbæ succi, singulorum siciliquum, gallarum, croci, myrrhæ, singulorum drachmam. Tritis vtitor. Aliud, Cornu cerui drac. octo, rhois rubri, balausty, vtriusq; drach. quatuor, corticis pinus, gallarum, croci, myrrhæ, singulorum drachmam. Terito & vtitor. Masticatorium ad molarium dolorem: roris marini seminis drachmas duas, origani, piperis albi, vtriusq; drachmam, vuarum passarum pinguissimarum sextarij dimidium: in massæ formam redigito, & præbeto commanducandum: post vsum verò, os vino colluat. Aliud, Vuæ passæ exacinatæ sextarij dimidium, piperis albi acetabulum, grani cnidij, spicæ nardi, singulorum siciliquum, pyrethri & myrrhæ pares portiones, casiæ drach. vtere vt dictum est. Ad exesos dentes, Piper

coctum

coctum cum melle tere diligenter, & in cauernulam insere, atque exterius impone. Aliud dolorem mitigans, ad dentes dolentes eroſosq;, confert tuſsi quoq; : Lacrymæ papaueris, myrrhæ, ſtyracis, cuiuſque ſiliquum, piperis albi, galbani, vtriuſque drachmam : paſsi quod ad comprehendendum ſufficit. Iam ſi leporino cerebello infantem dentientem illeueris, dentes citra dolorem atque ilico emittet. Aiunt ſi ranunculi folia ei cui dens dolet, in eiuſdem lateris brachio impoſueris, dolore quidem liberare, verùm brachium exulcerare, cuius curam, prout decet habebis. Dentes præſeruantia hæc ſunt, Tithymali radicem in vino vſq; ad dimidias coquito, & his in menſe dentes colluito, & nunquam dolebunt. Item, alumine cum modico myrrhæ confricato, & nunquam exedentur : ſi verò hoc nimium aſtringat, melle vtitor. Optimè verò facit & ad dentes à dolore præſeruandos, & ad gingiuarum dentiumq; eroſionem, atq; ad decorem hoc quoq; : Lanas ſuccidas linteolo illigatas vrito, deinde ſalis tertiam partem admiſceto, eaque trita affricato. Aut leporis capite vſto tritoq; vtitor. Aut ſal & mel in læuorem redacta, ac in mundo linteolo illigata vrito : adhæc iridis pauxillum commiſceto, & confricato. Ad dentes vacillantes, et gingiuas humore grauidas, eas-

easq; corruptas: Alumen rotundum chartæ involutum vritur, deinde tritum rubrica inficitur, eo contingę gingiuas, & ſub corruptis inſere. Ad gingiuas vlceratas, Nitrum, Cyperum, hordeum, æquali portione combuſta, cum melle miſceto, & illinito. Vt molaris citra dolorem eximatur, farinæ erui drachm. duas, cum ſucco tithymali ſubige, dentiq; impone, ſupraq; hederæ folia injice, & poſt horæ ſpatium tolle, ſua ſponte in minuta fruſtula diffringetur. Valet hoc etiam ad eroſos dentes. Verùm vſus tempore ceratum emollitum impone. Ad gingiuas præhumidas, ac cruentas, dentes emotos, oZænas, parulidas, putredines, omniaq; oris vitia: Capit herbæ perdicialis, aut ſyderitis, minam ſalis cădidi & tenuis ſextarium, mellis ſextarium, contundito, & in maſſæ formam redigito, deinde in ollam conjectam, operculo probè obturato. habeat autem in medio ſui foramen, per quod rudicula agitetur, donec nihil amplius fumi aut vaporis exhalauerit: dehinc, vbi ab igne ſublatum fuerit, ac refrixerit, inde ſumito drachmas quatuordecim, piperis albi drachm. quinq;, piperis nigri drachm. ſex, pyrethri drach. ſex, aluminis ſciſſilis cremati extinctiq; vino auſtero drachmas duas, pumicis, myrrhæ, hyſſopi, ſeminis apij, pulegij, ſingulorum ficiliquum, mentæ, iridis, vtriuſq; drach. tres:

tres: hæc tundito, & cribrata ei quod ex olla ſumpſiſti commiſceto, ac vtitor. Aliud, Tragorigani drachm. duas, hyſſopi dracm. quatuor, herbæ perdicij melle & ſale tenui ſubactæ, atq; in olla donec in prunas redigatur, crematæ, quadrantem, piperis trientem. Tunde, incerniculo excute, & vtere. Quo ſi vſus fueris, neq; dentes dolebunt, neq; findentur, neq; gingiuarum inflammationes, παρουλίδες dictæ, cruorem fundent, neq; caruncula in ijs ſuperexcreſcent, neque defluxionibus tentabuntur: erit porrò os odorum, & dentes nitidi. Nonnulli ſalſamenta in olla medicamento adijciunt. Cæterùm prædictis ſuccedunt quæ eo quòd oris affectibus accommodantur, στοματικὰ Græcis appellantur, quæq; ad oris cauitatem, tonſillas, & vuam inflammatione correpta, defluxioneq; laborantia adhibentur. Debet autem initio mali in his qualitas aſtringens præualere, vt quicquid influit repellatur reprimaturq;: poſthæc aſtringentibus quædam per halitum digerentia admiſcenda ſunt, vt quæ iam defluxerunt diſcutiantur: Declinante verò iam malo, plura iam & valentiora ſunt commiſcenda diſcutientia, quorum ſigillatim medicamenta partim anteà dicta fuerunt, velut id quod conſtat ex nucibus, ex moris, ex fructibus rubi, βάτια vocant, & ex malis Punicis,

ex

ex cotoneis, etsi quod eiusmodi conducere creditur: partim iam proponentur, ne ea omniquaq; in hoc libro desideretur. Heræ stomatice, ἡ διὰ τῆς βυσσοῦ, quæ ex semine rutæ syluestris concinnatur: valet ad anginas, ad inflammationes tonsillarum, & vlcera quæ in ore oboriuntur. Conuenit & stomachi vitio, & intestinorum difficultate laborantibus, ex frigida ad fabæ tuberculum propinata. Est etiam arteriaca præclara, & dolorem mitigans. Anisi, seminis rutæ syluestris, amni, floris iunci odorati, casiæ, iridis, aluminis scisilis, aristolochiæ longæ, aliqui etiam casiæ fuluæ singulorum vnciam, costi sesquidrachmam, gallas immaturas mediæ magnitudinis numero octo, crocomagmatis, floris rosarum, vtriusque vncias duas, croci sesquiunciam, amomi racemi vnciæ dimidium, myrrhæ vnciæ dimidium, cinnamomi, seminis apij, vtriusq; vnciam, spicæ nardi sesquiunciam, hirundinum recrementi vnciam. Myrrham cum melle terito, reliqua verò contusa & incerniculo excussa iniice: ac medicamentum melle crassius reddatur. Vsu verò postulante, melle dissolutum inunge, atq; ex aqua, vel mulsa, vel ptissanæ cremore præbe gargarissandum. Διάχριστος, hoc est illitu apta, ad oris putredines, rhois rubri drach. quatuor, acaciæ drachmam, medullæ ceruinæ drachm. quatuor.

Vuæ

Vino diſſoluta, melle cocto excipe, vtereq; ad illinendum. Aliud, Succi hypocyſtidis ſiliquum, floris mali Punicæ drachmam, lycij drachmam, acaciæ drachmam. Excipito oliuæ immaturæ ſucco & melle. In humidis calidisq; corporis locis, cuiuſmodi eſt os, cito putredo accedit, quacunque tandem de cauſſa fuerint exulcerata. Ad eam etiam rem facit, quòd nullum medicamentum, quemadmodum in alijs vlceribus aſſiduè incumbere poteſt: ſiquidem perpetuò à ſaliua eluitur: atq; idcirco in ipſis validiſſimis ſæpenumero vti cogimur: ſunt autem vehementiſſima, quæ perinde ac cauteria cruſtam appellatam faciunt. Itaque in externis quando pars quæ curatur, cruſta obducitur, à fortibus medicamentis abſtinemus, atque ad ea quæ cruſtas tollunt, tranſimus, quæ facultate qualitateq; abſtergente prædita ſunt. At in ore, ob regionis naturam, conſultum tutumq; mihi eſſe videtur, admiſcere detergentibus nonnihil ex vehementibus, quæ ſigillatim admota cruſtas inducunt, Atque eiuſmodi quædam anteà tradita fuerunt, vbi percenſui ea quæ ad oris vlcera, à paſcendo Græcis νομὰ dicta, faciunt: eadem nanq; cruſtis conuenire diximus. Crito confixe inquit miſy aſſum cum melle, donec ad ſtrigmentitiam venerit ſpiſſitudinem: aut

chalci

chalcitidem aſſatam cum melle. Archigenes verò ad cruſtas dictas priuatim conducere ait, ſtercus caninum cum melle illitum. Et Muſa de hoc ita habet: Ad anginam ſtercus caninum album accipito, exiccatum, & tritum cribro excernito. Vſus verò tempore, melle dilue, & tunc inunge vt diglutiatur: nullum medicamẽtum eo vehementius nouimus in angina laborantibus, aut in phlegmone tonſillarum aut glandularum linguæ adiacentium, quæ ſtrangulatus periculum minitatur. Alia ad cruſtas faciẽs, & ad gingiuas prehumidas, & fœtidas. Miſyos cremati drach. octo, iridis drachm. quatuor, croci drachmam. His tritis tum ſeorſum, tum cum melle vtitor. Ad putredines autem, atq; abſcedentes gingiuas, & cruentas, arido, ad cruſtas verò vtere cum melle hoc quod vocatur ἀνθηρὰ, hoc eſt florida: capit iridis, ſandarachæ, cyperi, ſingulorum drachm. quatuor, aluminis ſciſſilis, myrrhæ, croci, crocomagmatis, ſingulorũ ſiliquum. Quidam etiam floris roſarum, & gallarum vtriuſq; drachm. duas adijciũt. Quòd ſi putredo fuerit validior, libellorum combuſtorum partes tres, auripigmẽti partem: trita miſceto & vtitor, & ſuprà linamentum concerptum, roſaceo imbutum expreſſumq; dato: quidam libelli partes octo capiunt. Quòd ſi putredo his non euincitur, iube

vt vi

vt vrat, contectis in orbem circüſitis partibus: ſit autem candens pellucensq; cauterium, quod tantiſper adhibeatur, dum nihil amplius humoris defluat, & locus videatur euictus: poſthæc, colluere prædictis, & ἀνθηρᾷ facultate vti cum melle oportet, donec cruſtæ diſſringantur, inde melle vtendũ eſt. Cum gurgulio ex humorum defluxu inflammatione corripitur, ſi mediocris fuerit defluxus, mediocribus opus habet aſtringentibus: ſi verò eſt validior & vehementior, opus quoq; eſt iis quæ magis aſtringunt. Vbi iam inflãmatio fluxusq; declinat, ex ijs quæ per halitum digerunt quædã cõmiſcenda ſunt. Collutione, itaque moderatæ ſunt quæ fiunt ex palmulis, quæ modò in aqua ſola, modò pauxillo quoq; mellis adiecto, decoquũtur, Huic adſimilis eſt quæ fit ex roſis, pampinis vitis, rubo, rubo canis, lentiſco, hedera, terebinthina, rhãno, aſpalatho, flore Punicæ domeſticæ, ſiliquis, malis auſteris, pyris, & ſorbis. His fortiora ſunt, tum myrti, eiusq; baccarum decoctum, tum cotoneorum acerborum & meſpilorum, & cornorum. Generoſiſsimum autem eſt decoctum gallarum, & rhois culinarij coriarijq;, & fructus myricæ. Ex his ſingulis tum per ſe, tum ſimul coctis, ex aqua gargariſſare oportet. Quin & aridis tritis gurgulionem attingere debemus per cochlearium, tum prædi-

Actuarii Joannis filii Zachariae operum - page 577 sur 731

Elis, tum similibus. sunt autem eiusmodi rosæ siccæ, & hypocystis, & rheum, cyperusq;, & aloë, nardi item radix, & alumen sciſsile, ac lapis qui ἀχάρας & dicitur. Paruæ quidem affectiones per eiusmodi facilè euestigio compescuntur. Vbi verò vitium obortum, maiori nititur fundamento, fieri nequit, vt id per repellentia penitus curetur, potissimũ cùm ægri corpus humoribus abundat, aut pars laborãs fuerit natura imbecillis. Qua de re sæpe initio, sæpius paulò pòst ijs aliquid ex discutientibus admiscere cogimur: & si dolor ingens fuerit, etiam ex ijs quæ eum lenire possunt adijcere. Cæterùm ex discutientibus moderatiora sunt adhibenda, quòd valentiora irritãdi vim obtineant: sunt autem eiusmodi, iris, thus, myrrha, quæq; eiusmodi prædita sunt facultate. Lenire verò dolorem solent, quæ læuorem inducunt, quæq; lẽta, dulcia, & pinguia sunt. Proinde ex his atque eiusmodi incipiens, medicamenta concinnabis affectibus accommodata: si verò inualescit vitium, neque vlli eorum cedit, aluus subducatur, & gargarisset lupinorũ loturã, aut ptissanæ cremorem, aut passum tepidum aut ficuum decoctum, & vuarum passarũ, & glycyrrhizæ cũ hyssopo. Prodest quoq;, si oleum amygdalinum in aures infuderis, forisq; spongijs expressis leuiter foueris. Quinetiã

polen

polentam, quam ἄμυλον vocant Græci, ex farina hordeacea, aut seminis lini, aut fœnigræci, aut ex his mixtum imponere oportet. Si igitur in suppurationẽ verti tonsillæ apparuerint, ea aduuãda est, & in primis ficuum decocto assiduè gargarissentur. Si verò nihil eiusmodi videatur, sed ægrè deglutire possint, & strangulatum ægri metuant, acri enemate aluus eluenda est, venaq; in cubito tundenda, & cucurbitulæ in collo ac mento, concisa prius scalpello cute, sunt affigendæ: continuis item fotibus & cataplasmatis, ysq; validioribus ac gargarizationibus est certandum. Quòd si etiamnũ malum increscat, venæ sub lingua secẽtur, aut iuxta oculorum angulos, aut ea quæ in fronte conspicitur. Quinetiam per halitum ore receptum fouebimus, hoc pacto, Satureiã, aut origanum, aut hyssopum in aceto feruentẽ in olla circumquaque oblita obturataq; concludimus, ac per foramen inserta arundine halitum ex olla expirantem excipimus: si verò à feruente arundine os aduratur, ouum vacuum perforatum ore contineatur. Quidam nitrum & origanum, & nasturtij semen, oleumq; trita in posca miscent, ac eodem modo fouent: aut hirundinum recrementum illinunt, similiterq; fouent. Atque de his quidem hactenus. In summa cute oris obortas vlcerationes, ἄφθας

Actuarii Joannis filii Zachariae operum - page 579 sur 731

Græci nominant, quæ quippiam igneæ caliditatis obtinent. In infantibus vt ſemper gignũtur, quando vel lac nutricis prauum fuerit, vel ipſum infantulus ritè concoquere nequiuerit, ſunt omnino curatu faciles, quippe quæ moderatis aſtringentibus ſedentur: interdum tamẽ cùm moram traxerint, ægrè ſoluuntur, temporiſq; ſpatio vleus euadit putridum, quod à medicis Græcis νομὴ, à paſcendo denominatur. Simpliciſsimum autem medicamentũ eſt, portulaca melle imbuta, ac commanducata: adhæc, collutio ex foliis oliuæ, itidemq; quod conſtat ex alba myrto, & amygdalæ amaræ cum melle. Ad nigras verò aphthas valet vua paſſa vinaceis purgata, & aniſum cum melle tritum ac illitum. Validiſsimum eſt, æruginis vermiculatæ tribus obolis in vino tritis os colluere, aut gallam in acẽto tere & inunge. Ad albas aphthas: chalcitiden oleo tritam penna illine: hoc ex templo ſedat, ſimul atque pura facta fuerit, myricæ fructum tritum, & muſſa aut vino dilutum inunge: hoc præcipuè infantibus accommodatur. Poſſunt etiam nutrices, cùm iam oſſis infantẽ alunt, lentem cũ modico pane, & medulla ceruina aut vitulina exhibere. Miſceo quoque alimento mala cotonea, aut alia quæ adſtringunt. Quinetiam nonnunquã lactucam, intubum ſatiuum, ſolanum, & portula

tulacam offulæ commiſceo, ſi aphtha perquam ignea eſt. Quòd ſi nondum offa ali poteſt, nutricem eiuſmodi cibo alo, & vt probè nimirũ coquat proſpicio. Attamen medicamẽtis quoq; vlcera illino. Quòd ſi aphthas prærubras eſſe conſpexero, principiò moderatiſſimè aſtringẽtibus refrigerantibusq;, deinde citra morſum digerentibus vtor: ſin ſubflauas videro, eadẽ quidem adhibeo, ſed quæ refrigerent magis. Si verò pituitoſiores fuerint, aſtringentibus: at ſi nigreſcentes, generoſius diſcutientibus vtor. Cæterùm in maioribus natu pueris, eiuſdem generis medicamentorum facultatibus vtens, vim ipſorum augeo: quemadmodum ſanè in adultis & duris corporibus, ſingulis commemoratis facultatibus validiſſimis vtor. Suffecit autem mihi perpetuò in iis miſyos cum vino aſtringente vſus, remittenti intendentiq; eius facultatem, prout opus erat. Quòd ſi ſordida appareat aphtha, tero miſy cũ vino mulſo. Iis qui valentioribus, quàm miſy ſit, opus habent medicamentis, æruginem ſimiliter cũ vino aut vino mulſo eſt accommodata. Talibus nimirum affecta loca oris ſunt inungẽda. Aptum quoq; ad eam rem eſt medicamentum, chalcitis oleo trita: atq; hæc ſunt valida: moderata verò, & potiſſimum ad affectiones incipientes, eſt omphacium cum vino, aut vino mulſo, thus item.

©BIUM

In puerulis porrò ſatis facit roſarum flos, ipſæq; roſæ ſiccæ, & collutiones ex mediocriter aſtringẽtibus. Atque vt vno verbo abſoluam, moderatæ aphthæ, potiſſimùm in tenellis corporibus moderata poſtulant medicamenta: fortiores verò, & maximè in duris corporibus à fortioribus curantur: cuiuſmodi ſunt quæ valide aſtringunt & mordẽt, vt mediocria ſunt, quæ nihil prorſus mordent, & nonnihil adſtringunt. Verùm de his commentatio, hîc ita ſuum finẽ habeat. Atqui nobis quibus in præſenti libro inſtitutum erat de externis verba facere, ea tradita ſunt quæ in capite ac facie, & præterea ore apparẽt, ac quo pacto ea, quibusq; medicamentis ſunt curanda, reliqua iam dicentur. Quòd ſi quando internorum vitiorum meminerimus progrediente ſermone, id ob medicamentorum quod inter ſeſe obtinent, commercium euenit: nam quemadmodum ob ea quæ foris apparent, interdum purgatorijs ac reliquis alterantibus medicamentis, quo exuperantem humorem coerceamus, vtimur: ita & ob ea quæ intus infeſtant, foris emplaſtra, inunctiones, atque illitiones aliquãdo damus: quòd ab exterius adhibitis, non minus ægro opis accedat, ſiue illi ſtomachus exempli gratia, ſiue iecur, ſiue aliud quodpiam viſcus, etiã ex interioribus & penitioribus doleat, aut

aliter

aliter afficiatur. Nunc de reliquis, quæ ſummæ cuti adaptantur, quod ſatis eſt, eſt agendum: atque ita in libri calce, de communibus multiplicémque vſum præſtantibus oleis, emplaſtriſq;, ac quæcunque alia cutis ſuperficiei auxilij alicuius gratia admouentur, aliquid addendum: deinde, de omni eo quod venenum virusq; eiaculatur, in quo etiam pollicitis ſatis dabitur. Verùm anteà de vlceribus quæ decet proponentur, & quibus in ipſis vtendum ſit medicamentis docebimus.

De vlceribus communibus toti corpori. CAPVT VIII.

ATque de elephante vbi apparuerit, quo pacto eius curatio ſit inſtituenda, iam antea fuit explicatum: verùm vbi in toto corpore graſſari ac dominari cœperit, præſtat tũc quoque conuenienti victus ratione vti, & plagis emollientia, aut per halitum digerẽtia, aut citra morſum exſiccãtia, vel extergentia, vel cicatricem obducentia, prout vnicuiq; parti commodum iudicaueris, adaptabimus. Materiam verò his idoneã iam orationis proceſſus proponet. Quæ impetiginibus dicta ſunt cõducere, eadem ſcabiei & leprę, vnà cum reliqua curationis ratione adhibemus, quare non eſt opus vt eadẽ denuò repetamus. In vitiligine verò quàm λεύκην vocant, nonnulli eam ferro

adurendam existimauerunt, probantes eam vstionem, quasi sola valetudini sufficiat: alij adustionem dolorosam, atq; ex hac cicatricem ceu indecoram fugientes, medicamentis quæ crustam inducunt vsi sunt, qualia & cicatricẽ concolorem efficiunt. Vtendum autẽ est, Adarcæ, seminis roris marini, sulphuris ignem non experti, æquis portionibus. hæc cum aceto trita, in sole illine, non confertim, ne cutis exulceretur: procedente verò tempore, aliquid veratri albi, & gallæ tantundem adycito. Porrò alphis conueniunt calx aqua abluta, aut dracunculi radix cum aceto imposita ceu cataplasma, veratrum item vtrunque, & lupinorum decoctum. Stigmata curabis, filotij fæces, quæ matulæ adhærent, cum acerrimo aceto oblines. Habet Crito, loco nitro præfricato, terebinthinam cataplasmatis modo impone, atq; alligatam sine sex dierum spatio: septimo verò dissoluito, & stigmata acu compũgito, & breui interposito tempore cruorẽ spongia detergeto, & tenui sale locũ confricato: deinde ad dies quinque medicamentũ impositum relinquito, quod sit huiusmodi, Thuris, nitri, lixiuij, calcis viuæ, ceræ, singulorum drachm. quatuor, mellis octaua pars. Quod vbi solueris, nigrum in medicamento reperies. In exanthematis autem, & maximè quæ crassi frigidiq; humores generãt,

lauri

©BIUM

Lauri folia tenella, & rutæ, & mannæ æquis singulorum partibus terito, & pro cataplasmate imponito: & thus cum oleo inũgito, aut ceram, sulphur vivum, sal in oleum conijce & obline. In epinyctibus verò, succum laserpitij aqua dilutum illinito: exiccat enim citra mordacitatem. Vel cicutam in læuorem redactam imponito, aut brassicam crudã cum aqua. Valet & ad epinyctidas, & pustulas, φλυκταίνας dictas, & calidas eruptiones, & ea quæ à feruore ingenti περισ'μαστα nuncupantur, & manantia capitis vlcera, incipientesq; furunculos, & exustiones, si argenti spumæ, & sulphuris viui æquas portiones cum aceto & oleo myrtino commixtas in strigmentitiam illitionem redegeris, eaq; vteris. Cæterùm ambusta, quæ moderatè astringentia requirunt, terra Chia, aut Cretica, aut cimolia, omnisq; terra cum aceto aquæ permixto illita, prohibet ne pustulæ enascantur. Ad exustiones autem aquæ feruentis, prius quàm pustulæ oboriantur, oliuarum salsarum muria continuè adsperge, ipsasq; oliuas sale conditas, cum farina tritas, cataplasmatis more impone, aut alumen scissile cum aceto tritum illine. Atqui ei qui vapulauit, pellem ouillam recenter detractam calidam circunda: id enim reliquis omnibus præstat medicamentis. Pili verò ex ambustis ena-

ſcuntur, ſi fici folia aſſa in olla cum cerato emplaſtri more impoſueris. Formicas autem & verrucas penſiles, quas ἀκροχορδόνας appellat, tollit elaterium cum ſale impoſitum, aut thus; aut groſti cum aceto, & farina ac nitrum. Cæterum furunculos diſſipat, & ad ſuppurationem ducit triticum manſum impoſitumq;, aut vuæ paſſæ exenteratæ, & cum ſale admotæ: vel fermentum cum nitro, vel lini ſemen cum melle, aut hyoſcyami folia cum butyro. In carbunculis verò, poſt vniuerſo dicatam victus rationem, ad partem laborantem, ea quæ modicè repellunt digeruntq; dabimus: cuiuſmodi eſt cataplaſma, quod ex plantagine & lente cocta conſtat, quod capit panis furnacei, nec admodum puri, neque ob furfures ſordidi, micam. Super vlcus autem, vehemens aliquod medicamentum impones, quale eſt Andronis, & Polyidæ, & Paſionis, quæ paſſo, donec ad ſordium venerint ſpiſſitudinem, diluentur.

Iam verò gangrænam, quamplurimi ſanguinis ex loco affecto, inanitione, curare oportet: etenim aut vena ſecta, ſi quæpiam magna circa ipſam partem reperitur, corruptum ſanguinem euacuare decet, aut cute circumcirca multis altisq; adactis plagis, ſcalpello diſſecta, ſanguis ſatis copioſus eſt ducendus: mox quæ ad putrida accommodantur, impone

ponemus, cuiuſmodi eſt quod ex aceto mulſo, farina erui, aut loliꝰ, aut fabariꝰ, & ſale componitur: aut andronis medicamentum. Cancer longè omniꝰ curatu eſſe videtur difficillimus: decet tamen eos qui artem humaniſſimam profitentur, experiri quid in eo quoque vitio profligando ipſa valeat. Proinde poſt totius corporis, ceu docuimus, curam, ad partialia & ea quæ loco admouentur, eſt accedendum, ſed quæ mitigandi vi prædita ſint. Quare ad canceroſos affectus, ſedis item tuberoſa, & pudendorum, teſtium' ve, aut mammarum phlegmonas, in plumbea pila, piſtillo plumbeo, Lemnium ſigillum ex poſca, vel mulſa, vel lacte terito, donec nigreſcat: aut roſaceum, omphacinum' ve oleum, vel ſuccum ſemperuiui, aut vmbilici veneris, vel lactucæ, aut pſyllꝰ, vel vuæ immaturæ terito ſimiliter & inungito. Archigenis ad canceroſa & maligna vlcera: Cancrorum fluuiatilium crematorum, & cadmiæ parem, inquit, modum læuigato, & inſpergito: aut cancrorum cinerem vnà cum cerato imponito. Porrò laxis tumoribus, quæ εἰδήματα nuncupantur, interdum abundè ſuccurrit ſpongia poſca imbuta, cum ligamẽto ſtringẽte impoſita, quod ab inferna parte incipiens, ſuprà finiat: eſto autem ſpongia noua, quæ ſi non fuerit ad manum, nitro aut lixiuio, quod

ſtillat

©BIUM

ſtillatitium nominant, expurgẽtur. Quòd ſi per hæc tumor non ſubſidet, paululum quoq; aluminis admiſcere oportet. Verùm quod ad reliquos molles laxoſq́; , atque omnes in vniuerſum tumores, qui ex aqua inter cutem contrahuntur, ſpectat, eorum dignotiones, ac quæ in ſumma curationis ratione opus habeant, iam anteà didiciſti: at quibus hic quoq; foris opus ſit medicamentis paulo pòſt explicabitur. Ad rupta verò & auulſa, ariſtolochia rotũda idonea eſt , ſimiliter centaurij maioris radix, & bdellium, & antidota illa quæ antea his conferre diximus. At verò vermes, qui in vlceribus generantur, & qui vocantur dracunculi, quæ amara acriaq́; natura ſunt, perimũt: quorum ſigillatim materiam, ex libris de ſimpliciũ medicamentorum facultate petes. Cæterùm iã nos alio quaſi denuò ſumpto exordio, de omni medicamento, quod exterius adhibetur, verba facere oportet, tam de eo quod ad plures vſus accommodatur, quàm quod ad vnum alterum've affectũ aſſumitur. Tu verò, qui ſingulos affectus dignoſcere potes, cuiq; tradita eſt medendi methodus, tum ex vniuſcuiuſq; facultate medicamẽti, tum ex eo quod frõte promittit facilè ſingulis affectibus ſua ſibi dicata medicamẽta tribues. Itaq; ab iis quæ linamẽtis cõcerptis excipiuntur, ἐμπλάστρα Græci vocant, & vuln

©BIUM

vulneribus induntur ex Galeni ſententia exorſi, ad ea quæ à mollitie μαλάγμαϛα appellantur, ac ad reliqua accedemus. Deniq; quo ſuis numeris integra cõſtet hæc noſtra cõmentatio, oleorũ vnguentorumq; ratione explicabimus.

De emplaſtris malachmatis & linimentis.

CAP. VIII.

EMplaſtrum è chalcitide Galeni, quod etiam palmeum nominant, capit veteris adipis, quam vendentes appellant axungiam, libras duas, olei vetuſti libras tres, chalcitidis trientem. Hæc hoc pacto coquere oportet: adipis membranulæ omnes eximuntur, ipſeq; contunditur, vt facilè liquari poſſit: poſthæc, ad ignem liquefit: deinde per colum tranſmittitur vt purus fiat, tuncq; prædictas duas libras pendeat: poſteà chalcitidis læuigatæ triens cum olei tribus libris adipi permiſcetur, adiectis argenti ſpumæ tribus quoq; libris. Atque vbi omnia ſimul in mortario in vnitatem coierint, eonũciuntur in cacabum, ac ligno palmæ agitantur, ſufficiet autem ramus vnus maiuſculus, vt ſolida ligni parte mouens vtaris, quo modo quæ ſpatha dicitur, vti ſolemus: ita enim nominant, quo miſturas mouent. Quod autem ſolidæ parti rami adhæret circunciditur, & tenelli vtrinq; procedentes ramuſculi abũciuntur, ſed cortice prius exuto, vt

ſegmen

segmenta iniecta, medicamento succum suum impertiant. Proinde statim ab initio spatha vtendum est, sed tenuia palmæ segmenta iniciendа, vbi medicamentum ad consistentiam cerato similem peruenerit: nam si ipsa initio immittantur, succus iniectorum, quem manere cupimus, absumetur. Quin & spathæ, qua medicamẽtum mouetur, pars intincta vbi inaruit, vt proprium nequaquam amplius seruet succũ amputata abiicitur, & reliqua vtimur: rursusq; eodem modo, si quæ in medicamento inaresçit, amputatur. Porrò perspicuum esse puto, palmæ ramum nõ debere multis antè diebus ab arbore abscissum esse: siquidem tempore aresçit. Itaq; hyeme pridie abscindatur, & æstate eo ipso die, quo medicamentum es coctturus. Vbi autem ita coctum fuerit medicamentum, vt manus non inquinet, ipso emplastro vtere ad vlcera quæ ægrè cicatricem ducunt, & sanguinem fundunt, oleo item liquefactum aptatur locis inflammatione obsessis, podagris, arthritidi, bubonibus, tuberculis, ambustis, pernionibus, fracturis, affectibus quos destillatio peperit omnibus. Iam multi quoq; qui hernias secant, post manus operam, ilico ipsum imponunt. Heræ emplastrum candidum, aduersus rabiosorum morsus, facit & efficaciter ad eos qui aquã reformidant, liberat

item

item à periculo ſtatim vulneri inditum: verùm his quibus iam nimium morbus dominatur, catapotium, nucis auellanæ magnitudine, ex eo eſt dandum, idq; diebus quadraginta. Cæterùm in lienoſis colorem immutat, nigrumq; euadit. Efficax eſt & ad hominum morſus, & canum, abraſa quæ difficulter cicatricem admittunt. Tollit etiam ſugillata, ὑπώπια vocant, vnius diei ſpatio, vulnera conglutinat: bene facit tuberculis & ſedis rimis, eſt & peſſus emolliens: oportet tamen poſt diem ſoluere, & nigredinem vlceribus obortam ſpongia detergere: idq; tantiſper dum nulla nigredo amplius appareat. Idem cicatricem inducendi vi præditum eſt, & ad omnia idoneum. Eius autem cõpoſitionis ratio hæc eſt: Ceræ Ponticæ libræ duæ, argenti ſpumæ chryſitidis libra, ceruſſæ libra, myrrhæ ſextans, medullæ ceruinæ ſextans, thuris vncia, olei vetuſti ſextarius. Argenti ſpuma coquitur, & vbi in ſtrigmenti concrementum coiſſe videbitur, cera, mox ceruſſa aſpergitur, ac agitatur. Cumq; in vnitatem coierint & manus non inquinauerint, à carbonibus depoſito, medulla immiſcetur: poſtquam refrixit medicamẽtum, myrrha ac thus injcitur, manuq; ſubigitur. Melinum Heræ ad inueteratos ſinus, etſi in vacua perforati ſint: idem etiã diſcutit ſtrumas, quæ in pueris nuper

orta

©BIUM

ortæ sunt: facit & ad artus, qui loco moti sunt. Argenti spumæ chrysitidis, resinæ pineæ siccæ, vtriusq; drach. centum, ceræ Ponticæ drachm. duodecim, olei sesquihemina, vini heminæ dimidium: argenti spuma cum vino læuigatur dum siccescat, post vnà cum oleo tantisper coquitur, dum mutata fuerit, & tunc resina læuis additur, ac cera coquitur donec tangentem non polluat. Nigrum optimum ad ossium fracturas: hoc medicamẽto vsus sum in fracturis, cùm multa ossa innatarent, omnibus exhortantibus vt innatantia eximerem & præstantissimum quiddam, quod omnium opinionem vinceret, miraculo simile effecit: siquidem ossa quæ vagarentur, atq; ab alijs essent separata, adeò retinuit, vt per totum cum alijs committeret & coagmentaret. Eius autem compositio huiusmodi est: Argenti spumæ, bituminis, vtriusq; drac. ducentæ, picis aridæ, ceræ, vtriusque drac. tres, resinæ terebinthinæ drac. quinquaginta, aluminis scissilis, propolis, vtriusq; drach. centum, ammoniaci suffimenti drachm. viginti quatuor, æruginis drach. decem, olei sextarij quatuor. Andreæ, quod eminentias omnes deprimit: vulneribus quoq; adhibetur, & cruentis vlceribus, ac ab inflammatione defendit: efficax item est ad recentia vulnera, atq; ea quæ pascendo serpunt, sinus agglutinat,

facit

facit & ad vlcera, quæ fluxionibus tentantur, & vetusta quæq; ægrè cicatricem admittunt. Argenti spumæ libræ tres, squamæ æris, chalcitidis, æruginis rasilis, singulorum quadrans, aceti hemina, olei veteris bes. Helleſpontium, cutem perſpirabilem reddit, ab inflammatione liberat, ſtrumis, panis, parotidibus confert: impoſitum ex eo ſplenium, attrahit, & pus gignit: cutem rumpit, glutinat: & in ſumma, ambuſtis ſubuenit, podagricorum dolores mitigat. Olei veteris drach. centum, picis aridæ drach. quinquaginta, ladani drac. quinque & viginti, ſpumæ argenti drachm. centum, æruginis rasilis drachm. tres ſeſquiſcriptulum, galbani drachm. quatuor. Spumam argenti cum oleo tritam coquito, cumq; collecta fuerit: picem & æruginem adijcito, mox ladanum & galbanum, atq; ita in mortarium conjectis, & tædaceo ligno ſubactis vtitor. Cteſiphontis emplaſtrum, quædam dirimit, quædam contrahit & rumpit: Spumæ nitri libra, mannæ libra: thuris, lixiuij ſtillatitij, ceræ, terebinthinæ, ſingulorum libra, quidam etiam viſci libram adijciunt. Aliud è viſco, attrahendi & diſcutiendi vi pollens, mammis prodeſt: Argenti ſpumæ olei, vtriuſq; libr. duæ, viſci quercini triens, gallarum triens. Emplaſtrum è ſeminibus, vt Philonides cõcinnabat:

©BIUM

seminis fœnigræci, aniſi, ſtyracis, bdellij, mannæ, thuris, cardamomi, cyperi, radicis panacis iridis, ſpumæ nitri, ſingulorum drach. quinque & viginti, ammoniaci, terebinthinæ, vtriuſque drach. quinquaginta, adipis taurini drach. ſexaginta, ſertulæ Campanæ drach. ſexaginta, ceræ drach. centum, mellis heminæ dimidium, vini hemina. Ex ruta emplaſtrum, ad coxendicis dolore tentatos: ſeminis rutæ ſylueſtris, laſeris, baccarum lauri, ſpumæ nitri, abrotoni, colocynthidis, cardamomi, ammis, ſingulorum drach. quatuor, rutæ viridis, picis, terebinthinæ, ammoniaci ſuffimenti, cerę, adipis, ſingulorum drach. octo, (nonnullis, ſingulorum drachm. viginti,) galbani drachm. ſex, opopanacis, ſulphuris, vtriuſq; drach. quatuor. Malagma contra ſtomachi inteſtinorumque defluctiones: conſtat œnanthæ beſſe, omphacij triente, carnis palmularum, quæ ſolibus illuſtratæ maturuerunt, ſextante: acaciæ, roſarum, vtriuſque vncia, aloës, gallarum, picis, aluminis rotundi, ſingulorum ſextante, cerę quadrante: aliqui thuris, & myrrhæ, vtriuſque quadrantem adijciunt: vini quod ad arida excipienda fuerit ſatis. Ad hydropicos, & inflationes: picis, cerę, vtriuſque libra, nitri, ſulphuris vini, aluminis ſciſcilis, ſingulorum ſelibra.

Baſſi

Baſsi medicamentum, quo ipſe vtens, neruorum antea reſolutione laborans, ſanitati eſt reſtitutus: habet olei myrtei, cyprini, vtriuſque trientem, olei veteris, atramẽti ſutorij, vtriuſq; ſeſquilibram, galbani quadrantem, mannæ trientẽ, ceræ libr̃a, terebinthinæ ſeſquilibram, opopanacis ſextantem, radicis bryoniæ, eruginis, ſpumæ nitri propolis, pyrethri, euphorbij, ſingulorum trientem, adipis hœdini ſelibram, aceti quod ſatis facit: bryonia, & pyrethrũ ex aceto coquitur, deinde liquor exprimitur, & aridis admixtus ac accuratè lenigatus liquefactis excipitur: vſus eſt, quem antea explicauimus. Medicamentum è caſtorio, membris reſolutis, παραλύσεσι vocant Græci, opitulatur, & ad omnes affectus vetuſtos valet: hyſſopi, terebinthinæ, vtriuſq; quadrans, medullæ ceruinæ trientes, ammoniaci ſuffimenti, galbani, caſtorij, piperis candidi, euphorbij, adarces, ſpumæ nitri, opopanacis, ſingulorum vncia. Linimentum è ſale ad podagricos, & arthriticos, omnem affectum emollit. Vſus eius ſit quotidianus: Salis ſordidi, hoc eſt ipſius terræ libræ duæ, aluminis ſciſſilis libra, fœcis vini ſextarius, floris lapidis aſij triens: terito aridæ diligenter, fœcemq; ſedulò lenigatam addito, quibus contritis olei veteris ſextarius affunditur, & vbi contuderis ad vſum excipitur: in

alijs exemplaribus ſcriptum eſt, melle excipi. Neapolitæ medicamentum, podagricis, arthriticis, & iſchiadicis omnem affectum adimit. Thuris, piperis candidi, ammoniaci ſuffimenti, myrrhæ, nitri, floris lapidis aſij, aluminis ſciſſilis, ſucci centaurij, ſingulorum ſextans, fæcis vini ſextarius, olei cyprini, laurini, myrtacei, ſtyracini, ceræ, ſingulorum libra, terebinthinæ ſemiſsis, galbani vncia, opopanacis ſemuncia: liquefacta tritis inſeruntur. Medicamentum Piſcatoris inſcriptum: nam cùm piſcator in antro degeret, & à morbo adfligeretur vſque adeo, vt totum corpuſculum diſtortum peruerteretur, hoc medicamento vſus eſt, & à toto affectu liber euaſit. Olei ſabini libræ tres, ſurculorum populi nigræ libra (quod ſi ſurculi deſint, vtendum eſt ſampſucho, vt eius duplex modus ſufficiatur. capit enim & ſampſuchi libram) vnguenti crocini, irini cyprini, cuiuſq; libra, maſtiches vncia, myrrhæ ſtactæ ſelibra, picis nauibus deraſæ, pinguedinis ſuillæ, vtriuſque libræ tres, ſulphuris ignem non experti, ſpumæ nitri, galbani, ſingulorum quadrans, medullæ ceruinæ triens, ſanguis decem teſtudinum terreſtrium medicamento trito iam & parato inijciendus eſt. Conficitur autem, vt anteà dictum fuit: vſu expetente ſummouere è medicamento libram vnam oportet, cui ſuauitatis

uitatis gratia opobalſami, & vnguenti malabathrini vncia infundatur. Flauij Clementis medicamentum: hoc nouimus ob podagram chiragramq; toto corpore obtortos vſos eſſe atq; ita ſanitati reſtitutos, vt ſine nocumento & illæſi obambularent. Accipit olei ſabini libras duodecim, radicis cucumeris ſylueſtris libras duodecim, ceræ, terebinthinæ, medullæ ceruinæ, galbani, ſingulorum librã, ranas ſex. oleum partimur: atq; in hoc ranas, in illo radices coquimus: adhæc, liquore percolato vtimur. Medicamenti ἀνώδυνα, hoc eſt laſſitudinem diſcutientis uſum præſtat, ſi addimus ſcripturæ ſampſuchi ſeſquilibram, unguenti crocini, malabathrini, utriuſq; libram, opobalſami uncias tres, & decem teſtudinum ſanguinem. Aliud acopum, quod ex alto euocat, coxendicis, articulorum doloribus, membris relaxatis, & tremulis accommodatum: vetuſtos affectus innouat, & caput dolentibus prodeſt. Adarces vncia, myrrhæ, ſpumæ nitri, euphorbij, opobalſami, ſingulorum ſextans, ſtyracini vncia: concoctionẽ item iuuat. Acopum aliud, aduerſus vetuſtos coxendicis cruciatus, et articulos cõtractos, ἀγκύλας vocant Græci, & adreſolutiones neruorũ apprimè efficax: Habet olei veteris libras duas, irini, laurini, ſtyracini, ſingulorũ ſelibram, terebinthinæ

Actuarii Joannis filii Zachariae operum - page 597 sur 731

©BIUM

euphorbij, caſtorij, ammoniaci ſuffimenti, piperis, opopanacis, galbani, ſingulorum quadrantem, medullæ ceruinæ trientem: liquatis liquabilibus, ipſa aridis affunduntur, atq; vbi in vnitatem coierint ad vſum aſſumuntur. Acopum viride, admodum efficax: quare inter laſſitudinis initia non confert, niſi frigus vehemens violenter prehenderit, verùm in diuturnis laſſitudinibus magis prodeſt: podagricis & arthriticis ſuccurrit, ſi ante balnea, pedes neruiq; incraſſati medicamento perfricentur: ita nanq; noui quoſdam valetudinem priſtinam recuperaſſe. Capit ammoniaci ſuffimẽti libras duas, thuris, ſpumæ nitri, æruginis, hyſſopi, ſingulorũ vnciam, myrrhæ, galbani, opopanacis, ſingulorum beſſem, euphorbij, adarces, vtriuſq; trientem, ceræ libras duas, terebinthinæ libras duas, drachmas quatuor, olei laurini, cyprini, gleucini, ſingulorum libram, irini, lentiſcini, vtriuſq; libras duas: cum aceto ſubigũtur, & efformantur vt reliqua. Emplaſtrum aureum, & polyarchion contra frigidiores ſuccos, qui ventriculum obſident, & quartanas febres, poſt concoctiones præcordijs impoſitum: item aduerſus iecinoroſos, ſtomachicos, lienoſos, & lateris inflammationes, eosq; qui frigido affectu afficiuntur: at in calida intemperie minimè idoneum eſt. Et, vt in vniuerſum dicam,

infarct

©BIUM

infarctum extricat. πολυάχυρ: amomi, xylobalſami, croci, ammoniaci, ſtyracis, aloës, thuris, cyperi, roſarum ſiccarum, enulæ Campanæ, ſucci abſynthij, celticæ, bdellij, piperis, iunci odorati, cardamomi, caſiæ, myrrhæ, adipis anſerini, cyphei, ſingulorum vncia, folij, balſami, vtriuſque ſextans, ſpicæ nardi triens, terebinthinæ, ſextula Campanæ, vtriuſque ſelibra, maſtiches libra, ceræ libræ tres, vini odori quod ſatis eſt. Aureum, pulueris nardi, & ænanthæ, vtriuſq; quadrans, ſampſuchi, iridis, celticæ, ligni aloës, liquoris Cyrenaici, galbani, ſingulorum ſextans, croci vncia, maſtiches, ſtyracis, opopanacis, ſagapeni, ſingulorum triens, balſami ſextans, nardini quantum ſufficit: pulueres nardi tradentur in eorum confectione. Odoratum medicamentum, quod conſtat, croci: aloës, comarum abſynthij, calami, roſarum aridarum, cyperi, ſpicæ nardi, micarum, lentiſcini olei, nardi, ſingulorum triens, maſtiches, carnis palmularum & cotoneorum, ammoniaci, bdellij, ſingulorum ſelibra, terebinthinæ bes, ſtyracis, propolis, vtriuſque vncia, ladani, ceræ, colophoniæ, ſingulorum libræ duæ: palmulæ & micæ cum ænanthe macerantur, eaq; læuigata ac trita in vnitatem redeuntur eo quo dictum eſt modo. Τὸ πεπτὸν, ad iecinoroſos, ſtomachicos,

Actuarii Joannis filii Zachariae operum - page 599 sur 731

chicos, omnemq; duritiem: Masticbes, ſtyracis, ladani, ammoniaci, propolis, ſingulorum libra, thuris, galbani, ſingulorum ſelibra, terebinthinæ quadrans, nardini ac vini quod ſatis facit. Medicamentum è ſeminibus diſcutiens omnem inflationem ac duritias emolliés: lini ſeminis, ſeminis fœnigræci, aniſi, baccarum lauri, petroſelini, ſampſuchi, myrrhæ, celticæ, cardamomi, ſextulæ Campanæ, iridis, caſiæ, herbæ Sabinæ, thuris, croci, radicis panacis, nitri, ſtyracis, ſeminis apij, cyperi, ſingulorum ſextans, adipis taurini libra, ammoniaci libr. quinq;, terebinthinæ libræ duæ cum ſemiſſe, ceræ, colophoniæ, vtriuſq; libræ quatuor, mellis, ſelibra, vini quantum ſufficit. Medicamentum è baccis lauri, ad ſtomachicos, aqua intercute laborantes, iſchiadicos, lienoſos. Ceræ, reſinæ pinus, nitri, baccarum lauri, colophoniæ, picis, cuiuſque libræ quatuor, ammoniaci libra, ſinapis, floris roris marini, pyrethri, galangæ, euphorbij, ſampſuchi, cardamomi, iridis, adipis ſuilli, adipis taurini, ſingulorum triens, Cyprini olei, pars decima & ſexta. Rutaceum emplaſtrum, iſchiadicis, ijs qui lumborum, humerorumq; dolore torquentur auxilio eſt: item ijs qui diſtillationibus ſunt obnoxij, & quibus ad thoracem humores defluere ſolent eſt idoneus: ceræ libræ quinq;, colophoniæ libræ tres,

tres, ammoniaci, ſulphuris ignem non experti, vtriuſq; ſeſquilibra, foliorum rutæ, adipis ſuilli, ſpumæ nitri, ſingulorum libra, adipis taurini libræ tres, butyri ſextans, olei quod ſatis eſt. Ex œnanthe medicamentum, pollet aduerſus iecinoris imbecillitatem, ſtomachicos, cœliacos, & dyſentericos. Oenanthæ herbæ, acaciæ, roſarum, croci, gallarum, rhois Syriaci, thuris, aloës, ſicci vuarum acerbarum, florum ſylueſtris Punicæ, ſingulorum quadrans, palmulæ quindecim, abſinthij ſelibra, ammoniaci libra, colophoniæ libræ duæ, ceræ libræ quatuor cum ſemiſſe, lentiſcini & melini quantum ſatis faciet. E butyro, ad dolores pectoriſq; perfricliones, ac tuſſiculas inde enatas: Ceræ libræ quinq;, butyri ſelibra, terebinthinæ ſeſquilibra. Anethinum ad eadem: Ceræ libræ decem, adipis ſuilli libræ duæ, olei anethini, & chamæmelini quod ſufficit. Emplaſtrum è ſalicibus, quod cruentis vulneribus, & vlceribus accommodatur, conglutinans: valet item ad eos quorum articuli fluxionibus tentantur, aut ſcapulæ, vel lumbus, aut coxendix, dilatatum explicatumq; aſtrictionis ratione, obſtat quominus fluxio deferatur, intus concludens ac firmans locales partium facultates: præhumida quoq; vlcera, & quæ manus operam poſtulant, exhaurit. Ceræ, reſinæ pinus, bituminis,

Actuarii Joannis filii Zachariae operum - page 601 sur 731

©BIUM

ſingulorum libræ quatuor, myſyos, chalcitidis æruginis raſilis, ceruſſæ, gallarum, aluminis ſciſsilis & rotundi, atramenti metallici, malicoriorum, ſingulorum libra, atramenti ſutorij libræ duæ, picis libræ quatuor, foliorum ſalicis libræ quatuor, olei & aceti modus qui ſufficit. Aſclepiades citra atramentum ſutorium & malicoria conficiebat. Emplaſtrum ex ochra, pollet aduerſus nephriticos, & ictum: habet quoq; vim emoliendi: Capit ceræ, reſinæ pinus, colophoniæ, ochræ, ſingulorum ſelibram, maſtiches, thuris, vtriuſq; trientem, terebinthinæ ſeſquilibram. Ex ſucco emplaſtrum, recens illata vulnera ab inflammatione tuetur, diuulſaq; conglutinat: docuit quoque nos inflammatione correpta vlcera, ac muſculos vulneratos, citra alterius cataplaſmatis, quod auxilio eſſe poteſt, opem, aut ſpongias, aut prædictas irrigationes curare: præſtantiſsimum item eſſe peſſum, tam in vetuſtis quam recentibus veteri inflammationibus: adhæc vlcera caua, roſaceo aut myrtino madentia, implere, ac cicatricem obducere. Seminis fœnigræci, ſeminis lini, radicis althææ, ſucci horum trium libræ 12. ſpumæ argenti tantundem, olei omphacini libræ tredecim, aut quindecim, vini quod ſatis ſucit. Mnaſæi emplaſtrum, emolliendi, diſcutiendiq; vi præditum.

Spumæ

Spumæ argenti boici libræ quindecim, adipis taurini libræ quinque, olei quod ſufficit. E ſale emplaſtrum, repellendi ac diſcutiendi facultatem obtinens: Conflat argenti ſpuma, ceruſſa, vtriuſque libris ſex cum ſemiſſe, olei libris decem, aquæ marinæ libris duabus, ſalis communis quincunce. E melle emplaſtrum, ad ictus: vlcera quoque repurgandi vi pollet. Ceræ, colophoniæ, adipis ſuillæ, argenti ſpumæ boici, olei veteris, mellis, ſingulorum libræ quinque, terebinthinæ dodrans. E micis, emolliendi, diſcutiendique vim obtinet: Radicis althææ, palmularum, ceræ, terebinthinæ, fœnigræci, ſeminis lini, ſingulorum libra, chamæmeli, ſertulæ Campanæ, vtriuſque ſelibra, vini cadi duodecim, ceruſſæ, ſpumæ argenti, colophoniæ, olei vetuſti, ſingulorum libr. quinque, μαλαχίας libræ quinque: fœnumgræcum, lini ſemen, ſertula Campana, althææ radices in vino maceratæ ferueant, ac ſaccis tranſmittantur, proïcianturq;. Carnes verò palmularum probè tritæ, vnà cum chamæmeli floribus, cum reliquis in vnitatem coeant.

E maſtiche emplaſtrum, μαστιχικὸν Græcis dictum, valet contra ictus, articulorumq; dolores. Ceræ libræ duæ, colophoniæ libræ quatuor, maſtiches bes, terebinthinæ triens, galbani bes, ammoniaci libra.

Flauum

©BIUM

Flauum vnguentum, enutriendi, detrahendi; vim obtinens: Ceræ, resinæ pineæ, vtriusq; libr. quatuor, adipis suilli libr. quinq;, thuris, mastiches, galbani, terebinthinæ, singulorum selibra, adipis gallinacei, & anserini, vtriusq; sextãs, medullæ ceruinæ quadrans. Tetraphar macum, carnem alit, emollit, concoquit: Ceræ, picis, colophoniæ, adipis bubuli, singulorũ libræ septem. E cerussa medicamentum, cicatrices complet: Spumæ argenti sesquilibra, cerussæ libræ quatuor, ceræ albæ libr. septem, olei quod sufficit: oleum & argenti spumam tandiu coquito, donec manus non polluat, deinde reliqua adjcito. Porraceum, ad carnis excrescentias, vetustaq; vulnera, ac ex cicatricibus relictas notas: Ceræ libræ quatuor, colophoniæ libræ quinque, æruginis rasilis libra, aut libræ duæ, olei & aceti quantum subigendo satis facit. E myrto vnguentum, Cæræ libris octo, plumbi usti libris quatuor, argenti spumæ libris octo, serici libris quinque, cerussæ besse, olei myrtacei libris sex constat. Ex ostrea medicamentum, Ceræ candidæ libræ quatuor, cadmiæ crematæ & elotæ libra, ostrearum ustarum & ablutarum libra, cerussæ libra vna aut duæ, argenti spumæ lotæ libra, olei myrtini modus sufficiens. Ex anchusa, Ceræ libræ quatuor, aut septem, anchusæ libræ tres, aut duæ,

olei

olei rosacei quantum sufficit. E sandyce. Ceræ libr. sex, sandycis libr. duæ, olei rosacei quod satis est. Neruos emolliens medicamentum, Ceræ libr. octo, colophoniæ libr. tres, myrrhæ, bdellij, galbani, ammoniaci, aloës, opopanacis, mastiches, butyri, olei cyprini, gleucini, nardi, olei rutacei, bituminis, singulorum libra, terebinthinæ, adipis vrsini, vtriusq; libr. duæ, adipis taurini, adipis suilli, vtriusq; libr. tres, medullæ ceruinæ, olei tædacei, olei laurini singulorum libra triens, euphorbij, naphthæ, vtriusq; bes, olei communis libræ octo. Emplastrum quinque simplicibus constans, ὃ πενταφάρμακος dictum, ad vetusta pedum capitisq; tubercula. Ceræ, colophoniæ, seui bubuli, calcis, picis, singulorum libræ septem. Album rosaceum emplastrum, carne explens & ad cicatricem perducens. Ceræ candidæ sesquilibra, aluminis septunx, thuris selibra, terebinthinæ selibra, ceruſſæ libræ sex, spumæ argenti libræ quatuor, rosacei quantum sufficit. Ex althææ medicamentum vim emolliendi possidet. Colophoniæ, ceræ, vtriusque libra, olei, succi althææ libræ duæ. E Castorio, pollet aduersus eos qui coxendicis dolore vexantur. Mastiches, opopanacis, ammoniaci, euphorbij, adarces, castorij, hyssopi humidæ, medullæ ceruinæ, singulorum vncia, galbani, terebinthinæ, succi tiberiadis, singulorum sextans,

ſextans,cumini triens,ſinapis quincunx,ſtyracis ſelibra,chamæleonis,fœnigræci,vtriuſq; bes, colophoniæ,reſinæ pineæ,ceræ,ſingulorum libr. duæ.picis libr. quatuor, cyprini quantum ſufficit. Primmionis emplaſtrum mirabile, vlcera cicatricibus obducit. Valet ad deplorata, quæ multi curare conati,ſine ſuo ſunt fruſtrati. Malicorij,calcis ignem non expertæ, aluminis, ſingulorum ſextans, thuris,ſ gallarum,vtriuſq; triens, iridis quadrans, ceræ libræ quadrans, adipis vitulini libra, olei veteris dodrans. Flauum emplaſtrum repertum:apud Heram, efficax ad omnem vetuſtiorem duritiem, ad cruciatus cuiuſcunq; generis, ſinus item ſi vetuſti fuerint conglutinat: conuenit quoq; arthriticis, & qui affectibus deſtillatorijs infeſtantur, foris impoſitum. Olei veteris ſextarij tres,ceræ libr.ſex, ſpumæ argenti libr.quatuor & ſemis, reſinæ pineæ ſiccæ drach. octoginia, chalcitidis aſſæ drach. quatuor,chalcitidis crudæ libræ duodecim, aceti hemina. Scabiei dicatum linimentum: Habet chamæleonis lupinorum,cretæ, herbæ pedicularis,ſulphuris igne non experti,ſingulorum libram,ſpumæ argenti libras duas,gith,ſtyracis,ſpondylij,cadmiæ,ſaris cretæ, ſigularis, alcyonij,ſingulorum ſelibram, lyſſomodi, rumicis radicis,ſingulorum beſſem,ſpumæ nitri quadrantem,olei & aceti quant

quantum ſufficit. Maſuphæ confectio, coniici debet in noſtrã, quæ odorata inſcribitur: caryophylli, coſti, vtriuſq; duella, folij, ſpicæ nardi, roſarum, ſingulorum ſextulæ octo ſcrupuli duo, amomi, ſtyracis, vtriuſq; duella, gummis ſextulæ quatuor. Ex Ampare medicamẽtum, ad ſtomachi perfrictionem, ac imbecillitatem, palpitationem item, metuſq; inde exortos, ac melancholias. Maſtiches ſextulæ decem, ladani dextans, ceræ, terebinthinæ, ſtyracis, ſingulorum ſextans, piperis, ſpicæ, cinamomi, ſingulorum ſextula, ligni aloës, amparis, vtriuſq; ſextulæ tres, olei balſamini ſextula. E charta medicamentum, ad ſerpentia vlcera: Squamæ æris, chartæ vſtæ, vtriuſq; drachm. vigintiquatuor, auripigmenti, ſulphuris ignem non experti, vtriuſq; drachm. duodecim, plumbi vſti drach. ſex. Puluis ad externas ſanguinis eruptiones: Thuris, aloës, aluminis, ſarcocollæ, gummis, ſpumæ argenti, ſucci acaciæ, ferri recrementi.

Linimenti genera, quibus in balneo oblinuntur, qui ſcabie, lepra, & vetuſtis pruritibus tentantur, ſunt hæc: auripigmenti duella, piperis longi ſextula, herbæ pedicularis ſextula. Cæterùm pro habitus: ſenſus facilitatis: ac humorum copiæ ratione, ſpecies vel demes, vel adaugebis. Scabiei idoneum, ad incipientem elephantiã: nitri, aluminis, ſulphuris viui, ceræ,

ceræ, ſingulorum ſextans, picis triens, olei, in quo rhododaphnæ frutices fuerint cocti libra: ſunt qui addant ſulphuris ſelibram. hoc totum corpus ad oculos vſq; illinendum eſt: quidam eius vſu decem dierum ſpatio repurgati fuerũt. Malagma τὸ μονομάχιον quaſi quod vnicè contra noxas pugnat, valet ad iecinoris, lienis, alui, vteri inflammationes ac duritias, ad loca in tumorem ſublata, ad ſtrumas, inguinum inflammationes, tubercula, ac, vt vno verbo abſoluam, omnem duritiem mirum in modum diſſoluit. adhæc, aduerſus inteſtinorum inflationes, & dolores, vt exploratum probatur. Spumæ argenti ſelibra, farinæ radicis althææ dodrans, ſeminis maluæ ſylueſtris quadrãs, adipis ſuilli vetuſti quadrans, adipis anſerini ſeſquũcia, adipis gallinacei vncia, farinæ fœnigræci quadrans, ſeminis lini vncia, farinæ ſertulæ Campanæ ſemuncia, medullæ cerui quadrans, ceræ ſelibra, galbani, colophoniæ, vtriuſq; ſextans, olei vetuſti vnciæ quindecim farinæ anethi ſemuncia, chamæmelini quadrans, veratri candidi drachm. tres, ſampſuchi vncia. liquantur quæ liquari poſſunt, & arida adijciuntur. Ad hæmorrhoidas, hæ emortuæ ceu vuæ paſſæ exiccantur, & ſeptem dierum ſpatio decidunt citra vlcerationem. Condylomata quoque & fiſtulæ hoc cataplaſmatis modo inunguntur,

ac per

ac perſanantur: vini fæcis crematæ drachm. tres, miſys ſiciliquus, allij, mannæ ſiciliquus. Fax vritur, donec inalbeſcat.

De peſſis. CAPVT IX.

PEſſus, ad vteri ſtrangulatus: Adipis anſerini ſelibra, adipis phaſiani quadrãs, ceræ ſelibra, croci vncia, ſpiſſæ nardi, amomi, maſtiches, ſingulorum vncia, opobalſami quadrans, irini ſelibra. Alter, Ceræ candidæ dodrans, adipis anſerini, terebinthinæ, vtriuſque ſelibra, maſtiches, ſtyracis, croci, ſingulorum quadrans, vnguenti nardi ſelibra. In vtero hydropico affectu correpto, poſt reliquam curationem, his eſt vtendum: Nitri, colocynthidis pares portiones melle excipito, & peſſi modo ſubdito, eúq; in Cyprino oleo intingito. Alius, Cumini, nitri pares portiones cum melle ſubijcito. Alius, Colocynthidis, ſalis vtriuſque drachma: ficuum pinguium carne excipitur, vt nucis Ponticæ æquet magnitudinem, ac ceu glans ſubtus datur: attrahit nanque graueolentem humiditatem, & mirificè prodeſt: hoc digito quoque admotum, alui fæcem prolicit, humoresq; craſſos, & ſtatus diſcutit, vterumq; leniorem efficit. In vteri verò inflammatione, huiuſmodi peſſorum vſus accommodatur: papaueris capita in paſſo decocta, vſque dum liquefiant exprimito ac percolato, & medulla

ceruina aut vitulina adiecta, vel adipe anſerino vtitor. Alter qui aureus nuncupatur, efficax ad vteri inflammationes, eiusq; in latus inclinationes. Vitelli ouorum aſſatorum numero ſex, medullæ ceruinæ drachm. quatuor, croci, hyſſopi, vtriuſque ſiliquuæ, ceræ candidæ, terebinthinæ, adipis anſerini, ſingulorum drachma. Ad vetuſtas formicas, ſulphuris viui, ſandarachæ, æquas partes cum aceto ſubigito. Addidimus & elaterium, ac mirum in modũ formicis, verrucisq; penſilibus, quas ἀκροχορδόνας vocant, profuit. Hæmorrhoidas delet, mororum ſeſquuncia, chalcitidis tantundem, medici drachm. pennarum corui ſcriptula viginti vnum. Vbi pennarum ſumma torrefacta in læuorem redegeris, omnia vino excipiũtur, vt ſtrigmenti habeant ſpiſſitudinem. Atque ſi venæ ſedis ſanguine turgentes intus latent, medicamentũ infunde, ſin foris prominent, inunge. Mirè quoque ſuccurrit rimis in præputio, tam incipientibus, quàm inueteratis, propter lotium, quod inter meiendum inter glandem ac præputium detinetur.

De vnguentorum & oleorum compoſitorum vitibus ac ratione. CAP. X.

SErmonem de oleorum compoſitione reliquis non minus vtilem, iis quidem qui methodum in medendo ſequuntur, iam, vt ne hac

Hac quidē parte ratio medica per omnia proficiscens, deficiat, explicabimus. Et quemadmodum ex iam dictis sumpta occasione, alia ad eorum formā consimilia condere, & in alia incidens medicamenta, qua vi polleant, quibusq; potissimum affectibus magis cōgruant, nouisse potes: ita & rationibus, quibus oleorū compositiones contineri videntur, expositis, ac quàm maximè opportuna complectentibus, te ea quæ iam tradentur, insequentem, alia quoque iuxta eam rationem concinnare permittam. Ac primum à nardino, ceu cæteris sumptuosiore exorsi, deinceps reliquorum, quæ nobis magis explorata sunt mētionem faciemus. Nardinum igitur vnguentum, excalfacit & astringit: quocirca ijs auxiliatur, qui astrictione caloréque indigent nempe stomachicis, cœliacis, destillationi & thoracis vitio obnoxijs, & suspiriosis: admiscetur quoq; emplastrorum compositionibus. Eius autem concinnandi ratio ita se habet: Olei libr. tres, enulæ Campanæ, ligni aloës, iridis, foliorum myricæ, aristolochiæ, arboris thuriferæ, frondium lauri, casiæ, xylocasiæ, iunci odorati, costi, amomi, styracis, myrrhæ, cardamomi, caryophylli, hali, ladani, asari, Zarnabæ, myrobalani, fructus balsami. terebinthinæ, singulorum vncia, aspalathi, piperis, cinamomi, singulorū duella, cyperi, xylo-

balſami, folij, ſpicæ nardi Celticæ, xylocinamomi, bochi, ſingulorum ſeſquiſextula, balſami duella, vini odorati quantum ſatis eſt. Gleucinum efficax cõtra horrores, neruorumq; affectus. Olei porracei libr. tres, vini veteris cadi quatuor, muſti libr. vigintiduæ, foliorum myricæ aridorum, caſiæ, vtriuſque vncia, frondium lauri vnciæ duæ, ſecuridacæ, artemiſiæ, cyperi, piperis, ſpagni, bdellij, iridis, carpobalſami, crocomagmatis, aſari, fœnigræci, ſingulorũ vncia: myrrhæ, lini balſami, ariſtolochiæ rotundæ, cuiuſque ſemuncia, ſtyracis, ladani, croci, opopanacis, cardamomi, amomi, ſertulæ Campanæ, roſarum ſiccarum, ſampſuchi, fœniculi ſingulorum ſeſquuncia, aſpalathi, thuris, roriſmarini, calami odorati, caſiæ nigræ, coſti, nardi Celticæ, inuolucri fructus palmæ adhuc florentis, ſingulorum ſelibra, cambi, hoc eſt, baccarum myrti, ſeſquuncia, enulæ Campanæ libra. Conficitur verò hoc pacto: viridibus in mortario contuſis, oleum et muſtum cum vino vetere toto conũcito: debet autem impleri dimidium oleo, aut vino vetere, reliquumq; muſto, quod mediam olei menſuram pendat: ea diebus quinque macerari ſinuntur: poſtea vſque dum muſtum feruerat, vinumq; vetus, coquuntur, deinde percolato decocto, herbas abijcito, atque vt iacturam ſuppleas, olei quod remanſe

ꝛ. manſerat, & muſtum vnà cum tradicibus, præcoćlo oleo, cæterisq; tuſis, ac denſo incerniculo excuſſis, adȳcito: atque omnibus ad vnitatem redactis, diebus quinq; madeſcere permittito, rurſusq; vſque ad totius muſti feruorem coquito, & colata ſex diebus ita ſinito: demum colo tranſmiſſum oleum in vaſe vitreo reponito. Cyprinum oleum facultatem obtinet calfaciendi, emolliendi, vuluæ, & neruorum adfećtibus ſubuenit, laterum inflămationibus illitum auxiliatur, lienoſis item cum exiguo aceto inungitur, miſcetur & ceratis & malagmatis, conuenit ȳs quibus ceruix in ſcapulas conuellitur, angina laborantibus & inguinum inflammationibus, illitum: præſtantiſsimum quoque eſt linimẽtum ȳs qui ob laſſitudinem febriunt: foliorum citri, cyperi, iridis, ſaluiæ, ſampſuchi, cumini Æthiopici, myrrhæ, ſtyracis, maſtiches, ſingulorum quadrās, arboris thuriferæ, ariſtolochiæ, ſeminis ammis, ligni balſami, xylocaſiæ, ſingulorum triens, enulæ Campanæ, aſpalathi, floris liguſtri, ſingulorum ſelibra, violarum vncia, cupreſſi ſextans, foliorum lauri quadrans, rutæ ſextans, opopanacis ſextans, olei cadus: hæc vbi vini veteris & aſtringentis tribus cadis fuerint præmacerata, vnà cum oleo decoquuntur tribus horis, folia citri, arbor thurifera, folia lau-

©BIUM

ri, cyperus, enula, aſpalathus, ariſtolochia, iris, ſaluia, ſemen ammi, ruta, & cupreſſus: deinde deterſis ſordibus herbæ proiiciuntur, ac oleo reliqua ſuprà enumerata adiiciuntur. Sicyonium, calfacit, diſcutit, & emollit: Floris roriſmarini, pyrethri, euphorbij, agarici, caſtorij, nitri, ſingulorum quadrans, radicis cucumeris ſylueſtris libr. duæ, olei & vini modus qui ſatis facit. Roſaceum oleum refrigerat, & aſtringit, inflammationibus, & phrenitidi ex aceto capiti illitum accommodatur. Roſarum rubrarum detractis vnguibus, & nocte dieq; marceſcentium quadrantem, in olei ex acerbis oliuis expreſſi ſeſquilibra, operculato vaſe, dies quadraginta inſolato: hoc potum aluum ſoluit, & ventriculum æſtuantem reſtinguit, vlcera cæua nutrit, & ad vteri inflãmationem pollet: cum melle ac ſalis exiguo infuſum inteſtina laceßit ac irritat, & in dolore dentium vtiliter colluitur. Anethinum, ad horrores cir cuitu repetentes callidum illitum, laßitudines, & articulorum dolores valet: ſubter item inditum, vteri duritias emollit. Anethi viridis per diem & noctem marceſcentis vncia, in olei dulcis ſeſquilibra, operculato vaſe dies quadraginta inſolatur. Chamæmelinum illitum per ſe, vel cum vino bene diluto calido, rarefacit, febrem præcipuè diuturnam diſcutit: quinetiam

etiam omnium corporis membrorum dolorem illitum leuat. Chamæmeli florum sine candidis foliolis sextantem, in olei libra vitreo vase linteolo cooperto, quadraginta dies insolato.

Oleum è lilio, muliebribus vitijs congruit, vlcera capitis manantia, fissures, feruidæ eruptiones hyeme contractas, illitum sanat, atque ad omnem inflammationem cum vitellis ouorum inunctum accommodatur: potum deiectionem bilis per aluum molitur: stomacho aduersatur, & nauseam parit: Foliorum lilij, demptis vnguibus, ab imis partibus sextans, olei dulcis libr. tres. vbi triduo insolaueris, alia prioribus abiectis adijci debent, rursumq; triduo exacto, aliæ, térque id negocium est obeundum. hoc tepefacientem facultatem obtinet. Rutaceum calfacit, & exiccat: quare destillationibus ac doloribus thoracis, reliquorumq; corporis membrorum, quæ calfieri postulant, accomodatur. Comarum rutæ & foliorum die nocteq; vna tabescentium vncia, olei libra: anethini modo soli exponitur. Violaceum oleũ, vtpote refrigerans, ad feruentes inflammationes idoneum est. Violarum quadrans, olei libræ duæ. Myrtaceum refrigerat ac astringit: quocirca cœliacis affectibus conuenit ambusta item & exanthemata illitu persanat: valet ad attritus quos hyems genuit illitum, ad sedis

rimas, condylomata, atque ad artus laxatos: sudorem quoque reprimendi vi pollet. Accipit foliorum myrti tenerorum vnciam: concidantur, & in olei immaturi sextarium demittuntur, & vt cætera administrantur. Irinum calfacit, emollit, roborat, iridis, aspalathi, baccarum viticis, piperis, enulæ Campanæ, singulorum vncia, opopanacis, iunci odorati, vtriusq; vncia, anchusæ duella scriptula duo, casiæ semuncia, xylobalsami vncia, nardi Celticæ vncia, olei modus qui sufficiet. Melinum astringit, quamobrem ad stomachi iecinoriq; imbecillitates est vtile, & ad ventrem defluxionibus infestatum: malorum cotoneorum exempta medulla, selibra, olei omphacini sextarius, mala in minutas partes dissecta adiecto oleo dies quadraginta insolato. Mastichinum, leuiter calfacit, & amplius astringit: quadrat cœliacis, stomachicis, & dysentericis, vitia faciei illitum delet, & colorem cutis commendat: mastiches vncia, olei immaturi sesquilibra: coquuntur in duplici vase. Ratio compositi mastichini ita se habet, olei libr. septuaginta, xylobalsami libr. decem, iunci odorati lib. quinque, xylomastiches libr. octo, terebinthinæ lib. tres, comarum absynthij libra, vini odorati lib. quindecim: arida in vino tribus ante diebus macerata oleo & vino miscentur, & horas

sex

ſex coquuntur, mox maſtiche & terebinthina probè liquefacta iniiciuntur, colataq; & refrigerata in vas transfunduntur. Laurini compoſitio eſt huiuſmodi, Olei maturi libr. ſeptem & ſemis, baccarum lauri maturarum ſeſquilibra, commiſtis & mollitis oleum excernitur. Quidam baccas ſeparatim molliunt, & ita oleum exprimunt: eſt autem hoc merum & ſyncerum laurinum excalfacit vehementer, & emollit: ideoq; ſcabie infeſtatis, & aſperis impetigimibus conflictatis illitum medetur. Cæterùm eo abſtinendum eſt in impetigine ac ſcabie inflammationem minante, ac in calida bilioſaq; temperie: nanque frigidis & humidis ac pituitoſis, necnon quorum articuli perfrictione tentantur, & coxendicum dolore laborant, accommodatur. Vermes & pediculos enecat: capitis furfures, alopecias & ophiaſes corrigit: vſus eius eſt in lauacro, deinde abſtergere oportet ouo & melle ac fœnigræci farina, ſed cauendũ eſt ne capite calido admoueatur. Omphacinum oleum eſt, quod acerbis vuis exprimitur, Græci ὠμοφάγινον appellant, ſtomacho propter ſuam aſtrictionem idoneum, prægnantes gingiuas reprimit, & ore detentum dentes labentes firmat, ſudores cohibet illitum, cõtra venena lethifera aſſiduè potum & vomitione reiectum datur: decoctum verò cum ruta

Actuarii Joannis filii Zachariae operum - page 617 sur 731

©BIUM

torſionibus correptis exhibetur: eſt & in vetuſtis febribus præſentiſſimum linimentum. Amygdalinum prodeſt aduerſum inflammationes & vteri in latus inclinationem, eiusq; ſtrangulatus, infuſum: capiti irrigatum, eius doloribus medetur: aurium labores, ſonitus, ac ſibilos inſtillatum diſcutit: valet & ſorptũ ad nephriticos, ægrè lotium reddentes, calculoſos, iecinoroſos, ſuſpirioſos, tabidos: maculas faciei delet, eamq; erugat, ſi melle & radice lilij ac roſaceo, tanquam cerato abſtergatur: oculorũ abolet hebetudines, manantia capitis vlcera, furfuresq; ex vino deterget: hoc quidem μέλιπιον nuncupant. Conficitur autem hoc pacto: amygdalarum amararum chœnices quatuor, purgatas & exiccatas piſtillo ligneo in mortario leuiter tantiſper contundito, dum maſſa fiat, eiq; aquæ feruentis cyathos duos affundito, itaq; ſemihoræ ſpatio dimittito, poſthæc validius terito, deinde manibus cõplicatis exprimito, & quod per digitos deſtuit ſubiecta concha excipito: rurſusq; in id quod expreſſeris aquæ heminam infundito, & ſpatio vt eã combibere poſſit interiecto, opus redintegrato, quatuor chœnices heminam ſiue cotylen reddunt. Eodem quo prædicta modo paratur è ſeſamo ſeſaminum, & ex nucibus iuglãdibus caryinum. Quin & hyoſciaminum, ita è ſemine

neapollinaris herbæ conficitur: valet & ad aurium dolores, & peßis emollientibus admiſcetur. Simili quoque ratione gnidÿnum, è grano gnidio concinnatur, vim obtinet purgatoriam: eo pacto & è cnico cnicinũ, ſed infirmius eſt: ſimiliter & raphaninum, ſubuenit ÿs qui ex morbo phthiriaſi laborant, faciei quoque aſperitudines deterget. Melanthinum adhæc eandem habet facultatem, & componendi rationem. Sinapinũ conſtruitur, ſinapi in læuorem redacto, & aqua calida macerato, deinde admixto oleo, ac expreſſo: facit ad inueteratos dolores, ex alto id quod infeſtat euocans.

De venenatis. CAP. XI.

NVnc verò, quod nouiſſimum eſt, nec minus vtile, de venenatis quæ neceſſaria ſunt diſſerentes, reliquum eius quod hoc libro polliciti ſumus, perſoluamus, atq; initio à familiari nobis animali ſumpto, deinceps de reliquis pertractabimus. In rabiẽ igitur in vehemẽtiſſimis æſtibus vt plurimum canis agitur: atq; vbi ea corripuit, potũ cibumq; auerſatur, multũq; pituitæ ſpumoſæ ore & narribus profundit, & prauis oculis intuetur, ac ſolito eſt triſtior: ſine latratu belluas & homines, notos iuxta ac ignotos; nullo diſcrimine inuadit. Porrò vbi momordit, nihil moleſtiæ ſtatim, præter dolorẽ è vulnere, infert: ſed proceſſu vitiũ, quod

ab

ab aquæ formidine ὑδροφοβικὸν Græci nominant, progignit: oboritur autem id cum neruorum conuulsione ac totius corporis rubore, præcipuè totius faciei sudore & anxietate. Nonnulli ex demorsis lucem fugitant, alij perpetuò mœrore contabescunt, sunt qui canum more oblatrant, & obuios demordent, mordentesq; eiusdem mali auctores euadunt. Accommodatum his est medicamentum è cancris fluuiatilibus, quod constat parte vnà gentianæ mistæ cum crematorum cancrorum cineris partibus duabus. Diximus autem antea de huiusmodi medicamento, vbi de ijs quæ aduersus venenata valent meminimus, vnde de omni medicamento disces, quod ad venenatorum ictus quoslibet valet. Nec verò timenda sunt vlla æquè rabiosorum animalium vulnera, vt exigua, ac scarificationibus similia: nam ex maioribus cumulatus copiosusq; sanguis dũ effunditur, aliquid quoq; veneni eluitur: at ex minoribus, nequaquam. Atq; ex maioribus abscedentes carnes adimendæ sunt, & labiorum margines acie scalpelli deglubi debent: cũ caro intenditur, cauo scalpello excindenda est, & vtrinq; altius adactis ictibus, quo sanguinis euacuatio ac profusio, veneni affectui aduersetur. Quin & cucurbitula cum multa flamma admota, copiosum præstat iuuamentum, vt vim veneni

veneni eneruet ac dissoluat. Ac longè efficacissimum in venenatis ictibus præsidium est vstio: nam cùm ignis facultas quauis alia sit validior, simul veneno potitur, impeditq; quominus penitius serpat. simul eius deicta portio non contemnendam occasionem insequenti curationi largitur, quòd diutius scilicet exulceratio perduret: in id enim imprimis est inuigilandum, ne citius quã res exigit, partes coalescant. Præstant hoc & salsamenta imposita, & contritum allium, cæpeq; liquor item Cyrenaicus, & ouorum vitella tam commanducata, quàm secus. Quòd si, vt crebro vsu venit, cicatrices prius quàm dies postulet, obducãtur, opus est circum carne amputata aut exusta, vulnera aperta tenere ac refricare. Cæterùm certo præscriptoq; dierũ numero transacto, permittendum est vt vlceribus cicatrices obducantur, atque emplastro è sale, regio omnis est cõprehendenda. Deinde paucis interpositis diebus, locus cinapi exulceratur. Cibus sit allium & cæpe, et porri: potus verò, vinum meracius, hæc enim difficulter mutantur, ægreq; exitum reperiunt: siquidem eorum qualitates ad plures dies permanent, quando vi illa lethifera non vincantur, neque immutentur, sed ex aduerso ipsam oppugnare soleant. Vtilia sunt & antidota, eaq; præcipuè quæ pluribus aromatis

compon

componuntur: etenim aromata & odoramenta omnia, ſua natura ac facultate ægrè mutationem ſentiunt. Non eſt tamen ignorandum, vitium quod ab aquæ metu, diximus ὑδροφοβίαν nuncupari, haudquaquam præſcriptum ſtatumq; habere diem, quo ingruat: ſiquidem vt plurimũ quidem poſt quadrageſimum diem negligentiores adoriri ſolet, attamen interdum & poſt ſex menſes & anno elapſo inuadere contigit, vt nos experientia comperimus. Sunt qui narrent aquæ pauorem poſt ſeptimum demum annum quoſdam corripuiſſe. Porrò cibi acres, potionesq; meracæ quotidie aſſumantur, quæ locum hebetare queant: ſudor quoq; qui cibum antecedat & ſequatur prouocandus eſt, adhæc picatio & ſinapiſmus, tum in parte, tum in toto corpore eſt vtilis. Verùm omnium præſtantiſſimus eſt elleboriſmus, & ſacra ex colocynthide antidotus. Quin & lac ſciſſile purgare poteſt. Atque de his hactenus, nunc reliqua ſubnectamus. Quos phalangium momorderit, ijs locus rubeſcit, & exiguas punctiones oſtendit, ſed neque intumet, neque plurimum calet, verùm modicè rubet, & frigidus ex aduerſo ſentitur. Comitatur tremor toto corpore & inguinũ ac poplitum collectio contentioq; conuulſioni adſimilis: circa lumbos dolor, & perpetua vrinæ reddendæ ſtimulatio ac difficilis

ficilis recrementorum excretio, ſudor ſimiliter frigidus tota corporis ſumma cute prorumpit. His imponendus eſt cinis ficulneus cum ſale ex vino ſubacto: aut radix ſylueſtris Punicæ trita, vel ariſtolochia cum farina hordei ex aceto macerata. Adhæc, vlcera marina aqua fouenda ſunt, apiaſtriq; decocto, et folia eius inſpergenda, frequentius in balneum demittere oportet, ac hæc medicamenta propinare, abrotoni ſemen, aniſum, ariſtolochiam, cicer ſylueſtre, cuminum Æthiopicum, fructus cedri, platani corticem, trifolij ſemen, ſingulorum ſiliquum cum vini hemina. Aiunt quidam expreſſum è cancris fluuiatilibus ſuccum cum lacte, & apij ſemine addito, à moleſtia liberare. Veſparum & apum ictibus malua cataplaſmatis more impoſita ſuccurrit, item farina hordeacea cum aceto, & lac ficus morſibus inſtillatum, fotusq; è muria, aut aqua marina. Demorſis ab ea quæ ſcolopendra nominatur, locus in ambitu liueſcit, ac nonnunquam feculentus, ruberq; raro apparet. Exulceratur autem ab ipſo morſu ducens initium, eaq; exulceratio laborioſa, ac propemodum intolerabilis efficitur, præter hæc pruritus toto corpore perſentiuntur. Super vulnus injcienda eſt ruta ſylueſtris trita cum ſale & aceto: foueri item debet locus muria acida: potui quoque exhibetur

betur aristolochia cum vino, aut serpillum, vel nepita, aut sylvestris ruta. Iis quos scorpius morsu lacessiit, evestigio vulnus inflammatione tentatur, durescit, & rubore suffunditur, atq; non sine cruciatu dolet, alternis vicibus, modò calor ingens, modò frigus persentitur, & labor repentinus, qui nunc levis est, nunc ingravescit. Comitatur sudor, & horroris sensus, tremorq;, & extremorum perfrictio, inguinum tumores, in sede pilorum erectio, & gravis molestia. In summa item cute dolens quidam punctionis occursus persentitur. Lac ficus vulneribus instillatum, ipseq; qui vulnus inflixit, scorpius in pulverem redactus, locoq; vulnerato impositus, tanquam vulneris sui medicus, opitulatur, ita jubente naturæ rerum dissidio, quam ἀντιπάθειαν Græci nominant. Succurrit & sulphur ignem non expertum resina terebinthina exceptum, item galbanum splenij more extensum, & loco inductum, & in vino paratum cum rutæ decocto. Semen quoq; trifolij herbæ tritum ac impositum auxilio est. Vtendum est & potionibus aristolochiæ cum vino, & gentiana, & pulegio, & baccis lauri, & nepita cum posca. Vsus adhæc balnei continuus, cum sudoris provocatione copiosa, & potione vini diluta commendatur. Pastinacæ marinæ morsum confestim

graues

graues dolores ſubſequi incipiunt, continuæ item conuulſiones, & labor ac imbecillitas, mentiſq; vacillatio ac vecordia: poſthæc, vocis priuatio, oculorum caligo, & ipſe locus qui plagam accepit, in ambitu, et quæ vicina ſunt, nigra euadunt, & tangentem non ſentiunt. Et ſi quis eum preſſerit, ſanies inde nigra, aſpera, & graueolens excernitur. Iuuant hos omnia quæ contra viperæ morſum valere trademus. præterea in potu datur abſynthium, ſaluia, ſulphur cum aceto, ipſaq; diſſecta atq; impoſita ſuo vulneri medetur. Quos vipera demordit, corpora intumeſcunt, & vehemẽter ſiccantur, coloreq; ſubalba conſpiciuntur. Sanies adhæc è vulnere promanat, primum ſubpinguis, poſthæc cruenta, puſtulæ ambuſtis ſimiles erumpunt, mox ſerpit venenum longè lateq; depaſcens adiacentia, idq; non modò ſumma cute, verùm & in altum ſubiens. Gingiuæ ipſis ſanguine ſuffunduntur, & iecur inflamatio parum conſtans corripit. Torſiones item, & vomitus biliosis oboritur. acedit præterea tremor, & carus, & vrinæ difficultas, frigidiq; ſudoris effuſio. Auxiliatur fimus caprillus ex vino iniectus, item laurus, abrotonum, galbanum impoſita, adhæc pulli gallinacei diſſecti, atq; ilico appoſiti: præterea cortex raphani validè tuſus, & ſcillæ aſſa, ac

chamæmelinum tritum. Bibitur & leporinum coagulum efficaciter pondere trium obolorum, & succus porri instar heminæ in meraco vino, necnon apiastri succus, & ruta sylvestris in vino, ipsum quoq; vinum sumpsisse iuuat, & allia, & porros, ac cepas, salsamentaq;. Gallinacea item cerebella ex vino pota, semenq; satiuæ brassicæ ex vino. Habes quoq; Andromachi theriacen antidotum, quæ pota aut apposita, nulli alteri medicamento vtilitate cedit: scripta præterea fuerunt & alia antidota, quorum vsu laboranti succurres. Similia ijs eueniunt quos amphisbæna aut scytale momordit, quare & consimilia sunt auxilio, itaq; & inde quæ hic petagi debent sunt petenda.

Morsui quem diuinus intulit, vehementes oboriuntur dolores, et in loco pustulæ prorumpunt, ex quibus consequenter aquosa sanies effunditur: ad hæc rosiones & torsiones comitantur. His opitulatur aristolochia cum vino pota, trifoliumq; herba & radix hastulæ regiæ eodem modo assumpta, necnon quercus cuiuscunq; glandes epotæ, ac ilicis radix assa & cataplasmatis more inducta auxilio est. Quos hæmorrhous momordit, validis corripiuntur doloribus, atq; macilenta, ac prorsus strigosa ob cruciatuum continuitatem corpora reddunturex vulvere multum cruor excerni-

tur.

tur, & ſi qua parte corporis cicatrix reperiatur ſanguine manabit. Alui quoq; excrementa ſunt ſanguinea, cruorq; qui emanat, in grumis cõcreſcit, adhæc è pulmonibus ſanguinem tuſſi reiiciunt, eumq; euomunt citra auxilij opem. Iam qui à dipſade mordentur, ijs tumor qui celari nequit accidit ſitiq; adeò vehemẽs, vt neque ſatiari poſſit, neq; vllo tempore intermittat. Ictus ab hæmorrhoo & dipſade illati, deplorati ſunt, ceu qui remedia reſpuant. Attamen enitendum eſt, vt vſtio ſi locus patitur, membriq; præciſio ac mutilatio accerſatur, deinde acria cataplaſmata imponere conueniet, ciboſq; acres exhibere, & meracum bibere, & frequenter lauare, atq; id genus reliqua aſſiduè obire. Vlcus ab hydro, quem nonnulli natricem vocant, morſu illatum dilatatur, ac in medio liueſcit: ſanies ex eo emanat copioſa, nigra & graueolens, tanquam ex vlcere paſcente, quod νομὴν vocant. Prodeſt origanum aqua ſubactum, vel liximum quernum cũ oleo, vel ariſtolochiæ cortex radix' ve trita, farina item hordeacea cum hydromelite potatur, & ariſtolochia cum poſca, aut marrubij ſuccus cum vino, & receus fauus cum aceto oblatus. Quòd ſi cenchrus nocuit, morſus eius viperæ ſimilis euadit, putredo comitatur, & carnes tumefactæ prius, vt in aqua

inter cutem, defluunt, fiuntq; lethargo obnoxij, & delatione in somnum corripiuntur. Testatur Erasistratus, iecur ipsis, & vesicam ac intestinum laxum affici: siquidem dissectis partes hæ quodãmodo corruptæ reperiuntur. His lactucæ semen vnà cum lini semine cataplasmatis in modum applicatum auxiliatur. Succurrit & satureia, & ruta syluestris, ac serpillum cum hastula regia leuigatum: centaurij item radicis siciliquus cum vini cyathis duobus, aut aristolochiæ radix & cardamomum ac gentiana pota. Si cerastes momordit, locus attollitur cum duritia ac pustulis. Manat è vulnere sanies, modò nigra, modò subpallida. Quin & totius corporis coalitus varicum modo attollitur, genitale arrigitur, mens alienatur, oculi caligant, & neruorum distentione tandem intereunt. Hos membri præcisio celeris sanabit: quare amputandum est quod morsu contigit, aut partes demorsæ quæq; his sunt vicinæ ilico sunt excarnificandæ: reliquæ verò ferro candenti exsiccandæ. Aspidis morsus acus punctura similis, omnino exiguus sine tumore apparet. Sanguis non multus, sed paucus & niger destillat: subita oculorum hebetudo inuadit, dolor totius corporis multiplex, sed omnino leuis, & non sine quodam voluptatis sensu comitatur, cordis morsus exiguus

guus infestat, frons assiduè conuellitur, palpebræ dormientium instar, ereptis sensibus mouentur, atq; inter hæc mors prehendit, ne diei quidem tertia parte interposita. Eadem quæ in ceraste sunt auxilio. Celerrimum est huius venenum, quòd sanguinem in arterijs suo frigore coagulet. Quum basilicus quempiam momorderit vulnus subaureo colore tingitur, & mors auxilia anticipat, sed tam pestilens veneni pernicies in Libyæ desertis secessit, raroq; aliqui in eum incidunt, illi ve occurrunt. Quod vitium prius quàm demorsi ipsum persentiant, aut cum medico communicent, mors repentina inuadit, omnem quæ de eo haberi potest præripiens curam ac diligentiam. Quæ verò familiaria sunt, atque ad viuendi rationem loco concedente, assumere licet, ea partim victus ratione calidiore, & meraca potione, partim medicamentis quæ vulneribus admota virus prolicere queunt, partim antidotis huic rei accommodatis, vsurpare decet: quemadmodum de ijs superius satis superq; disseruimus. Porrò aduersus omnem venenatum ictum adhibendus est qui vulnus exugat: non tamen exugẽtem ieiunum esse oportet, verùm cibum sumpsisse debet, ac vino os colluisse: deinde olei pauxillum in ore contineat, atque ita sugat. Ipse præterea locus spongia fouendus

Actuarii Joannis filii Zachariae operum - page 629 sur 731

©BIUM

est, ac scalpello alterioribus plagis scarificandus est, quo omnem eumorem : quemetiam carnis in circuitu excisio atque ablatio vicinas partes tuetur, ac à labe vindicat. Quòd si locus carnem excindi non patitur, cucurbitulam cum flamma copiosiore defigere oportet. Quòd si ægrè abscissionem demorsæ partis admittit, citra cunctationem ac moram, tota particula amputãda est, præcipuè si fera maligniorfuerit, quæ ictum intulit. Imponitur autem cinis sarmentitius, aut siculneus, cum sillatitio lixiuio, subactis cum garo acri, salsamentis, porris, cepis, allijs, ac tritis : gallinacei item pulli dissecti, & quàm calidissimi vulneratæ parti admoti, magnopere auxiliantur: quippe qui pestilens ad se virus pelliciant. Habes ex disputationem de virulentis feris sufficienter tibi explicatam, vt ne hac quidem parte quicquã quo ad medendi rationis notitiam pertineat, desiderare queas. Cæterùm quæ de morborum ãgnitione ac caussis, duobus primis libris à nobis tractatum est, & in duobus alijs sequentibus de ijs quæ ad affectuum qui singulis partibus incidunt, curandi rationem spectant, disseruimus : ac demum duobus his postremis quæ tum internis, tum externis vitijs assumpta opitulari censentur, tradidimus : tuq; denuò legationem obire statuisti,

tuisti, ex his quæ docuimus, abunde quemuis morbum agnoscere, eiq; quæ necessaria sunt adaptare, hinc sumpta occasione, potes. Quòd si quippiam in hoc commentario deesse videbitur, ne vllis alijs egeas medicorum libris, vbi legatione functus redieris, id quoq;, si quidem vitæ aliquid adijcietur, Deo concedente absoluetur. Interea temporis, hic opus finem nunc accipiat. Vtinam autem hæc omnia percurrenti euoluentiq;, fructu atque vtilitate quæ in eis sunt, perfrui liceat, quo & nos hinc gratiam aliquam reportemus, & ne frustra laborem suscepisse videamur.



QVÆ INTERPRES
ſparſim his ſex de methodo
medendi libris an-
notarat.

*

Pag. 67, *Ita enim progrediente ſermone*) *Poſt hæc verba deſunt quædam.*

104, *Verum cùm in ea tractatione*) *Lib. 2. cap. 15.*

165, *Vocaturq; affectus ἕρπης*) *Hunc alij herpetem exedentem appellant, ſiue ἕρπητα ἐσθιόμενον.*

369, *Dictæ porrò ſunt χοιράδες*) *Quidam Latini etiam ſcrophulas vocant.*

202, *Cæterùm de ſingulorum horum facultate*) *De ſomno nihil hoc loco: vide lib. 2. de Spiritu animali, cap. 11.*

216, *ὀπώρας Græci nuncupant*) *Latini quidam ὀπώρας, poma vocanda putant.*

369, *Scammonij ſextulam terito*) *ἑξάγιον cum Ruellio ſextulam verto, & hexagia duo, duellã: hexagij verò ſemiſſem, ſcriptula duo.*

370, *Seminis cucumerum, intubi erratici, &c.*) *Non conuenit cum Ruellij editione.*

370, *Seminis portulacæ ſemuncia*) *Ruell. drachmas tres.*

374, *Amaraci, chamæmeli, & artemiſiæ, ſingulorum ſemuncia*) *Ruell. ſextula.*

Traga

376, *Tragacanthæ, maſtiches, vtriuſque ſcriptula duo*) *Ruell. ſeſquiſextula.*

377, *Roſarum, ſpodij, &c. vtriuſque drachm. quatuor*) *Non conuenit cum Ruell.*

379, *Florum ſylueſtris Punici, amyli torrefacti, &c. ſingulorum ſextula ſcriptula*) *Non conuenit cum Ruell.*

Rhois culinarij ὀξυ, Ruell. ſequimur.

382, *Paſtillus è veſicaria*) *Habet Ruell. alterum Paſtilli è corallio conficiendi modum, qui ſequitur, Altera eiuſdem paſtilli conficiendi ratio, Lapidis corallij vncia, anagallidis herbæ vncia, rhei barbarici ſextans, ſpicæ nardi ſextans, ariſtolochiæ longæ triens, gariophyllorum quincunx.*

Croci oboli terni, herbæ apollinaris ſeminis drachm. quatuor) *Ruell. ſex.*

386, *Rhei Pontici, nepetæ, &c.*) *Non conuenit cum Ruell.*

387, *Sapientiſſimus Galenus*) *De compoſitione Theriacæ ex Galen. lib. 1. de Antidotis.*

393, *Theriaci paſtilli*) *Vide libro de Theriaca ad Piſonem.*

